

UAI

LA AUTONOMA DE NUEVA

UNIVERSIDAD GENERAL DE BIBLIOTE

CONCILIUM
PLENARIUM
AMERICAE LATINAE

APPENDIX

BX832
.1899
I4


004219



EX LIBRIS

HEMETHERII VALVERDE TELLEZ
Episcopi Lechensis





APPENDIX

AD

CONCILIUM PLENARIUM

AMERICAE LATINAE



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

®

APPENDIX


AD

CONCILIUM PLENARIUM

AMERICAЕ LATINAE

ROMAE CELEBRATUM

ANNO DOMINI MDCCCXCIX.



UANL



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEÓN

Biblioteca Valverde y Telles

ROMAE

TYPIS VATICANIS

—
MCM.




Capilla Alfonso
Biblioteca Universitaria

41417

BX 822

11899

T4



NEMINI LICEAT
SINE VENIA SANCTAE SEDIS
HOC VOLUMEN REIMPRIMERE.

IMPRIMATUR:

FR. ALBERTUS LEYDI, O. P., S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR:

JOSEPHUS CIPPELLI, Archiep. Myr., Vicesgerens.



FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ

I.

Cap. « *Hoc consultissimo* », tit. 9. cap. 2. de rebus
Ecclesiae non alienandis. — Gregorius X in Conc.
Lugdunensi.


Hoc consultissimo prohibemus edicto, universos
et singulos Praelatos Ecclesias sibi commissas, bona
immobilia, seu iura ipsarum, Laicis submittere, subii-
cere, seu supponere, absque Capituli sui consensu et
Apostolicae Sedis licentia speciali. Non concedendo
bona ipsa, vel iura in emphyteusim, seu alias alie-
nando in forma et casibus a iure permissis, sed con-
stituendo, vel recognoscendo, seu profitendo ab illis
ea tanquam a Superioribus se tenere: seu ab ipsis
eadem advocando prout in quibusdam partibus vulga-
riter dicitur, *avohier*; vel ipsos Patronos vel advocatos
Ecclesiarum, seu bonorum ipsarum perpetuo, aut ad
tempus non modicum statuendo. Contractus autem
omnes etiam iuramenti poenae, vel alterius cuiuslibet
firmitatis adiectione vallatos (quos de talibus alienatio-
nibus sine huiusmodi licentia, et consensu contigerit
celebrari) et quicquid ex eis secutum fuerit decernimus
adeo viribus omnino carere, ut nec ius aliquod tribuant,

004219

BX 822

11899

T4



NEMINI LICEAT
SINE VENIA SANCTAE SEDIS
HOC VOLUMEN REIMPRIMERE.

IMPRIMATUR:

FR. ALBERTUS LEYDI, O. P., S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR:

JOSEPHUS CIPRIELLI, Archiep. Myr., Vicesgerens.



FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ

I.

Cap. « *Hoc consultissimo* », tit. 9. cap. 2. de rebus
Ecclesiae non alienandis. — Gregorius X in Conc.
Lugdunensi.

Hoc consultissimo prohibemus edicto, universos
et singulos Praelatos Ecclesias sibi commissas, bona
immobilia, seu iura ipsarum, Laicis submittere, subii-
cere, seu supponere, absque Capituli sui consensu et
Apostolicae Sedis licentia speciali. Non concedendo
bona ipsa, vel iura in emphyteusim, seu alias alie-
nando in forma et casibus a iure permissis, sed con-
stituendo, vel recognoscendo, seu profitendo ab illis
ea tanquam a Superioribus se tenere: seu ab ipsis
eadem advocando prout in quibusdam partibus vulga-
riter dicitur, *avohier*; vel ipsos Patronos vel advocatos
Ecclesiarum, seu bonorum ipsarum perpetuo, aut ad
tempus non modicum statuendo. Contractus autem
omnes etiam iuramenti poenae, vel alterius cuiuslibet
firmitatis adiectione vallatos (quos de talibus alienatio-
nibus sine huiusmodi licentia, et consensu contigerit
celebrari) et quicquid ex eis secutum fuerit decernimus
adeo viribus omnino carere, ut nec ius aliquod tribuant,

004219

nec praescribendi etiam causam parent. Et nihilominus Praelatos, qui secus fecerint, ipso facto ab officio et administratione, Clericos etiam qui scientes contra inhibitionem praedictam aliquid esse praesumptum, id Superiori denunciari neglexerint, a perceptione beneficiorum, quae in ecclesia obtinent sic gravata, triennio statuimus esse suspensos.

Laici vero, qui Praelatos vel Capitula Ecclesiarum, seu alias personas Ecclesiasticas ad submissiones huiusmodi faciendas hactenus compulerunt nisi post competentem monitionem (remissa submissione, quam per vim, vel metum exegerant) Ecclesias et bona Ecclesiastica eis submissa taliter in sua libertate dimittant. Illi vero, qui de caetero Praelatos, vel personas easdem ad talia facienda compulerint, cuiuscumque sint conditionis, aut status, excommunicationis sint sententia innodati.

Ex contractibus praeterea super praemissis (huiusmodi licentia, et consensu intervenientibus) hactenus initis, vel quos in futurum iniuri contigerit, seu occasione illorum, Laici ultra id quod ex natura contractuum ipsorum, vel adhibita in illis lege permittitur, aliquid non usurpent.

Qui vero secus egerint (nisi legitime moniti ab huiusmodi usurpatione destiterint, restituendo etiam ea, quae taliter usurparunt), eo ipso sententiam excommunicationis incurrant: et ex tunc ad supponendum terram ipsorum, si opus fuerit, Ecclesiastico interdicto, libere procedatur.

II.

Cap. « Ambitosae » tit. 4. cap. univ. Extrav. com. de rebus Ecclesiae non alienandis. — Paulus II, 1 Martii 1467.

Ambitosae cupiditati, illorum praecipue qui divinis et humanis affectati, damnatione postposita, immobilia et pretiosa mobilia Deo dicata, ex quibus Ecclesiae, Monasteria, et pia loca reguntur illustranturque et eorum ministri sibi alimoniam vindicant, profanis usibus applicare, aut cum maximo illorum ac divini cultus detrimento, exquisitis mediis usurpare praesument, occurrere cupientes:

§ 1. Omnium rerum et bonorum Ecclesiasticorum alienationem, omneque pactum per quod ipsorum dominium transfertur, concessionem, hypothecam, locationem, et conductionem ultra triennium, necnon infeudationem, vel contractum emphyteuticum, praeterquam in casibus a iure permissis, ac de rebus, et bonis in emphyteusim ab antiquo concedi solitis, et cum Ecclesiarum evidenti utilitate, ac de fructibus, et bonis quae servando servari non possunt, pro instantis temporis exigentia, hac perpetuo valitura constitutione praesenti fieri prohibemus.

§ 2. Praedecessorum nostrorum constitutionibus, prohibitionibus, et decretis aliis super hoc editis, quae tenore praesentium innovamus, in suo nihilominus robore permansuris.

§ 3. Si quis autem contra huius nostrae prohibitionis seriem de bonis et rebus eisdem quidquam alienare praesumpserit, alienatio, hypotheca, concessio, locatio, conductio, et infeudatio huiusmodi, nullius omnino sint roboris

vel momenti; et tam qui alienat, quam is qui alienatas res et bona praedicta receperit, sententiam excommunicationis incurrat; alienanti vero bona Ecclesiarum, Monasteriorum, locorumque piorum quorumlibet, inconsulto Romano Pontifice, aut contra praesentis constitutionis tenorem, si Pontificali seu Abbatiali praeferat dignitate, ingressus Ecclesiae sit penitus interdictus: et si per sex menses immediate sequentes, sub interdicto huiusmodi, animo, quod absit, perseveraverit indurato, lapsis mensibus eisdem, a regimine et administratione suae Ecclesiae vel Monasterii, cui praesidet, in spiritualibus et temporalibus, sit eo ipso suspensus. Inferiores vero Praelati, Commendatarii, et aliarum Ecclesiarum Rectores, beneficia vel administrationem quomodolibet obtinentes, prioratus, praepositoris, praepositibus, dignitatibus, personatibus, administrationibus, officiis, canonicatibus, praebendis, aliisque Ecclesiasticis cum cura et sine cura saecularibus, et regularibus beneficiis quorum res et bona alienarunt dumtaxat, ipso facto privati existant, illaque absque declaratione aliqua vacare censeantur, possintque per locorum Ordinarios, vel alios ad quos eorum collatio pertinet, personis idoneis (illis exceptis, quae propterea privatae fuerint) libere de iure conferri, nisi alias dispositioni Apostolicae Sedis sint specialiter aut generaliter reservata: et nihilominus alienatae res et bona huiusmodi ad Ecclesias, Monasteria, et loca pia, ad quae ante alienationem huiusmodi pertinebant, libere revertantur.

Nulli ergo etc.

Datum Romae apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominicae millesimo quadringentesimo sexagesimo septimo, Kalend. Martii, Pontificatus nostri Anno IV.

(Bull. Rom. V, pag. 194).

III.

S. Officii decretum « Cum alias » et instructio ad probandum status libertatem. — 21 Aug. 1670.

Cum alias per Sacram Congregationem S. Officii, iteratis instructionibus ab eadem emanatis de anno 1658, et 1665, locorumque Ordinariis transmissis, provisum fuerit, ut praescriptis interrogatoriis faciendis testibus, qui ad probandum statum liberum contrahentium matrimonium inducuntur, omnis prorsus secludatur aditus iis, qui, adhuc vivente altero coniuge, aut alias impediti ad secunda illicita vota transire satagebant; videns nihilominus Sanctissimus D. N. quamplures locorum Ordinarios, vel eorum Vicarios, et Deputatos ad excipiendas testium depositiones, nec non parochos, et notarios in casibus expressis aut omittere, aut non observare earumdem instructionum tenorem; et licet aliquando plene observent, non tamen interrogare testes super aliis impedimentis dirimentibus:

Ideo volens Sanctitas Sua praedictis malis occurrere, re mature considerata cum Eminentissimis et Reverendissimis Dominis Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus, praesenti Decreto perpetuis futuris temporibus duraturo, iterum iniungit omnibus Vicariis, seu Deputatis pro examinandis testibus ad probandum statum liberum contrahentium matrimonium, nec non parochis, notariis, et quibuscumque aliis respective, sub poenis etiam gravibus corporalibus arbitrio Sacrae Congregationis, ut instructionem infrascriptam ad unguem observent.

Ut autem praesens Decretum, et Instructio ad

omnium notitiam facilius deveniant, decrevit illa ad valvas Basilicae Principis Apostolorum, et Cancellariae Apostolicae, ac in acie Campi Florae de Urbe, ac Palatio S. Officii eiusdem Urbis per aliquem ex cursoribus Sanctitatis Suae publicari, ac eorum exempla ibidem affixa relinqui; illaque sic publicata omnes, et singulos, quos concernunt, post duos menses a die publicationis in Urbe faciendae numerandos, perinde afficere, ac arctare ac si illorum unicuique personaliter notificata, et intimata fuissent.

Instructio pro examine illorum testium, qui inducuntur pro contrahendis matrimoniis, tam in Curia Eminentissimi et Reverendissimi Dñi Cardinalis Urbis Vicarii, quam in aliis Curis caeterorum Ordinariorum.

Imprimis testis monetur de gravitate iuramenti in hoc praesertim negotio pertimescendi, in quo Divina simul et humana Maiestas laeditur, ob rei, de qua tractatur, importantiam et gravitatem; et quod imminet poena irremissum, et fustigationis deponenti falsum.

Secundo, interrogetur de nomine, patria, aetate, exercitio, et habitatione.

Tertio, an sit civis, vel exterus, et quatenus sit exterus, a quanto tempore est in loco, in quo testis ipse deponit.

Quarto, an ad examen accesserit sponte, vel requisitus. Si dixerit accessisse sponte a nemine requisitum, dimittatur, quia praesumitur mendax. Si vero dixerit accessisse requisitum, interrogetur a quo, vel a quibus, ubi, quando, quomodo, coram quibus, et quoties fuerit requisitus, et an sciat adesse aliquod impedimentum inter contrahere volentes.

Quinto, interrogetur, an sibi pro hoc testimonio ferendo fuerit aliquid datum, promissum, remissum, vel oblatum contrahere volentibus, vel ab alio ipsorum nomine.

Sexto, interrogatur, an cognoscat ipsos contrahere volentes, et a quanto tempore, in quo loco, qua occasione, et cuius qualitatis, vel conditionis existant. Si responderit negative, testis dimittatur; si vero affirmative:

Septimo, interrogetur, an contrahere volentes sint cives vel exteri. Si responderit esse exteros, superseatur in licentia contrahendi, donec per literas Ordinarii ipsorum contrahere volentium doceatur de eorum libero statu, de eo tempore, quo permanserunt in sua civitate, vel dioecesi.

Ad probandum vero eorundem contrahere volentium statum liberum pro reliquo temporis spatio, scilicet usque ad tempus, quo volunt contrahere, admittantur testes idonei, qui legitime, et concludenter deponant statum liberum contrahere volentium, et reddant sufficientem rationem causae eorum scientiae, absque eo, quod teneantur deferre attestaciones Ordinariorum locorum, in quibus contrahere volentes moram traxerunt.

Si vero responderit, contrahere volentes esse cives;

Octavo, interrogatur, sub qua parochia hactenus contrahere volentes habitarent, vel habitent de praesenti.

Hem, an ipse testis sicut aliquem ex praedictis contrahere volentibus quandoque habuisse uxorem, vel maritum, aut professum fuisse in aliqua Religione approbata, vel suscepisse aliquem ex Ordinibus sacris, subdiaconatum scilicet, diaconatum, vel presbyteratum, vel habere aliud impedimentum, ex quo non possit contrahi matrimonium.

Si vero testis responderit, non habuisse uxorem, vel maritum, neque aliud impedimentum, ut supra:

Nono, *interrogetur de causa scientiae, et an sit possibile, quod aliquis ex illis habuerit uxorem, vel maritum, aut aliud impedimentum etc., et quod ipse testis nesciat.*

Si responderit affirmative, supersedeatur, nisi ex aliis testibus probetur concludenter non habuisse uxorem, vel maritum, neque ullum aliud impedimentum etc.

Si vero responderit negative:

Decimo, *interrogetur de causa scientiae, ex qua deinde iudex colligere poterit, an testi sit danda fides.*

Si responderit, contrahere volentes habuisse uxorem, vel maritum, sed esse mortuos:

Undecimo, *interrogetur de loco, et tempore, quo sunt mortui, et quomodo ipse testis sciat fuisse coniuges, et nunc esse mortuos.* Et si respondeat, mortuos fuisse in aliquo hospitali, vel vidisse sepeliri in certa ecclesia, vel occasione militiae sepultos fuisse a militibus, non detur licentia contrahendi, nisi prius recepto testimonio authentico a rectore hospitalis, in quo praedicti decesserunt, vel a rectore ecclesiae, in qua humata fuerunt eorum cadavera, vel, si fieri potest, a duce illius cohortis, in qua descriptus erat miles.

Si tamen huiusmodi testimonia haberi non possunt, Sacra Congregatio non intendit excludere alias probationes, quae de iure communi possunt admitti, dummodo sint legitimae, et sufficientes.

Duodecimo, *interrogetur, an post mortem dicti coniugis defuncti, aliquis ex praedictis contrahere volentibus transierit ad secunda vota.*

Si responderit negative:

Decimotertio, *interrogetur, an esse possit, quod aliquis ex illis transierit ad secunda vota, absque eo, quod ipse testis sciat.*

Si responderit affirmative, supersedeatur in licen-

tia, donec producantur testes, per quos negativa coarctetur concludenter.

Si vero negative:

Decimoquarto, *interrogetur de causa scientiae, qua perpensa iudex poterit iudicare an sit concedenda licentia, vel non.*

Si contrahentes sunt vagi, non procedatur ad licentiam contrahendi, nisi doceant per fides Ordinariorum suorum se esse liberos; et in aliis servata forma Concilii Tridentini in *cap. Multi, Sess. 24.*

Fides, aliaque documenta, quae producantur de partibus, non admittantur, nisi sint munita sigillo, et legalitate Episcopi Ordinarii, et recognita saltem per testes, qui habeant notam manum, et sigillum, et attente consideretur, quod fides, seu testimonia, bene et concludenter identifitent personas de quibus agitur.

Pro testibus in hac materia recipiantur magis consanguinei, quam extranei, quia praesumuntur melius informati, et cives magis, quam exteri; nec admittantur vagi, et milites, nisi data causa, et maturo consilio; et notarius exacte describat personam testis, quem si cognoscit, utatur clausula: *Mihi bene cognitus.* Sin minus, examen non recipiat, nisi una cum persona testis aliqua alia compareat cognita notario, et quae attestetur de nomine, et cognomine ipsius testis, nec non de idoneitate eiusdem ad testimonium ferendum.

Et huiusmodi examinibus debet interesse in Urbe, ultra notarium, officialis specialiter deputandus ab Eminentissimo Vicario; et extra Urbem, vel Vicarius Episcopi, vel aliqua alia persona insignis, et idonea, ab Episcopo specialiter deputanda; alias puniatur notarius arbitrio Sacrae Congregationis, et Ordinarius non permittat fieri publicationes.

Ordinarii praecipiant omnibus et singulis parochis in eorum dioecesibus existentibus, ut pro matrimoniis cum exteris contrahendis non faciant publicationes in eorum Ecclesiis, nisi certiorato Ordinario, a quo, vel eius Generali Vicario, prius teneantur authenticam reportare, quod pro tali matrimonio fuerunt examinati testes in eorum tribunali, qui probant statum liberum contrahere volentium etc.

Contravenientes autem severe punientur.
(V. Coll. P. F. n. 1363).

IV.

Innocentii XII Constit. « Speculatores » de ordinandis propriis subditis, vel alienis; quae requirantur et quae cavenda sint, ut Episcopus proprium vel alienum subditum ordinare valeat. — 4 Nov. 1694.

1. Speculatores domus Israel, quae est sancta Dei Ecclesia, per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam constituti, eo potissimum ab ipsis Pontificatus Nostri primordiis pastoralis vigilantiae Nostrae studia convertenda esse duximus, ut, qui in sortem Domini vocantur, sacrisque addicuntur ministeriis, quippe quos irreprehensibiles esse convenit, ut praeesse valeant corrigendis, ac in quos tanquam in speculum reliqui oculos coniciunt, ex iisque sumunt, quod imitentur, tales sint, qui digne possint Dominica Sacramenta tractare ac aedificent cunctos, tam fidei scientia, quam operum disciplina.

Sane hoc inito consilio, non alios, quantum fieri potest, quam qui in sanctitate et iustitia per ordinatissimos ecclesiasticae militiae gradus statis intervallis ambulaverint, ac pie et fideliter in ministeriis antea-

se gesserint, ad sacerdotium assumi, sacrasque ordinationes iuxta priscum Ecclesiae morem, praescriptis a iure temporibus, orationi et icunio consecratis, haberi cupientes, severiorem quandam in concedendis indultis-suscipiendi sacros Ordines extra tempora huiusmodi, et interstitiis ad id designatis minime servatis, ultro Nobis proposuimus adhibendam rationem, qua videlicet servata ante meritum laboris, ante tempus examinis, ante experientiam disciplinae, sacerdotalis honor non probatis minime tribuatur, ne unquam heri sacrilegi hodie sacerdotes, heri profani hodie sacrorum antistites, veteres vitio virtute rudes et recentes, discipuli simul ac magistri pietatis creentur; sed si tantum iuxta constitutas a maioribus leges ab humili gradu fidelis populi ad sacrarum administrationum sublimitatem promoveantur, qui post mutatum habitum saecularem diuturna conversatione inter clericos fuerint comprobati, ac multo tempore didicerint quae postmodum alios docere tenentur.

Ceterum per ea ipsa indulta, quae super praemissis parcius quidem, ac ex certis tantum et magis rationabilibus causis concedere decrevimus, contraria quavis illorum interpretatione penitus improbata, salutarem illam, quam sacri generalis Tridentini Concilii decreta de non ordinandis ad patrimonii titulum nisi illis, quos Episcopi pro necessitate, vel commoditate suarum ecclesiarum assumendos iudicaverint, praescribunt, disciplinam nequaquam relaxatam intelligi, quinimmo nec unquam ad intulsa huiusmodi exsequenda Episcopos ipsos arctare, sed illorum executionem arbitrio semper eorundem Episcoporum, quorum conscientias hac in re strictissime oneratas volumus, prorsus relinquere declaramus; sperantes in Domino eos, qui, iuxta Apostoli

monitum, nemini cito manus imponendas esse, probe norunt, sibi et universo gregi attendentes, in quo eos posuit Spiritus Sanctus regere Ecclesiam Dei, reverenda ipsis Spiritibus Angelicis ministeria ab hominibus sine consideratione apprehendi nunquam permissuros, nec temere praecipere passuros, quae vita probata dumtaxat accipere promeretur.

Omnes insuper et singulos cuiuscumque tandem gradus, Ordinis et dignitatis fuerint, quibus ex huius Sanctae Sedis gratia sacros Ordines praefatos extra eadem tempora conferendi vel aliis, ut illos sic conferre valeant, indulgendi potestas fieri consuevit, cum divinos Ordines largiri districti semper esse iudicii oporteat, serio monitos volumus, ut praescriptos sibi desuper in suis quique facultatibus terminos religiose custodiant, nec eos cuiusvis consuetudinis aut exempli praetextu ullatenus transgrediantur.

2. Verum, quo impensius Apostolicae gubernationis curam et cogitationes in haec intendimus, eo maiori cum animi Nostri dolore, ex quamplurium Venerabilium Fratrum Nostrorum, Archiepiscoporum et Episcoporum, in diversis regionibus existentium, delatis ad nos querellis accepimus, graviora quotidie malignari inimicum in Sancto, sacrilega scilicet illorum impudentia in dies crescente, qui propriae salutis immemores clericales Ordines sibi forsitan a propriis Praesulibus denegatos, seu quos aliquibus canonicis sibi obstantibus impedimenti denegari merito verentur, ab alienis Episcopis, non quae Iesu Christi, sed eas, quae ad ipsos non pertinent, oves, in animarum suarum perniciem quaerentibus, nec tot canonicas damnationes contra usurpantes alienae plebis hominem latas perhorrescentibus, absque suorum Praelatorum comite, hoc est, di-

missorii, commendatiivae eorum literis destituti, quin imo eis insciis et saepe etiam invititis, sub minus legitimis beneficii ecclesiastici, originis, domicili, seu etiam familiaritatis ac continuae ordinantium Episcoporum commensalitates, quaesitis titulis, in sacrarum legum fraudem et contemptum illegitime suscipiunt, atque ita non intrantes per ostium, et nihilominus tabernaculum Domini cum macula inhabitare non dubitantes, sacrificium in sacrilegium convertunt, iudicium absque misericordia sibi consciscunt, Deoque minime placentes, et tamen placare velle praesumentes, non modo eum non placant, sed magis irritant, dum videntur in cordibus suis dicere: non requirit.

3. Hinc est, quod Nos, ex commissae Nobis divinitus Apostolicae servitutis munere, abusus, fraudes ac scandala huiusmodi penitus et omnino e medio tollere, ac irreligiosam contrafacientium audaciam, quantum Nobis ex alto conceditur, compescere et reprimere volentes, necnon fel. rec. Urbani VIII Constit. contra male ordinantes et male ordinatos, quae incipit *Secretis*, aliorumque Romanorum Pontificum, Praedecessorum Nostrorum, ac etiam conciliaribus hac in re editis constitutionibus et ordinationibus inhaerentes, illasque quoad ea, quae praesentibus non adversantur, quatenus opus sit, innovantes, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium eiusdem Conc. Trid. interpretum, qui, quaecumque antehac super praemissis ab ipsorum Cardinalium Congregatione in particularibus casibus edita decreta, declarationes seu responsa ad eorumdem praesentium limites reducenda esse censuerunt, consilio, ac etiam motu proprio et ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, ad omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiae utilitatem,

veteris disciplinae instaurationem, totiusque christiani populi aedificationem, hac generali Nostra et perpetuo valitura Constitutione decernimus et declaramus:

Nulli Episcopo seu cuiusvis loci Ordinario, tametsi Cardinalatus honore fulgeat, licere externum quempiam ac sibi ratione originis seu domicilii iuxta modum inferius declarandum legitime contracti non subditum ad clericalem tonsuram promovere, cuiusvis beneficii ecclesiastici ei statim ac tonsura huiusmodi insignitus fuerit, conferendi, seu ad quod is a patronis iam praesentatus seu nominatus fuerit, praetextu, etiamsi beneficium praedictum de novo ea expressa adiecta lege fundatum fuisse constiterit, ut quis immediate post clericalem characterem susceptum ad illud instituatur; praeterea clericum, qui legitime iam a proprio Episcopo ad eandem clericalem tonsuram, seu etiam ad minores Ordines promotus fuerit, non posse ab alio Episcopo, ratione ac titulo cuiuscumque beneficii in illius dioecesi obtenti ad ultiores Ordines promoveri, nisi ante eorumdem susceptionem testimoniales literas proprii Episcopi, tam originis, quam domicilii, super suis natalibus, aetate, moribus et vita sibi concedi obtinuerit, easque Episcopo ordinanti in actis illius curiae conservandas exhibuerit.

4. Licet vero clericus ratione cuiusvis beneficii in aliena dioecesi obtenti subici dicatur iurisdictioni illius Episcopi, in cuius dioecesi beneficium huiusmodi situm est, eam tamen de cetero haec in re inconcusse servari volumus regulam, ut nemo eiusmodi subiectionem ad effectum suscipiendi Ordines acquirere censeatur, nisi beneficium praedictum eius sit redditus, ut ad congruam vitae sustentationem, sive iuxta taxam synodalem, sive ea deficiente, iuxta morem regionis, pro promovendis

ad sacros Ordines, detractis oneribus, per se sufficiat, illudque ab ordinando pacifice possideatur, sublata quacumque facultate supplendi quod deficeret fructibus eiusdem beneficii cum adiectione patrimonii etiam pinguis, quod ipse ordinandus in eadem seu alia quavis dioecesi obtineret: ac Episcopus sic ordinans, tam de praedictis testimonialibus literis, quam de reitu beneficii huiusmodi expressam in consueta collatorum Ordinum attestatione mentionem facere debebit.

5. Ceterum subditus ratione originis is tantum sit ac esse intelligatur qui naturaliter ortus est in ea dioecesi, in qua ad Ordines promoveri desiderat, dummodo tamen ibi natus non fuerit ex accidenti, occasione nimirum itineris, officii, legationis, mercaturae, vel cuiusvis alterius temporalis morae seu permanentiae eius patris in illo loco, quo casu nullatenus eiusmodi fortuita natiuitas, sed vera tantum et naturalis patris origo erit attendenda. Quod si quis tanto temporis spatio in eo loco, in quo ex accidenti, sicuti praemittitur, natus est, moram traxerit, ut potuerit ibidem canonico aliquo impedimento irretiri, tunc etiam ab Ordinario eius loci literas testimoniales, ut supra, obtinere, illasque Episcopo ordinanti per eum in collatorum Ordinum testimonio similiter recensendas praesentare teneatur.

At si pater alieno loco, ubi eius filius natus est, tandiu ac eo animo permanserit, ut inibi vere domicilium de iure contraxerit, tunc non origo patris, sed domicilium per patrem legitime, ut praefertur, contractum pro ordinatione eiusdem filii attendi debeat.

6. Subditus autem ratione domicilii ad effectum suscipiendi Ordines is dumtaxat censeatur, qui, licet alibi natus fuerit, illud tamen adeo stabiliter constituerit in aliquo loco, ut vel per decennium saltem in

eo habitando, vel maiore rerum ac bonorum suorum partem cum instructis aedibus in locum huiusmodi transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando satis superque suum perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverit, et nihilominus ulterius utroque casu se vere et realiter animum huiusmodi habere iureiurando affirmet.

Si quis tamen a propriae originis loco in ea aetate discesserit, qua potuerit alicui canonico impedimento obnoxius effici, etiam Ordinarii suae originis testimoniales literas, ut supra, afferre debet, ac de illis expressa similiter mentio in susceptorum Ordinum literis facienda erit.

7. Ad haec nullus Episcopus alienae dioecesis subditum familiarem suum ad aliquos sacros seu minores Ordines vel etiam primam tonsuram promovere, seu ordinare praesumat absque eius propriae originis scilicet, seu domicilii Praelati testimonialibus literis, ut supra, et nisi ad praescriptum Concilii Tridentini praefati *Sess. 23, cap. 9, de Reformat.* familiarem praedictum per integrum et completum triennium in suo actuali servitio secum retinuerit ac suis sumptibus aluerit, beneficium insuper, quod ei ad vitam sustentandam, iuxta modum superius praefinitum, sufficiat, quacumque frande cessante, statim, hoc est, saltem intra terminum unius mensis a die factae ordinationis, re ipsa illi conferat, ac in ordinationis huiusmodi testimonio expressam itidem familiaritatis, ac literarum praedictarum mentionem facere teneatur.

8. Porro, ut quicumque fraudibus aditus omnino praeccludatur, volumus et Apostolica auctoritate statimus atque decernimus, ut Episcopus quilibet suos ratione originis, sive domicilii subditos clericos quos-

cumque ab alienis Episcopis quavis auctoritate, etiam cum suis commendatitiis literis promotos, nedum ad formam Concilii Tridentini supradicti *Sess. 14, cap. 3, de Reform.* quoad scientiam examinare valeat, verum etiam Ordinum eis collatorum testimoniales literas, gratis tamen, recognoscere ac diligenter perquirere, an quoad illos praesentis Constitutionis forma et dispositio adimpleta fuerit, assignato sic promotis termino competenti ei magis beneviso ad docendum de eiusmodi adimplemento, ita ut, quos eo termino elapso id minime praestitisse compererit, a susceptorum Ordinum exercitio, si ita et quamdiu ei expedire videbitur, suspendere, illisque, ne in altari aut in aliquo Ordine ministrent, interdicere possit.

9. Ita vero praemissa omnia et singula perpetuo ac inviolabiliter observari, atque adimpleri volumus, ut, si quid in iisdem praemissis, seu eorum aliquo secus fiat, Ordinans quidem a collatione Ordinum per annum, ordinatus vero a susceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, eo ipso suspensus sit, aliisque insuper gravioribus poenis pro modo culpae Nostro et pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio intelligendis uterque subiaceat.

... 4 Novemb. 1694.

V.

S. R. C. decretum Urbis et Orbis. Iurium parochialium, functionum et praecminentiarum inter Parochos et Confraternitates laicorum earumque Cappellanos et Officiales. — 12 Jan. 1704.

Ad debitum imponendum finem controversiis, quae inter Parochos et Confraternitates saeculares earumque Cappellanos et Officiales super iuribus parochialibus et functionibus ecclesiasticis, nonnullisque praecminentis seu praerogativis frequenter exoriri solent, in S. R. C. ab Emo et Rmo D. Card. Colloredo propositis infrascriptis dubiis, videlicet:

1. An Confraternitates laicorum legitime erectae in Ecclesiis parochialibus habeant dependentiam a Parocho in explendis functionibus ecclesiasticis non parochialibus?
2. An dictae Confraternitates erectae in Cappellis vel Oratoriis tam publicis quam privatis, adnexis parochialibus Ecclesiis et ab eis dependentibus, habeant dictam dependentiam a Parocho quoad dictas functiones?
3. An Confraternitates erectae in aliis Ecclesiis publicis habeant quoad easdem functiones aliquam dependentiam a Parocho, intra cuius parochiae limites sitae sunt Ecclesiae?
4. An Confraternitates erectae in Oratoriis tum publicis tum privatis seiunctis ab Ecclesiis parochialibus, quoad dictas functiones ecclesiasticas habeant dictam dependentiam a Parocho?
5. An benedictiones et distributiones candelarum,

cinerum et palmarum sint de iuribus mere parochialibus?

6. An benedictiones Mulierum post partum, Fontis Baptismalis, Ignis, Seminis, Ovorum, et similium, sint de iuribus mere parochialibus?

7. An functiones omnes Hebdomadae Sanctae sint de iuribus mere parochialibus?

8. An celebratio Missae sollemnis Feria V in Coena Domini sit de dictis iuribus parochialibus?

9. An prima pulsatio Campanarum in Sabbato Sancto sit de dictis iuribus parochialibus?

10. An celebratio Missarum sollemnum per annum, sive pro vivis sive pro defunctis, sit de dictis iuribus parochialibus?

11. An expositio quadraginta horarum et benedictio, quae fit super populo, sit de dictis iuribus mere parochialibus?

12. An expositio, quae fit cum Reliquiis et Sacris Imaginibus, et benedictio quae cum eis fit super populo, sit de dictis iuribus parochialibus?

13. An functiones in praecedentibus octo dubiis, videlicet a dubio 5 ad 12 expressae, peragi possint in Oratoriis privatis, contradicente Parocho?

14. An in dictis Oratoriis privatis Confraternitatum per Confratres statis horis recitari possint Horae Canonicae cum cantu vel sine cantu, absque alia licentia Parochi?

15. An in dictis Oratoriis privatis sit licita celebratio Missae privatae, assentiente Ordinario loci, et contradicente Parocho?

16. An Cappellani Confraternitatum possint populo denunciare Festivitates et Vigilias occurrentes in hebdomada, absque licentia Parochi?

17. An Parochus, invitis Confratribus, docere possit Doctrinam christianam in praedictis Ecclesiis et Oratoriis publicis vel privatis, a Parochiali divisus et separatis?

18. An in dictis Ecclesiis publicis Confraternitatum possint haberi publicae conciones, etiam per totum cursum Quadragesimae vel Adventus, cum licentia Ordinarii et absque licentia Parochi?

19. An in eisdem Ecclesiis possit celebrari Missa sive lecta sive cantata, ante Missam Parochialem sive lectam sive cantatam?

20. An ad Parochum spectet facere Officium funebre super cadaveribus sepeliendis in dictis Ecclesiis et Oratoriis publicis Confraternitatum?

21. An intra ambitum earundem Ecclesiarum fieri possint Processiones, iuxta cuiusque Confraternitatis Institutum, absque interventu vel licentia Parochi?

22. An eadem Processiones fieri possint extra ambitum dictarum Ecclesiarum, absque licentia illorum Parochorum, per quorum territorium transeundum est?

23. An in dictis Processionibus Cappellani Confraternitatum possint deferre Stolum?

24. An Episcopo accedenti ad Ecclesias publicas Confraternitatum quae non sint Regularium, neque proprium Rectorem Beneficium habeant, porrigendum sit aspersorium a Parocho, in cuius territorio sunt sitae dictae Ecclesiae?

25. An earundem Ecclesiarum et Confraternitatum Rectores et Cappellanos possit Parochus, cessante speciali ac legitimo titulo et ex solo iure parochiali, compellere invitis ad assistendum functionibus Ecclesiae parochialis?

26. An in dictis Ecclesiis Confraternitatum, neque

Parochialibus neque Regularibus, retineri possit SS. Eucharistiae Sacramentum sine speciali Indulto Sedis Apostolicae?

27. Praesupposita facultate retinendi, an possit infra annum publice exponi sine licentia Ordinarii?

28. An possit Parochus se ingerere in administratione oblationum, elemosynarum in dictis Ecclesiis collectarum, vel capsulae pro illis recipiendis expositae clavem retinere?

29. An in Ecclesia parochiali Confratres vel eorum Cappellani immiscere se valeant, invito Parocho, in eiusdem Ecclesiae functionibus, sive parochialibus sive non parochialibus?

30. An Confraternitates, sive sint erectae in Ecclesia parochiali sive extra illam, possint pro libitu et iuxta uniuscuiusque peculiaria statuta Congregationes suas facere, absque interventu vel licentia Parochi?

31. An possint propria bona administrare ac de illis disponere, absque ulla dependentia a Parocho?

32. Quando Parochus eisdem Congregationibus intersit de mandato Ordinarii, et tanquam eius delegatus, an possit suffragium decisivum ferre? et quantum affirmative,

33. An etiam suffragium duplex?

S. R. C., re mature discussa, respondendum esse censuit:

Ad 1. « Affirmative ».

Ad 2. « Affirmative ».

Ad 3. « Negative ».

Ad 4. « Negative ».

Ad 5. « Negative ».

Ad 6. « Negative; sed benedictionem Fontis baptismalis fieri debere a Parochis ».

- Ad 7. « Negative, prout iacet ».
- Ad 8. « Negative, prout iacet; sed spectare ad Parochos ».
- Ad 9. « Negative, prout iacet; sed spectare ad Ecclesiam digniorem, ad formam Constitutionis Leonis X. n. 22, § 14 ».
- Ad 10. « Negative, prout iacet; sed licere Confratribus dumtaxat in Festivitatibus solemnioribus eiusdem Ecclesiae vel Oratorii ».
- Ad 11. « Negative ».
- Ad 12. « Negative; et quoad benedictiones cum Reliquiis et Imaginibus serventur Decreta ».
- Ad 13. « Satis provisum in superioribus ».
- Ad 14. « Affirmative, nisi aliter Ordinarius statuat ex rationabili causa ».
- Ad 15. « Affirmative ».
- Ad 16. « Affirmative ».
- Ad 17. « Negative ».
- Ad 18. « Affirmative ».
- Ad 19. « Negative; nisi aliter Episcopus disponat ».
- Ad 20. « Affirmative, quando tumulandus est subiectus Parocho, intra cuius fines est Ecclesia vel Oratorium ».
- Ad 21. « Affirmative ».
- Ad 22. « Negative, nisi adesset licentia Episcopi ».
- Ad 23. « Negative extra propriam Ecclesiam ».
- Ad 24. « Negative ».
- Ad 25. « Negative ».
- Ad 26. « Negative ».
- Ad 27. « Negative ».
- Ad 28. « Negative ».
- Ad 29. « Negative ».

Ad 30. « Affirmative, dummodo non impediatur functiones et divina Officia ».

Ad 31. « Affirmative ».

Ad 32. « Negative ».

Ad 33. « Negative ».

Et ita, salvis tamen conventionibus et pactis in erectione Confraternitatum forsitan factis, concordis inter partes initis et a S. Sede approbatis, Indultis, Constitutionibus synodalibus et provincialibus, consuetudinibus immemorabilibus vel saltem centenariis, declaravit ac decrevit: « Si SSmo Domino Nostro videbitur », Die 10 Decembris 1703.

Et facta deinde per me Secretarium de praedictis Decretis SSmo Domino Nostro relatione, praevia eorundem integra lectura, « SS. laudavit benigneque approbavit, et publicari et, non obstantibus quibuscumque aliis in contrarium facientibus, servari mandavit ». Die 12 Ianuarii 1704.

(Decr. authent. S. R. C. n. 2123).

VI.

Innocentii XIII Constit. « Apostolici ministerii » de restauranda ecclesiastica disciplina. — 13 Maii 1723.

Apostolici ministerii, quod Nobis, licet immerentibus, imposuit superni dispositio consilii, ratio praecipue exigit, ut ecclesiasticae disciplinae in iis, qui in sortem Domini vocati sunt, aut servandae, aut ubi opus fuerit, restaurandae, iuxta sacrorum canonum instituta, et sanctissimas Ecclesiae leges et ordinationes, omni studio advigilemus; post enim primi parentis lapsum semper ad inferiora nos deprimit humanae mortalitatis

- Ad 7. « Negative, prout iacet ».
- Ad 8. « Negative, prout iacet; sed spectare ad Parochos ».
- Ad 9. « Negative, prout iacet; sed spectare ad Ecclesiam digniorem, ad formam Constitutionis Leonis X. n. 22, § 14 ».
- Ad 10. « Negative, prout iacet; sed licere Confratribus dumtaxat in Festivitatibus solemnioribus eiusdem Ecclesiae vel Oratorii ».
- Ad 11. « Negative ».
- Ad 12. « Negative; et quoad benedictiones cum Reliquis et Imaginibus serventur Decreta ».
- Ad 13. « Satis provisum in superioribus ».
- Ad 14. « Affirmative, nisi aliter Ordinarius statuat ex rationabili causa ».
- Ad 15. « Affirmative ».
- Ad 16. « Affirmative ».
- Ad 17. « Negative ».
- Ad 18. « Affirmative ».
- Ad 19. « Negative; nisi aliter Episcopus disponat ».
- Ad 20. « Affirmative, quando tumulandus est subiectus Parocho, intra cuius fines est Ecclesia vel Oratorium ».
- Ad 21. « Affirmative ».
- Ad 22. « Negative, nisi adesset licentia Episcopi ».
- Ad 23. « Negative extra propriam Ecclesiam ».
- Ad 24. « Negative ».
- Ad 25. « Negative ».
- Ad 26. « Negative ».
- Ad 27. « Negative ».
- Ad 28. « Negative ».
- Ad 29. « Negative ».

Ad 30. « Affirmative, dummodo non impediatur functiones et divina Officia ».

Ad 31. « Affirmative ».

Ad 32. « Negative ».

Ad 33. « Negative ».

Et ita, salvis tamen conventionibus et pactis in erectione Confraternitatum forsitan factis, concordis inter partes initis et a S. Sede approbatis, Indultis, Constitutionibus synodalibus et provincialibus, consuetudinibus immemorabilibus vel saltem centenariis, declaravit ac decrevit: « Si SSmo Domino Nostro videbitur », Die 10 Decembris 1703.

Et facta deinde per me Secretarium de praedictis Decretis SSmo Domino Nostro relatione, praevia eorundem integra lectura, « SS. laudavit benigneque approbavit, et publicari et, non obstantibus quibuscumque aliis in contrarium facientibus, servari mandavit ». Die 12 Ianuarii 1704.

(Decr. authent. S. R. C. n. 2123).

VI.

Innocentii XIII Constit. « Apostolici ministerii » de restauranda ecclesiastica disciplina. — 13 Maii 1723.

Apostolici ministerii, quod Nobis, licet immerentibus, imposuit superni dispositio consilii, ratio praecipue exigit, ut ecclesiasticae disciplinae in iis, qui in sortem Domini vocati sunt, aut servandae, aut ubi opus fuerit, restaurandae, iuxta sacrorum canonum instituta, et sanctissimas Ecclesiae leges et ordinationes, omni studio advigilemus; post enim primi parentis lapsum semper ad inferiora nos deprimit humanae mortalitatis

infirmitas, et carnis fragilitate observantiae vigor paulatim relaxatur; unde et de mundano pulvere religiosa etiam corda sordescere, et in ipso agro Domini spinas ac tribulos identidem germinare, quotidiana experientia edocemur: quod si noxia inde evellantur et utilia plantentur, dubitandum non est, quin uberior, benediciente Domino, electi sanctorum operum frumenti messis exsurgat, omnisque populus in via Domini, prae-lucente clero, feliciter progrediatur. Cum itaque dilectus Filius Noster Ludovicus S. R. E. Cardinalis Beluga et Moncada nuncupatus, ecclesiae Carthaginensi, ex concessione et dispensatione Apostolica Praesul, in ipsius Pontificatus Nostri primordiis, Nobis exposuisset, nonnulla ecclesiasticae disciplinae rationibus ac saluberrimis sacri oecumenici Tridentini decretis haudquam consentanea sensim in diversis inclytæ nationis Hispanicae locis obrepisise, iisque ut opportunum remedium adhiberetur a Nobis, quibus est commissa plenitudo sollicitudinis, nedum ipse Ludovicus Cardinalis et Praesul, sed et alii venerabiles Fratres Archiepiscopi et Episcopi regnorum Hispaniarum humiliter postulassent: eorumque enixis precibus sua etiam studia ac vota carissimus in Christo Filius Philippus Hispaniarum rex Catholicus, pro eius singulari pietate et oximio christianæ religionis zelo, datis hac de re ad Nos pluribus literis, coniunxisset: Nos Congregationi particulari nonnullorum ex venerabilibus Fratribus Nostri eiusdem S. R. E. Cardinalibus Concilii Tridentini Interpretibus, a Nobis deputatorum, rem omnem sedulo examinandam demandavimus. Id autem cum ab ipsa Congregatione Cardinalium, ea, qua par erat, maturitate praestitum, illiusque sententia ad Nos per eiusdem Congregationis Secretarium relata fuerit; de

memoratorum Cardinalium consilio, congruum et opportunum duximus ea, quae infra sequuntur, ad omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiae utilitatem, veteris disciplinae instaurationem et spiritualem regnorum Hispaniarum aedificationem, hac Nostra perpetuo valitura Constitutione statuere, decernere et declarare:

1. « Primum igitur, cum a Patribus memorati Concilii Tridentini, Divino afflante Spiritu, sapientissime animadversum fuerit, quantum christianae reipublicae intersit, accuratum haberi delectum circa eos, quibus sacra ministeria committenda sunt, et in quorum vitam ceteri fideles iugiter oculos coniciunt, sumpturi inde sunt exemplum, quod imitentur, proptereaque provide ab iisdem Patribus cautum fuerit, ecclesiasticae militiae per primam tonsuram adscribendos non nisi illos esse, qui probabilem praebeant coniecturam, se non saecularis iudicii declinandi consilio, sed sincero animo praestandi fidelem cultum ac servitium Deo, hoc vitae genus elegisse, volumus, ut pro tutiori ipsius conciliaris sanctionis executione, ab omnibus regnorum Hispaniarum huiusmodi Archiepiscopis et Episcopis non alii ad primam tonsuram in posterum admittantur, quam quibus ecclesiasticum aliquod beneficium statim conferendum sit: aut quos constiterit literarum studio operam sic dare, ut quasi in via ad Ordines, tum minores, tum etiam deinde maiores suscipiendos versari videantur; vel demum quos viderint expedire alicuius ecclesiae servitio vel ministerio deputari.

2. « Et tam in his, qui ad primam tonsuram, quam in aliis, qui promoveri ad Ordines etiam minores optaverint, omnino servetur pariter regula ab eodem Concilio Tridentino tradita; nimirum, ut nullus ordinetur, qui iudicio sui Episcopi non sit utilis aut ne-

cessarius suis ecclesiis, quique illi ecclesiae, aut pio loco, pro cuius utilitate aut necessitate assumitur, non adscribatur, ubi re ipsa functiones muneri suo consentaneas exercent. Quod si qui modo reperiantur, vel clericali tonsura iam initiati, vel ad Ordines sive minores sive maiores iam promoti, qui nulli certae ecclesiae vel loco pio adscripti fuerint, Episcopi adscriptionem huiusmodi, vel a seipsis vel a praedecessoribus suis omissam, statim supplicent, non minus quoad omnes in maioribus Ordinibus etiam presbyteratus constitutos, quam quoad eos, qui vel sola prima tonsura vel minoribus Ordinibus initiati, beneficium tamen ecclesiasticum possident; ex reliquis autem, ut praefertur, vel sola prima tonsura insignitis vel in minoribus Ordinibus constitutis, sed beneficio carentibus, non nisi eos adscribant, quos ecclesiis suis utiles vel necessarios esse iudicaverint. Ceterum antedictae adscriptionis executionem differri posse per aliquod temporis spatium, quod ipsis Episcopis conveniens videbitur, permittimus quoad eos, qui a dioecesi, in qua tonsuram vel Ordines susceperunt, causa ediscendi literarum scientias in aliqua publica universitate vel gymnasio, sive ex alia rationabili causa a suo Episcopo approbata vel approbata, absentes reperiantur.

3. • Cum autem clerici, qui in episcopalibus seminariis educantur, ut commodius ad literarum sacrarumque rerum studia operam conferre aliisque a Concilio Tridentino praescriptis addiscendis magis assidue incumbere possint, teneantur iuxta eiusdem Concilii decretum diebus tantum festis cathedrali aliisque loci ecclesiis inservire: hanc quidem servitii per eos obeundi rationem servari in omnibus Hispaniarum dioecibus, necnon ipsos generalibus dumtaxat totius cleri suppli-

cationibus sive processionibus interesse volumus et mandamus; sublata quacumque maioris servitii consuetudine, etiam immemorabili, postpositaque etiam quacumque appellatione aut inhibitione. Quod si aut seminarium reperiat, cuius fundatione aliter cautum esset ob adiectam gravioris servitii legem ab illo, qui seminarium ipsum fundaverit seu dotaverit, vel ei piam aliquam largitionem contulerit, Episcopi ad Nos et pro tempore existentem Romanum Pontificem id referant, ut desuper opportune provideri valeat.

4. • Praeterea, cum maxime deceat eos, qui propius ad sacratissima mysteria accessuri sunt, ultra cetera requisita, congruenti etiam pollere scientia, qua praediti viam salutis indicare aliis Christianis possint, Episcopi non nisi eos ex clero tam saeculari quam regulari ad sacros Ordines admittant, quos ob scientiam aliasque qualitates eo gradu vere dignos per diligentem inquisitionem compererint; adeo ut satis non sit illos, qui promovendi ad Ordines praedictos optant, linguam latinam intelligere, catechismo instructos esse, atque apte respondere quaesitis circa Ordinem suscipiendum sibi in examine propositis. Qui vero ad presbyteratum erunt assumendi, idonei prius per accuratum similiter examen comprobentur ad ministranda Sacramenta, et ad populum docendum ea, quae scire omnibus necessarium est ad salutem: quod quidem ut recte praestari possit, eosdem Episcopos in Domino hortamur, ut quantum fieri potest, eos tantum ad sacerdotium assumant, qui saltem theologiae moralis competenter periti sint.

5. • Quod si domicilium in una dioecesi habentes, beneficium vero in altera, ordinari ad eiusdem beneficii titulum optaverint ab Episcopo, in cuius dioecesi beneficium huiusmodi situm est, Episcopus domicilii

debeat eos, si in suam dioecesim reversuri sunt, super scientia vel idoneitate examinare ante concessionem litterarum testimonialium super eorum natalibus, aetate, moribus et vita, iuxta Constitutionem fel. rec. Innocentii Papae XII Praedecessoris Nostri, quae incip. *Speculatoris*, obtinendarum; addito quoque compertae idoneitatis testimonio in iisdem literis; haeque concedi nullatenus debeant, si antedicto examine tamquam habiles approbati non fuerint, iisque iuxta praemissam formam non impetratis, minime possint ab aliquo Episcopo, cui etiam ratione obtenti beneficii subiecti sint, ad Ordines promoveri: sique secus fiat, ordinans quidem a collatione Ordinum per annum, ordinatus vero a susceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, eo ipso suspensus sit, aliisque insuper gravioribus poenis, pro modo culpa, Nostro et pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio infligendis, uterque subiaceat. Cumque etiam, iuxta memoratam Innocentii Praedecessoris Constitutionem, ratione ac titulo beneficii in aliena dioecesi obtenti, non aliter liceat Ordines ab Episcopo eiusdem dioecesis suscipere, quam si beneficium praedictum sit eius redditus, ut ad congruam vitae sustentationem, deductis oneribus, per se sufficiat, declaramus, sufficientiam huiusmodi praefiniendam esse, non iuxta taxam synodalem sive morem pro promovendis ad sacros Ordines vigentem in loco praedicti beneficii (nisi tamen illud continuam et praecisam residentiam requirat), sed iuxta taxam, vel, ea deficiente, iuxta morem, in alio loco domicilii vigentem.

6. « Porro ad sartam tectamque servandam ecclesiasticam disciplinam non minus momenti habet, quod clericali militiae nomen dare non permittatur iis, qui

haud satis idonei sint, quam quod, eidem militiae iam adscripti, laudabilem vivendi rationem sectentur, eamque morum exhibeant innocentiam, quae sanctitati suscepti instituti respondeat, multoque magis quod abstineant ab iis, quae a sacris canonibus iure meritoque vetita sunt, uti prorsus indigna hominibus tabernaculum Domini inhabitantibus, et venerando altaris ministerio dedicatis. Statuimus propterea atque decernimus, quod, si qui sunt clerici, aut prima tonsura, aut Ordinibus minoribus initiati, nullumque ecclesiasticum beneficium possidentes, qui, neglectis Concilii Tridentini decretis, habitum clericalem ac tonsuram non deferant, vel si etiam deferant, non tamen certae ecclesiae aut loco pio, cui ex mandato Episcopi adscripti fuerint, inserviant, sive in seminario ecclesiastico vel in aliqua schola aut universitate de licentia sui Ordinarii non versentur, Episcopi, nulla etiam praemissa monitione, eos privilegio fori privatos declarent, eorumque adscriptionem servitio certae ecclesiae antea factam deleri iubeant. Si qui meliorem vitae rationem non inierint, aut etiam si alii sint, quos ex propria culpa efficiendos idoneos promotioni ad sacros Ordines sperari nequeat, iisdem Episcopi, servata forma a sacris canonibus tradita, ad privationem aliorum clericalium privilegiorum contra ipsos procedant. Ubi vero reperiantur clerici capellaniae vel beneficia cuiuscumque etiam tenuis redditus obtinentes, quorum improbata vita, aliis offensionem praebens, destruat potius quam aedificet, vel concubinari, aut foeneratores, vel ebrietati, ludivae alcarum dediti, vel sutores rixarum, vel negotiatores, vel arma gestantes, vel incertis sedibus vagantes, vel clericalem habitum tonsuramque non deferentes, vel ecclesiastica immunitate in fraudem tributorum et ve-

ctigalium, a laicis non exemptis solvendorum, temere abutentes, vel qui demum similia aut maiora crimina patrantes, numero magis quam merito ad ecclesiam pertinere visi fuerint, Episcopi, praemissis tamen necessariis monitionibus, servatisque aliis de iure servandis, contra ipsos ad poenas a Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris et a sacris Conciliis impositas, et etiam ad privationem beneficiorum et capellaniarum et ecclesiasticorum officiorum, in omnibus illis casibus, in quibus praedicta privatio a sacris canonibus imposita est, humanis quibuscumque rationibus posthabitis, procedant, memores, se ipsos neglectae subditorum emendationis condignas, Deo vindice, poenas persolutores.

7. « Sed et cum personae ecclesiasticae nunquam satis in obsequiis supremo Numini exhibendis, iisque praestandis, quae eorum statui consentanea sunt, exerceeri valeant; plurimum in Domino commendamus pium morem in plerisque Hispaniarum diocesis vigentem, ut clerici tam in minoribus quam in maioribus Ordinibus constituti, atque etiam presbyteri, tametsi beneficia vel officia ecclesiastica non habentes, superpelliceo induti in ecclesiis, quibus adscripti fuerint, Missae conventuali cum cantu celebratae, necnon primis et secundis Vesperis officii, diebus Dominicis, aliisque festis assistant. Quin imo enixe hortamur, ut Episcopi aliarum diocesium, in quibus mos ille institutus hactenus non fuerit, id in posterum servari curent in omnibus, ac insuper satagant, ut omnes ecclesiastici praedicti etiam collationibus habendis coram parochis suis vel aliis ab Episcopo deputatis, super casibus conscientiae forum concernentibus et super ritibus ac caeremoniis sacris intersint.

8. « Et quoniam in praedictis Hispaniarum regnis reperiri intelleximus beneficia et cappellanas, etiam de iurepatronatus, vel ecclesiasticorum, vel laicorum, nullo tamen certo proventu instructas, vel adeo tenui, ut nec ad dimidiam, nec ad tertiam partem congruae, pro clericis ad sacros Ordines promovendis necessariae, ascendant, malis haud quidem levibus inde erumpentibus occurrere cupientes, statuimus et mandamus, quod Episcopi ad beneficiorum et capellaniarum, quae nullum certum reditum habent, suppressionem statim deveniant. De aliis vero beneficiis et cappellaniis, quarum certus annuus fructus ad memoratam saltem tertiam congruae partem non ascendit, decernimus, nulli in posterum conferendam esse primam tonsuram ratione iuris assequendi aliquid ex dictis beneficiis et cappellaniis. Utque patronatum iura, quantum fieri possit, salva remaneant, liceat patronis tam ecclesiasticis, quam laicis, ad dicta beneficia et cappellanas nominare, non tamen veluti ad beneficia ecclesiastica, requirementia in nominandis primam tonsuram, sed tamquam ad legata pia; et nominati, tametsi primam tonsuram non habentes, ea retinere possint uti pia legata, cum onere adimplendi omnia onera a fundatoribus iniuncta.

9. « Non sine gravi animi Nostris dolore etiam accepimus, quod, quamquam Tridentina Synodus decreverit, omnes, qui parochiales vel alias curam animarum annexam habentes ecclesias quocumque modo obtinent, debere diebus saltem Dominicis, et festis solemnibus plebes sibi commissas, pro sua et earum capacitate pascere salutaribus verbis, docendo ea, quae Christifideles ad salutem scire oportet, ac explicando divinae legis praecepta fideique dogmata, puerosque eiusdem fidei rudimentis imbuendo, et brevi facillique

sermone vitia denunciando, quae declinare, et virtutes, quas sectari oporteat; nihilominus nonnulli parochialium ecclesiarum rectores, haec, quae suarum partium adeo sunt, praetermittunt, culpam huiusmodi a se amoliri nitentes, vel praetextu immemorabilis, sed quidem pravae consuetudinis, vel quia haec ab ipsis praestari necesse non videatur, suppetente nimirum copia aliorum habentium sacras condones in aliis ecclesiis, itemque imbuentiam pueris mysteriis fidei, vel in scholis, vel in compitiis. Ne itaque sub inanistarum aliarumque similium excusationum praetextu tanta christianae reipublicae pernicies struatur, districte praecipimus singulis Hispaniarum Archiepiscopis et Episcopis, ut omnino efficiant, quod omnes ii, qui animarum curam gerunt, munia praedicta per seipsos, vel, si legitime impediti fuerint, per alios idoneos diligenter exsequantur. Si vero aliqui non satis habiles ad illa obeunda reperiantur, iidem Archiepiscopi et Episcopi per alios, a se deputandos, sumptibus parochorum minus idoneorum, opportune suppleri curent; et in posterum beneficia, quibus animarum cura imminet, nonnisi vere idoneis ad memorata officia per se ipsos adimplenda conferantur.

10. « Praeterea, ne Constitutionis sancti Pii V, etiam Praedecessoris Nostri, in qua taxatur congrua fructuum portio, vicariis perpetuis animarum curam exercentibus assignanda, interpretationem ab eius sententia alienam fieri contingat, declaramus: Constitutionem illam pertinere dumtaxat ad vicarios perpetuos illarum ecclesiarum parochialium, quae aliis ecclesiis, monasteriis, collegiis, beneficiis et locis piis unitae sint: necnon, portionem annuam fructuum, quae ibidem statuitur assignanda ipsis vicariis in summa non maiori,

quam centum, nec minori, quam quinquaginta scutorum, intelligi debere de scutis argenteis iuliorum decem monetae Romanae pro quolibet scuto.

11. « Quoties itaque in aliis parochialibus ecclesiis, quae, ut praefertur, unitae non sint, oportuerit ex aliqua iusta causa provideri per coadiutores parochorum, aut per vicarios temporarios, curae erit Episcopis, pro data sibi a Tridentina Synodo potestate, partem fructuum praedictis coadiutoribus aut vicariis assignandam, determinare in ea quantitate, quae pro suo prudenti arbitrio et conscientia conveniens videbitur, ratione videlicet habita reddituum et emolumentorum ecclesiae parochialis, in qua deputati fuerint, necnon inspectis conditionibus loci, numero animarum, qualitate laboris et quantitate impensarum, quas commissi officii necessitas postulaverit. Quod si parochi ab Episcopis moniti, congruo iisdem termino praefixo, coadiutores, sive vicarios temporarios, quoties opus fuerit, assumere neglexerint, poterunt ipsi Episcopi eos quos huic muneri idoneos censuerint, auctoritate propria deputare cum assignatione antedictae portionis fructuum. Et nihilominus, ubi etiam praedicti coadiutores, aut vicarii temporarii a parochis nominati, vel assumpti fuerint, eorum de idoneitate Episcopis constare per examen debeat, antequam ad exercitium admittantur; nec satis sit, quod ad confessiones audiendas antea fuerint approbati, nisi aliis etiam qualitatibus, ad curam animarum recte exercendam opportunis, praedicti noscantur. Quibus si careant, nec parochi deinde intra alium similem terminum, ab Episcopis praefigendum, alios vere idoneos nominaverint, tunc pariter ad ipsos Episcopos libere spectet deputatio cum dicta congruae assignatione; nec ulla parochorum contradictio, aut exemptio, aut appel-

latio, aut cuiuscumque iudicis inhibito executionem deputationis et assignationis certae partis fructuum in casibus praemissis suspendere possit, itemque non obstante qualibet contraria consuetudine, etiam immemorabili.

12. « Verum quia non satis animarum curae et necessitatibus quandoque consultum est per hoc, quod ad obeunda parochialia munia alii sacerdotes parochis adiungantur, sed maiora remedia adhiberi oportet, quoties nempe ob locorum distantiam, siue itineris difficultatem parochiani sine magno incommodo pro Sacramentis percipiendis, divinisque officiis audiendis accedere ad ecclesiam parochialem nequeant, tunc quidem meminerint Episcopi, licere sibi pro suo arbitrio, in vitis etiam rectoribus, vel intra eandem parochias destinare alias ecclesias, in quibus sacerdotes parochorum coadiutores Sacramenta ministrent, et divinum cultum exhibeant, vel novas parochias novasque parochiales ecclesias a veteribus distinctas constituere, iisque novos parochos praeficere, assignata ex redditibus, ad veterem parochialem ecclesiam quomodocumque pertinentibus, convenienti portione ad victum eorum, qui vel tamquam coadiutores in dictis aliis ecclesiis deputati, vel tamquam distincti et independentes parochi curam animarum exercuerint, nulla ad praemissa impedienda suffragante appellatione aut inhibitione.

13. « Cum ex praescripto quoque Tridentinae Synodi Episcopis is honor tribuendus sit, qui eorum dignitati convenit, eisque in choro et in Capitulo, in processionibus et aliis actibus publicis primus locus esse debeat, et praecipua omnium rerum agendarum auctoritas, mandamus id religiose ac perpetuo observari in omnibus actibus, adeo iustae huiusmodi prae-

minentiae et auctoritati consentaneis, non obstantibus privilegiis etiam ex fundatione competentibus, consuetudinibus etiam immemorabilibus, sententiis, iuramentis et concordis, quae suos tantum obligent auctores.

14. « Praeterea, ut claustralis disciplinae vigor illibatus permaneat, Pontificiae Nostrae sollicitudinis partes etiam duximus interponendas. Cum itaque experientia compertum fuerit, quantum detrimenti illi afferatur, ex quo plures ad religiosum habitum admittantur, quam vires redituum patiantur, moderno, pro tempore existenti Nostro et Apostolicae Sedis in iisdem Hispaniarum regnis Nuntio pro praesentes committimus et mandamus, ut curet et vigilantiam adhibeat, ne contra praescriptum memorati Concilii Tridentini in monasteria, conventus et domos, tam virorum, quam mulierum, siue bona immobilia possideant, siue non possideant, maior numerus recipiatur, quam qui vel ex proventibus propriis ipsorum monasteriorum, conventuum aut domorum, vel ex consuetis elemosynis, aliisque quibuscumque obventionibus, in commune tamen conferendis, commode possit sustentari.

15. « Quoties vero Regulares ad Ordines erunt promovendi, servetur omnino decretum Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, a piae memoriae Clemente Papa VIII, Praedecessore etiam Nostro, confirmatum die 15 Martii 1596, quo sancitur, non ad alium, quam ad Episcopum dioecesanum literas dimissorias pro eorumdem Ordinum susceptione a suis Superioribus esse dirigendas, praeterquam in casu, quo Dioecesanus a dioecesi abesset, vel ordinationes non esset habiturus; quo etiam casu in literis dimissoriis ad alium Episcopum dirigendis expressa fieri debeat mentio vel de praedicta Episcopi dioecesani absentia,

vel de illa alia causa, videlicet, quod ordinationes non sit habiturus; exceptis tamen, quoad praedicta, Regularibus illis, quibus per speciale privilegium a Sede Apostolica post Concilium Tridentinum fuerit concessum, ut a quolibet catholico Antistite Ordines suscipere possint, super quo indulto nihil per praesentes innovare intendimus. Noverint autem Episcopi, se debere per semetipsos, secluso aegrotationis casu, Ordines conferre, et sacrorum Ordinum collationem statutis a iure temporibus, ac in cathedrali ecclesia, vocatis et adstantibus canonicis, publice habendam esse: vel si in alio dioecesis loco, semper tamen in ecclesia, quantum fieri poterit digniori, et praesente clero eiusdem loci. Ne vero incertitudo, an ipsi ordinationes sint habituri, nimis grave afferat incommodum promovendis, varia dioecesis loca inhabitantibus, per mensem ante singulis vicibus publico edicto ab iisdem Episcopis denuntietur, se ordinationes esse habituros, adeo ut quoties denuntiatio huiusmodi facta non fuerit, inde satis intelligant Regulares, Episcopum dioecesanum ordinationes ea vice minime esse habiturum, sibi que idcirco licitum futurum, Ordines ab alio Episcopo suscipere cum literis dimissoriis suorum Superiorum ad eum directis, servata in iis forma superius expressa.

16. « Episcopi in omnibus mulierum monasteriis sibi subiectis ordinaria, in aliis vero exemptis auctoritate Sedis Apostolicae inconcusse observari curent, quae circa sanctimonialium clausuram, vetitumque in dicta monasteria ingressum tam in decretis Tridentinae Synodi, quam in Constitutione similis memoriae Gregorii Papae XIII, etiam Praedecessoris Nostri, edita Idibus Ianuarii anni 1575 provide ordinata sunt.

17. « Perpendentes etiam christianae reipublicae in

primis expedire, ut ministerium ac potestas clavium in remittendis retinendisque peccatis recte exerceatur, declaramus, sacerdotes, tam saeculares quam Regulares, qui ab Episcopis obtinerint licentiam audiendi confessiones limitatam, vel quoad locum, vel quoad genus personarum, vel quoad tempus, non posse Poenitentiae Sacramentum administrare extra tempus, vel locum, vel genus personarum, ab ipsis Episcopis praescriptum, quocumque privilegio, etiam in vim Bullae, quae appellatur Cruciatæ Sanctae, competente, nullatenus suffragatur. Cumque idem Innocentius Praedecessor per suas die decima nona Aprilis anni millesimi septingentesimi expeditas Literas decreverit, sacerdotibus tam saecularibus quam Regularibus non licere confessiones eorum, a quibus ex indulto praedictae Bullae Cruciatæ ad id electi fuerint, audire absque praecedenti approbatione Ordinarii illius loci, in quo ipsi poenitentes degunt, et confessores eligunt, etiamsi ab Ordinariis illis, qui confessores electos approbassent, subditi essent; necnon confessiones aliter factas ac respective exceptas nullas fore, irritas et invalidas, et confessores ipso iure suspensos esse: Nos eandem Constitutionem approbantes, confirmantes et innovantes, declaramus insuper, praedictis sacerdotibus, tam saecularibus quam Regularibus ad confessiones excipiendas, vel ex vi praedictae Bullae Cruciatæ, vel ex quocumque alio privilegio electis, suffragari minime etiam posse, quod approbati alias fuerint ab Episcopo illo, qui aliquando fuerit Ordinarius loci, in quo confessiones audiendae sint, sed talis tunc temporis amplius non existat, vel quia ab humanis excesserit, aut episcopatus renuntiaverit, vel quia ad aliam ecclesiam auctoritate Apostolica translatus reperitur; sed necessariam omnino esse illius, qui

actualiter et pro tempore ordinariam iurisdictionem in ea dioecesi exerceat, approbationem. Haec tamen suffragetur, etiam tacita, eaque adesse censeatur, quousque praecedens licentia sive approbatio duret et revocata ab eo non fuerit; in quo casu nova et expressa impetranda erit, si illa praecedenter obtenta, vel per temporis adscripti lapsum exspiraverit, vel per posteriorem revocationem sublata fuisset.

18. « Meminerint quoque Regulares, se excipere non posse confessiones monialium, tametsi eorum regimini et gubernio subiectae sint, nisi ultra licentiam suorum Praelatorum regularium, praecedat examen coram Episcopo dioecetano faciendum, eiusque specialis quoad confessiones dictarum monialium approbatio: remota quacumque contraria consuetudine, etiam immemorabili.

19. « Cumque ex eodem Concilio Tridentino confessor extraordinarius bis aut ter in anno offerri monialibus debeat, qui omnium confessiones audiat, si in posterum Superiores regulares, quoad monasteria ipsis subiecta, toties praedictum extraordinarium confessorem deputare neglexerint, vel si etiam ex proprio eodem Ordine semper deputaverint, nec saltem semel in anno ad id munus elegerint sacerdotem, aut saecularem, aut regularem, alterius diversi Ordinis professorem, in his casibus Episcopi pro suo arbitrio et conscientia deputationem huiusmodi facere possint, nec illa, quovis titulo, aut praetextu, a Superioribus regularibus valeat impedi.

20. « Episcopi insuper abusus omnes, qui in ecclesiis, aut saecularibus, aut regularibus, contra praescriptum Caeremonialis Episcoporum et Ritualis Romani, vel rubricas Missalis et Breviarii irreperant, stu-

deant omnino remove. Et, si adversus ea, quae in dicto Caeremoniali statuta sunt, consuetudinem etiam immemorabilem allegari contingat, postquam recognoverint, aut eam non satis probari, aut etiam probatam suffragari, utpote irrationabilem, de iure non posse, executioni eorum, quae in dicto Caeremoniali constituta sunt, diligenter incumbant, nec ulla suspensiva appellatio admittatur.

21. « Sedulo pariter curent iidem Episcopi, ut eminentur abusus, si qui forsitan, tam quoad ecclesiasticos saeculares, quam quoad Regulares inducti fuerint adversus Concilii Tridentini decretum de observandis et evitandis in celebratione Missarum *Sess. 22*, et contra Regulares, si opus fuerit, procedant ex Apostolica delegatione in eo decreto ipsis indulta, postposita quacumque appellatione suspensiva, sed solum reservata in devolutivo super quocumque dubio, quod excitari contingeret, declaratione Congregationis pro tempore existentium S. R. E. Cardinalium memorati Concilii Interpretum.

22. « Cumque circa Missarum celebrationem in privatis oratoriis, necnon circa usum altaris gestatorii a recol. mem. Clemente Papa XI, Praedecessore etiam Nostro, opportunum decretum promulgatum fuerit die 15 Decembris anni 1703, Episcopi dent operam, ut omnia ibidem statuta, etiam in regnis Hispaniarum serventur, idemque decretum in suis respective dioecibus, ut facilius omnibus innotescat, publicari faciant; addita etiam prohibitione, ne in privatis Regularium cellis, sive cubiculis, erigatur altare pro re sacra ibidem facienda, et contra quoscumque contravenientes censuris etiam ecclesiasticis procedant, adhibita quoad Regulares auctoritate Sedis Apostolicae, in memorato

decreto ipsis delegata, remotaque quacumque contraria consuetudine, etiam immemorabili. Declaramus tamen, quod cum in praedicto decreto statuatur, non licere Episcopis extra domum propriae habitationis in domibus laicis erigere altare, ibique Sacrosanctum Missae sacrificium celebrare, sive celebrari facere, huiusmodi prohibitio intelligenda non sit de domibus etiam laicis, in quibus ipsi Episcopi forte occasione visitationis, vel itineris hospitio excipiantur, ut nec etiam quando Episcopi in casibus a iure permissis, vel de speciali Sedis Apostolicae licentia absentes a domo propriae ordinariae habitationis, moram idcirco faciant in aliena domo per modum similis habitationis: his enim casibus licita lis erit erectio altaris ad effectum praedictae celebrationis, non secus, ac in domo propriae ordinariae habitationis.

23. « Praecipimus quoque accurate attendi ac adimpleri, quaecumque alia praescribuntur in eiusdem generalis Synodi *Sess. 25.* de Regularibus et monialibus. Cumque in *cap. 25.* amplissime derogetur omnibus contrariis privilegiis, sub quibuscumque formulis verborum conceptis, ac mare magnum appellatis, etiam in fundatione obtentis, necnon constitutionibus et regulis etiam iuratis, atque etiam consuetudinibus vel praescriptionibus, etiam immemorabilibus, sciant omnes, derogationem huiusmodi non ad ea tantum referri, quae in praedicto capite continentur, sed etiam ad alia, quae in singulis superioribus capitibus eiusdem Sessionis constituta sunt.

24. « Ad haec, ut recta in iudiciis ratio servetur, praecipimus, quod, ubi in causis criminalibus Ordinarii locorum in regnis Hispaniarum processerint ex officio, hoc est, non ad ullius querelam sive accusationem, si

ad eorundem Ordinarium sententiis appellatio vel ad Sedis Apostolicae Nuntium, vel ad Metropolitanos interposita fuerit, tunc (ne alioquin, si nullus actoris partes gerat, delinquentes poenam suis criminibus debitam effugiant), Procuratores fiscales tribunalis Nuntiaturae Apostolicae, et respective etiam Curiae Metropolitanae instantias aliosque actus desuper necessarios peragant et prosequantur, ut praedictae Ordinarium sententiae iustam confirmationem et executionem obtineant. Quod si dietis Procuratoribus fiscalibus non citatis et inauditis contrarias sententias in gradu appellationis proferri contigerit, istae prorsus nullae sint ac irritae cum omnibus actis gestis, nullumque sortiri debeant effectum: quin immo praecedentes Ordinarium sententiae executioni mandentur, perinde ac si appellatio ab iis interposita nullatenus fuisset.

25. « Ceterum, cum generaliter circa appellationes et inhibitiones satis provisum fuerit per Constitutionem piaem mem. Innocentii Papae IV, Praedecessoris etiam Nostri, in *cap. Romana*, ac etiam per decreta Concilii Tridentini, itemque alia edita die 16 Octobris 1600 a Congregatione negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, et a praefato Clemente VIII Praedecessore confirmata, ac denique etiam illa promulgata tempore Pontificatus similis mem. Urbani Papae VIII, Praedecessoris itidem Nostri, die videlicet 5 Septembris 1626, volumus et mandamus, quod quidquid in omnibus memoratis Constitutionibus et decretis statuitur, diligentissime per omnes iis comprehensos observetur in causis ad curias ecclesiasticas pertinentibus in regnis Hispaniarum; quacumque consuetudine etiam immemorabili, vel quovis privilegio

aut stylo concedendi etiam quasdam inhibitiones nuncupatas temporarias, penitus excluso.

26. « Quo vero ad iudices conservatores et modum ac facultatem procedendi in causis civilibus, quae ad eorum cognitionem pertinere possint, inviolate custodienda erit norma praescripta in Constitutionibus fel. record. Innocentii IV, Alexandri IV, Bonifacii VIII, Gregorii XV, aliorumque Romanorum Pontificum, Praedecessorum Nostrarum, hac de re editis, necnon in decretis Concilii Tridentini, sub poenis ibidem contentis, quas praesenti Nostra Constitutione innovamus et confirmamus; hoc etiam addito, ut iidem iudices conservatores et mandatorum suorum executores exhibere debeant Episcopis aliisque locorum Ordinariis literas suae deputacionis, quarum vigore procedere intendant.

27. « Enixe denique et ex intimo patrum cordis Nostri sensu omnes e religiosissima Hispanica natione monemus, ut memores sint, teneri se exacte, firmiter et cum effectu observare etiam omnia et singula in ceteris omnibus eiusdem Tridentini Concilii decretis sancita. Et ne eorum executio posthac ullo modo impediatur, declaramus, nullum pro impedienda aut suspendenda executione conciliarium sanctionum eiusmodi aut decretorum, quae ab Ordinariis edita fuerint, pro executione pariter eorum, quae in ipso Concilio statuta sunt, suffragari posse, ac debere contrarium privilegium, quod ante praedicti Concilii promulgationem a Sede Apostolica obtentum fuerit, nisi etiam post ipsum Concilium fuerit in forma specifica ab eadem Apostolica Sede confirmatum, vel noviter concessum; itemque obstat non posse ullum statutum vel concordiam, quae a praedicta Apostolica Sede specialiter confirmata non sit, neque quaecumque

longaevum non usum aut contrariam consuetudinem vel praescriptionem, etiam centenariam vel immemorabilem, nisi forsitan praefatae consuetudinis aut praescriptionis materia capax sit, et insuper consuetudo, aut praescriptio immemorabilis probata iam sit et admissa a competenti iudice per tres sententias conformes, vel per unam, quae in iudicatum transierit, nec demum quamcumque appellationem sive inhibitionem, etiam temporariam; reservato dumtaxat recurso in devolutivo ad memoratam Congregationem Cardinalium eiusdem Concilii Interpretum; quibus etiam tamquam exsequutoribus praesentium Nostrarum Literarum, non solum committimus et mandamus, ut eas ipsarumque decreta et ordinationes omnes perpetuo et inviolabiliter observari faciant cum eadem potestate, quae iisdem Cardinalibus a Sede Apostolica tributa est pro executione decretorum memorati Concilii, sed etiam privative facultatem impertitur, quandocumque opus fuerit, interpretandi, explicandi, ac declarandi eandem Nostram Constitutionem, omnesque et singulas ordinationes in ea contentas (exceptis his, quae ad Caeremoniae Episcoporum, Rituale Romanum, et rubricas Missalis et Breviarii pertinent), quatenus illis dubietas aliqua aut difficultas emergerit, non retardata tamen interim illarum executione, adeo ut ante huiusmodi executionem nec ullus recursus ad eandem Congregationem Cardinalium, nec ulla super quovis dubio consultatio promoveri possit. Decretis vero et declarationibus a praedicta Congregatione faciendis, postquam Nostra, aut Romani Pontificis pro tempore existentis approbatio accesserit, statim quaecumque reclamatio, aut consultatio omnino cessare, perpetuumque silentium desuper positum censi debeat.

« Decernentes, pariter easdem, etc.

« Non obstantibus praemissis, ac quatenus opus sit, etc.

« Volumus autem, etc.

« Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die 13 Maii 1723, Pontificatus Nostri anno secundo. »

ALERE FLAMMAM
VERITATIS

VII.

Benedicti XIII Constitutio « Pastoralis officii », qua praebendae theologalis et canonici poenitentiarum in ecclesiis cathedralibus Italiae, insularumque adiacentium, ubi non sunt, institutioni constituitur, cum aliis ordinationibus. — XIV Kal. Jun. 1725.

1. Pastoralis officii Nostri esse ducimus, assiduo enixoque studio curare, ut universa Sacrae Tridentinae Synodi decreta ubique inviolabiliter observentur; sed eorum prae ceteris executionem strenue promovendam, urgendamque Nobis esse arbitramur, ex quibus maiorem in Ecclesia Dei utilitatem proventuram fore conspiciamus, ac eos potissimum, quorum opus in praedicatione et doctrina consistere debet, ut cunctos aedificent tam fidei scientia, quam actionum disciplina, excitari maxime posse confidimus ad impensius frequentandam tantopere necessariam sanctarum Scripturarum lectionem, quas qui nescit, ut beatus Hieronymus admonet, nescit Dei virtutem eiusque sapientiam; nam ignoratio Scripturarum ignoratio Christi est.

2. Cum itaque, saluberrimo praedicti Concilii Tridentini decreto, relato in *cap. 1, sess. 5, de Reformat.*,

cautum sit, ut nedum in ecclesiis cathedralibus, sed in collegiatis etiam oppidorum insignium, in quibus praebenda, aut praestimonium, seu stipendium pro sacrae Scripturae lectoribus constitutum non reperitur, praebenda quomodocumque, praeterquam ex causa resignationis, primo vacatura, ipso facto ad eum usum perpetuo constituta ac deputata intelligatur; et quatenus nulla, vel non sufficiens praebenda foret, locorum Ordinarii per assignationem fructuum alicuius simplicis beneficii, debitis tamen eius supportatis oneribus, vel per contributionem beneficiorum suarum dioecesium, vel alias, prout commodius fieri poterit, ita provideant, ut ipsa sacrae Scripturae lectio omnino habeatur: verum cum eiusmodi provida praefati Concilii dispositio in aliquibus cathedralibus, sicut non absque gravi animi Nostri dolore percepimus hucusque neglecta, debitaeque executioni demandata non fuerit: hinc igitur est, quod Nos illius executionem pro Pontificiae vigilantiae debito urgere intendentes motu proprio, et certa scientia, ac matura deliberatione Nostri, deque Apostolicae potestatis plenitudine, hac Nostra perpetuo valitura Constitutione sancimus, decernimus et mandamus, ut in cathedralibus quibuscumque Italiae insularumque adiacentium, in quibus praebenda theologalis hactenus instituta non fuerit, praebenda primo vacatura, post eiusdem praesentis Constitutionis publicationem, sive ad Nos, Sedemque Apostolicam, sive ad Ordinarium illius collatio, atque provisio pertineat, ipso iure, et absque ulla alia declaratione, sit, ac esse censeatur praebenda theologalis constituta. Volumus insuper, ut tam illa, quam reliquae omnes aliae praebendae theologales hactenus constitutae et deputatae conferri semper debeant doctori in

sacra theologia, vel qui infra annum doctoralem lauream in eadem facultate suscipiat, et ceteroquin magis idoneo in formali concursu ab examinadoribus renuntiato, eo plane modo, quo parochiales ecclesiae conferuntur. Hunc porro in finem, quotiescumque eiusmodi praebenda theologalis conferenda erit, per edictum publicum vocentur, quicumque concurrere et examini sese subicere voluerint, coram Episcopo, et quatuor examinadoribus, etiamsi synodales non sint, ab eodem Episcopo actu eligendis ac deputandis, in theologaliam tamen facultate licentiatis, et valde peritis sive saecularibus, sive regularibus, et illi, qui in eiusmodi concursu probatus, magisque idoneus renuntiatus fuerit, praebenda conferatur. Quoties autem praebendae collatio ad sanctam Sedem spectabit, Episcopus ad Romanum Pontificem pro tempore existentem acta concursus transmittere teneatur, ut ipse vacantem praebendam illi assignare, atque conferre possit, quem ceteris digniorem et magis idoneum in Domino iudicaverit.

3. Quodsi Episcopus primo vacaturam praebendam contra formam in praesenti Constitutione praescriptam conferre praesumpserit, vel etiam in aliis occurrentibus casibus eandem formam observare neglexerit, illius collatio atque provisio ipso iure nulla et irrita, nulliusque prorsus roboris vel momenti sit ac esse debeat, eiusdemque praebendae dispositio statim devolvatur et pertineat ad sanctam Sedem et Romanum Pontificem pro tempore existentem, a quo doctores in sacra theologia conferentur.

4. Ceterum, ut fructus, quem Tridentina Synodus ex praebendae theologalis institutione perceptum iri speravit, omnino re ipsa, et cum effectu percipiatur, volumus, statuimus et mandamus, tertiam partem pro-

ventuum dictae praebendae theologalis ab Episcopo distribui et proportionaliter applicari singulis lectionibus sacrae Scripturae, quae a praebendato praescriptis diebus et horis totius anni habendae erunt, ita ut, si praebendatus universas lectiones habuerit, assignatas distributiones integras absque ulla prorsus diminutione consequatur; si vero in aliqua, vel pluribus lectionibus defecerit, distributiones neglectis lectionibus respondentes amittat, quae in sacristiae ecclesiae beneficium cedant, ac erogentur. In casu autem gravioris contumaciae praebendati, liceat Episcopo deputare alium theologum sacerdotem saecularem vel regularem, qui iugiter supplendo eiusdem praebendati vices, praefatis distributionibus potiarur.

5. Quoniam vero nonnulli Episcopi, sicut accepimus, ut propriae incuriae aliquod velamen obtendant, dilatae erectionis eiusmodi praebendae theologalis causam in tenuitatem ac insufficientiam praebendarum suarum ecclesiarum reicere solent, Nos omnem de cetero praetextum, sive excusationem e medio tollere ac penitus eliminare volentes, motu, scientia, ac potestatis plenitudine similibus decernimus, statuimus atque praecipimus, quod, ubi praebenda theologalis, computatis etiam distributionibus quotidianis, ad annum saltem redditum scutatorum sexaginta monetae Romanae non ascendat, pro summa ad hanc taxam conficiendam deficiente iidem Episcopi unire possint et debeant eidem praebendae aliquod simplex beneficium, cuius supplemento praedicta summa conficiatur, primo vacaturum in quocumque mense, et qualitercumque ac quomodocumque Sedi Apostolicae affectum et reservatum, ita tamen, ut a tali unione illa omnia beneficia, quae pro sanctae Romanae Eccl. Cardinalibus, Papae fami-

liaribus, Nuntiis Apostolicis, atque Praelatis Congregationum, quibus iidem S. R. E. Cardinales intersunt, Secretariis in alia Constitutione ad promovendam seminariorum erectionem novissime per Nos condita peculiariter reservavimus, perpetuo reservata et excepta sint, ac esse intelligantur, et quidquid secus fieri contingeret, ex nunc prorsus irritum ac inane nullisque roboris vel momenti esse, ac fore decernimus et declaramus.

6. Postremo quaecumque hactenus de praebenda theologali, et sacrae Scripturae lectione sancivimus, extendimus etiam, ac admissim observari volumus et mandamus (congrua tamen congruis referendo) quoad institutionem canonici Poenitentiarum in illis cathedralibus in quibus nondum fuerit institutus, eiusque honestam sustentationem, concursum, deputationem, omniaque alia ad illius officium pertinentia; et praeter illa, quae a Nobis superius disposita sunt, ea insuper, quae Tridentina Synodus *cap. 8. Sess. 24. de Reformat.* de huius ministri qualitate, aetate ac exemptione a servitio chori constituit, exacte observari decernimus, praecipimus et mandamus.

7. Decernentes etiam praesentes Literas semper firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri ac obtinere, necnon praemissa omnia et singula in illis contenta per eos, ad quos spectat, et in futurum quomodolibet spectabit, perpetuo inviolabiliter observari; sicque, et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii Apostolici auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, et alios quoslibet quacumque potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facul-

tate ac auctoritate, iudicari et definiti debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

8. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostris et Cancellariae Apostolicae regulis quibuscumque, aliisque Apostolicis etiam in universalibus etc.

9. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrarum sanctionis, institutionis, praecepti, voluntatis, mandati, decreti et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius, se noverit incursum. Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo vigesimo quinto, decimo quarto kalendas Iunii, Pontificatus Nostri anno primo. - P. M. Card. Prodataarius. - F. Card. Oliverius. - Visa de curia I. C. Archiepisc. Amasenus. - Loco † Plumbi. - L. Marti-nettus. - Registrata in Secretaria Brevium.

VIII.

Instructio pro parvulis prima vice ad Sacramentalem Confessionem admittendis, edita a Bened. XIII in Conc. Romano. — An. 1725.

INTRODUCTIO.

Quoniam S. Carolus Borromeus in aureis suis Admonitionibus ad Confessarios suae Civitatis et Diocesis Mediolanensis insinuat: *esse morem sanctum admillere parvulos, quamvis quintum aut sextum aetatis*

liaribus, Nuntiis Apostolicis, atque Praelatis Congregationum, quibus iidem S. R. E. Cardinales intersunt, Secretariis in alia Constitutione ad promovendam seminariorum erectionem novissime per Nos condita peculiariter reservavimus, perpetuo reservata et excepta sint, ac esse intelligantur, et quidquid secus fieri contingeret, ex nunc prorsus irritum ac inane nullisque roboris vel momenti esse, ac fore decernimus et declaramus.

6. Postremo quaecumque hactenus de praebenda theologiae, et sacrae Scripturae lectione sancivimus, extendimus etiam, ac admissim observari volumus et mandamus (congrua tamen congruis referendo) quoad institutionem canonici Poenitentiarum in illis cathedralibus in quibus nondum fuerit institutus, eiusque honestam sustentationem, concursum, deputationem, omniaque alia ad illius officium pertinentia; et praeter illa, quae a Nobis superius disposita sunt, ea insuper, quae Tridentina Synodus *cap. 8. Sess. 24. de Reformat.* de huius ministri qualitate, aetate ac exemptione a servitio chori constituit, exacte observari decernimus, praecipimus et mandamus.

7. Decernentes etiam praesentes Literas semper firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri ac obtinere, necnon praemissa omnia et singula in illis contenta per eos, ad quos spectat, et in futurum quomodolibet spectabit, perpetuo inviolabiliter observari; sicque, et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii Apostolici auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, et alios quoslibet quacumque potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facul-

tate ac auctoritate, iudicari et definiti debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

8. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostris et Cancellariae Apostolicae regulis quibuscumque, aliisque Apostolicis etiam in universalibus etc.

9. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrarum sanctionis, institutionis, praecepti, voluntatis, mandati, decreti et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius, se noverit incursum. Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo vigesimo quinto, decimo quarto kalendas Iunii, Pontificatus Nostri anno primo. - P. M. Card. Prodataarius. - F. Card. Oliverius. - Visa de curia I. C. Archiepisc. Amasenus. - Loco † Plumbi. - L. Marti-nettus. - Registrata in Secretaria Brevium.

VIII.

Instructio pro parvulis prima vice ad Sacramentalem Confessionem admittendis, edita a Bened. XIII in Conc. Romano. — An. 1725.

INTRODUCTIO.

Quoniam S. Carolus Borromeus in aureis suis Admonitionibus ad Confessarios suae Civitatis et Diocesis Mediolanensis insinuat: *esse morem sanctum admittere parvulos, quamvis quintum aut sextum aetatis*

annum non excedant, seorsum unum post alterum ad Confessionale, ut incipient paulatim instrui et induci in cogitationem ac consequenter in usum huius Sacramenti; Sanctitas Domini Nostri Benedicti Papae XIII rem valde utilem iudicavit proponere huiuscemodi Ministris, praesertim Parochis, sequentem eamque brevem instructionem in forma dialogi Confessarium inter et poenitentem, quoad res magis principales scituque necessarias Sacramenti Poenitentiae, verbis conceptam claris ac simplicibus, ad captum innocentiae teneraeque capacitatis parvulorum accommodatis.

PARS I. De obligatione Confessionis.

Conf. Edie, fili mi, esne aliquando confessus?

Poen. Nunquam, Pater.

Conf. Numquid scis Christianos omnes, qui post Baptismum peccaverunt, habere obligationem confitendi?

Poen. Scio, Pater, et didici hoc in Doctrina Christiana.

Conf. Visne igitur confiteri?

Poen. Ita, Pater; et ideo scire desidero quid sit Confessio.

Conf. Confessio est vera et legitima accusatio de propriis peccatis actualibus, facta Sacerdoti tamquam Dei Vicario ad obtinendam eorum remissionem, mediante absolutione Sacramentali.

Poen. Cum in confessione accusare nos debeamus de peccatis actualibus, scire cupio quid sit peccatum actuale.

Conf. Peccatum actuale est voluntaria transgressio Legis Dei.

Poen. Quotuplex est peccatum actuale?

Conf. Duplex: mortale et veniale.

Poen. Quod est peccatum mortale?

Conf. Peccatum mortale est illud quod committitur contra charitatem Dei aut proximi: diciturque mortale, quod animam privet vita spirituali quae est gratia sanctificans, et addicat poenis aeternis inferni.

Poen. Quod est peccatum veniale?

Conf. Peccatum veniale est illud quod non est contra charitatem, nec animam privat divina gratia, nec ducit ad poenas inferni: nihilominus tamen displicet Deo, quia non est secundum voluntatem et legem suam: diciturque veniale quod, utpote res levis, facili modo mereatur veniam.

Poen. Quot modis peccari potest?

Conf. Tribus: cogitatione scilicet, verbo et opere.

Poen. Quae sunt peccata cogitationis?

Conf. Peccata cogitationis sunt illa, quae mente et corde committuntur, odium nempe, invidia, mala desideria, iudicium temerarium, etc.

Poen. Quae sunt peccata verballia?

Conf. Sunt illa quae committuntur loquendo, ut mendacium, iuramentum, murmuratio, maledictio, blasphemia, etc.

Poen. Quae sunt peccata operis?

Conf. Sunt illa quae committuntur aut faciendo quae fieri non deberent, uti sunt occidere, furari, etc., aut si omittas facere ea quae facere teneris, ut non audire missam die festo, frangere ieiunium cum ieiunare deberes, proximo inferre damnum sive quoad personam sive quoad res, etc.

Poen. Qua ratione cognoscere possum, an peccaverim?

Conf. Si voluntarie et cum advertentia transgressus es legem Dei, id est, si alteri fecisti quod tibi fieri non velles, aut si non observasti aliquod præceptum Decalogi vel Ecclesiae, aut si commisisti quoddam ex vitiis capitalibus.

Poen. Unde cognoscere possum, an peccatum sit mortale, aut veniale?

Conf. Si offensa est contra charitatem Dei vel proximi in re gravi, tuque eam commisisti plena cum advertentia et voluntate deliberata, peccatum est mortale; si vero offensa est in re levi (exceptis quibusdam casibus, in quibus levitas materiae non excusat a culpa gravi) aut si quidem sit in re gravi, facta tamen sine plena advertentia aut plena deliberatione, peccatum est veniale.

Poen. Quam poenam meretur peccans?

Conf. Qui committit peccatum mortale, continuo amittit amicitiam et gratiam Dei, filiationem adoptivam et haereditatem Paradisi, mereturque statim cum Daemonibus esse in inferno. Qui committit peccatum veniale, non amittit gratiam Dei, sed deficit in fervore charitatis; neque meretur poenam aeternam, sed temporalem solum, in hac vita aut in purgatorio exsolvendam.

Poen. Qua ratione post commissum peccatum mortale evadere possumus poenam inferni et recuperare filiationem adoptivam Dei ac de novo mereri Paradisum?

Conf. Accusando nos de culpa et recte confitendo peccata nostra coram Confessario.

Poen. Quomodo recte confiteri debeo peccata mea?

Conf. Tria facienda sunt, priusquam Confessionale accedas.

Primo. Instituendum examen conscientiae, ut peccatorum recorderis.

Secundo. Dolendum coram Deo de iis commissis, utpote offensis factis ipsi, summo bono et summe amabili.

Tertio. Petenda venia, cum firmo proposito non amplius peccandi.

PARS II. De Examine Conscientiae.

Poen. Quomodo instituitur Examen Conscientiae?

Conf. Oportet ut in locum quemdam domus aut Ecclesiae solus secedas: ac imprimis Deum exores ut tibi det gratiam reminiscendi omnia peccata. Postea perges cogitando, an præcepta Dei et Ecclesiae observaveris; an vitia capitalia fugeris, exempli gratia:

Primo. Deus præcipit, ut Patrem et Matrem honoremus. Cogita iam, an debitum illis honorem exhibueris: an illis obedieris; an illis bilem moveris, etc.

Secundo. Præcipit Ecclesia, ut Sacrum die festo audiamus. Cogita iam, an quandoque omiseris audire Sacrum, an illi interfueris sine attentione, sine devotione aut modestia.

Tertio. Inter vitia capitalia est ira. Cogita iam, an nunquam contra proximum fueris iratus, an ex odio illi fueris imprecatus malum, an illi maledixeris aut blasphemaveris; quod ipsum etiam intelligitur de blasphemis in Deum, Sanctos et mortuos.

Poen. Quantum temporis impendendum examini conscientiae rite faciendo?

Conf. Tantum, quantum imoenderes recordationi rei quae tua multum interest; et hoc praestito, non teneris ulterius immorari.

PARS III. *De Dolor.*

Poen. Facta rememoratione peccatorum, qua ratione concipiendus est dolor de offensa Deo facta?

Conf. Oportet ut Dominum ores, cum nullus de peccatis dolere queat, nisi Deus gratia sua cor moveat: attente insuper considerabis, peccatum mortale esse maximam iniuriam Deo illatam, qui propter infinitam bonitatem suam meretur non offendi, sed amari supra omnes res et ab omni creatura.

Poen. Pater, explica mihi melius qualis esse debeat hic dolor.

Conf. Dolor hic potest esse duplex: perfectus, qui vocatur Contritio, et imperfectus, qui vocatur Attritio.

Poen. Qualis est dolor perfectus, qui Contritio dicitur?

Conf. Dolor perfectus, sive Contritio, est dolor charitate perfectus, quo ex solo amore Dei, ut summi Boni, nobis super omnia mala displicet commisisse peccatum.

Poen. Et quis est dolor imperfectus, qui Attritio vocatur.

Conf. Dolor imperfectus, vel Attritio, est dolor de commisso peccato, qui communiter concipitur aut ex metu Gehennae et amissi Paradisi aut ex turpitudine ipsius peccati.

Poen. Quinam dolor est melior, perfectus an imperfectus?

Conf. Non est dubium, quin dolor perfectus, nempe Contritio, sit melior, elicienti enim actum Contritionis, in quo etiam includitur voluntas confitendi, a Deo continuo remittitur peccatum: at elicienti actum Attritionis peccatum non remittitur sine praevio Sacramento Poenitentiae. Attritio nihilominus disponit hominem ad impe-

trandam in Sacramento veniam peccatorum et gratiam Dei.

Poen. Quinam ex his duobus doloribus necessarius est ad Confessionem?

Conf. Communis hodie est sententia, quod dolor vel Contritio perfecta sit bona, non tamen necessaria ad Confessionem; cum sufficiat dolor imperfectus, nempe Attritio, [aut pura] superius explicata, aut ad summum illa, quae coniuncta est cum inchoativo quodam amore benevolentiae erga Deum; quod hucusque indecisum reliquit Sacra Sedes.

Poen. Doce me, Pater, elicere actum Contritionis.

Conf. Libenter. Sic igitur ora:

Actus Contritionis.

« Deus meus et Dominus meus, cum sis summum, infinitum et perfectissimum Bonum, amo te super omnia; et ideo me poenitet, et ex toto corde doleo, quod te toties offenderim peccatis meis. Abominor ea omnia et detestor super omnia mala, maxima cum displicentia, et rogo humiliter veniam, cum firmo proposito, tua sancta gratia auxiliante, te in posterum non amplius offendendi. »

Quodsi dein ad oblectationem tuam spiritualem ambires etiam cantando elicere quendam actum Contritionis, ecce brevem cantilenam:

Ab! offendi meum Dominum
Et Deum meum gratis;
Fontem amoris intermalum,
Oceanum Pietatis,
Qui pro me mortem pertulit,
Offensam a me retulit.
Heu! displicet, o Bonitas summa et infinita,
Non ultra iam offendam te, non ultra, mea vita.

Poen. Confitens peccata sua, sine dolore et sine proposito non amplius peccandi, impetratne veniam?

Conf. Si non habeat dolorem saltem imperfectum, nempe Attritionem, cum firmo proposito, saltem implicito, de caetero non peccandi, certum est, si confiteatur, confessionem non valere, nec eum recipere veniam suorum peccatorum.

Poen. Cui rei maxime invigilandum, dum quis se praeparat ad Confessionem?

Conf. Prae reliquis procurandus et a Deo expectendus est hic dolor et hoc propositum; nam qui nil aliud agit, quam quod peccata sua reminiscatur eaque Confessario recitet per modum historiae, non bene confitetur.

Poen. Quare ad rectam Confessionem tam necessarius est dolor et propositum?

Conf. Quia dolor de peccatis cum proposito non amplius peccandi est pars absolute necessaria ad Sacramentum Poenitentiae.

Poen. Quot sunt partes necessariae huius Sacramenti?

Conf. Sunt tres: Contritio vel Attritio, Confessio peccatorum cum absolutione Sacerdotis, et satisfactio, id est poenitentia persolvenda post obtentam absolutionem.

PARS IV. De Confessione.

Poen. Cum de dolore iam me informaveris, doce nunc, quomodo peragenda sit confessio?

Conf. Facto examine conscientiae, corde dolente et humiliato, quin alii cuidam, quantum fieri potest, loquaris, directe te deferens ad Confessionale. Ibi genu-

flexus, formato signo Crucis, cum devotione recitabis *Confiteor*, usque ad verba: *mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa*; et in prolatione horum verborum peccatus percutes, dolendo, quod Deum offenderis. Dein clare, fideliter et cum verecundia confiteberis peccata tua, prout ea memoria collecta tenueris. Exempli gratia: « Pater, accuso me, quod Deum non amaverim, prout debebam; et in particulari, quod me non converterim ad Eius Maiestatem a tempore quo illum cognoverim. Tria mendacia dixi: semel iuravi: bis offendi respectum erga meam Matrem: semel die festo non audivi Sacrum. Bis proximo imprecatus sum malum: ter maledixi mortuis ». Atque ita hoc ordine et hac claritate peccata tua explicabis.

Poen. Suntne omnia peccata proferenda in confessione?

Conf. Omnia peccata mortalia sunt explicanda in specie, numero et cum circumstantiis; quia haec sunt materia necessaria Sacramenti Poenitentiae.

Poen. Debemusne etiam confiteri venialia?

Conf. Nulla est obligatio ea confitendi, cum his non amittatur amicitia Dei. Nihilominus, si quae velis confiteri, debebis eundem habere dolorem ac propositum ea non amplius committendi.

Poen. Si quis omitteret quoddam peccatum mortale, foretne Confessio valida?

Conf. Si ex malitia voluntarie omitteret, aut quia non bene instituisset examen conscientiae, committit peccatum mortale sacrilegii, estque Confessio nulla: et obligatur poenitens de novo illam Confessionem repetere seque accusare de sacrilegio commisso.

Poen. Quid, si quis sine malitia omittat peccatum quoddam mortale?

Conf. Tunc non peccat; et ab illo peccato quod oblitus est confiteri, absolvitur sicut a caeteris. Nihilominus in proxima sequenti Confessione obligatur illud Confessario explicare.

Poen. Si ab illo peccato iam est absolutus, cur illud tenetur adhuc confiteri?

Conf. Ideo, ut satisfiat praecepto peragendi Confessionem integram peccatorum, prout in memoriam venerint; secus, peccatur mortaliter contra hoc praeceptum.

Poen. Quid vult dicere confiteri peccata in specie et numero?

Conf. Quod non sufficiat dicere Confessario: « Pater, peccavi »; sed debet explicari qualitas peccati, et quoties illud fuerit commissum. Exempli gratia: « Semel furatus sum; bis blasphemavi; ter mendacia dixi, etc. ».

Poen. Si quis ignoraret certum numerum peccatorum, quomodo se deberet in Confessione accusare?

Conf. Debet prius reflectere ad maiorem minoremve numerum; eligendo dein medium, apponet particulam *circiter*. Exempli gratia: blasphemaverit quis, et nescit an octies, decies, aut duodecies. Tunc poterit dicere: « Pater, blasphemavi decies circiter ».

Poen. Instructus iam de specie et numero peccatorum, scire quaedam vellem de circumstantiis.

Conf. De his scias, esse indubitatam obligationem explicare in Confessione non solum speciem et numerum peccatorum, sed etiam circumstantias peccati speciem mutantes aut annexam habentes censuram; ut, si quis furetur rem sacram, cum sit sacrilegium; si quis percutiat personam Ecclesiasticam, quia praeter sacrilegium incurrit etiam excommunicationem.

Quantum dein ad circumstantias peccati speciem

non mutantes, notabiliter tamen aggravantes, duplex est Doctorum opinio. Alii affirmant, alii negant, dari obligationem eas in Confessione explicandi.

Caeterum scito, poenitentem semper obligari ad dicendam veritatem, si a Confessario de peccatis suis quaeratur ad cognoscendum eiusdem statum conscientiae.

Poen. Facta Confessione peccatorum, quid ultra Confessario dicendum?

Conf. Enarratis omnibus peccatis, prout memoria fuerunt collecta, laudabile est subiungere: « Pater, accuso me de omnibus aliis peccatis, quae commisi a tempore usus rationis; sique ea reminiscerem et cognoscerem, confiterer omnia; et ideo doleo de omnibus, ac poenitet me summo opere, quod Deum meum offenderim; petoque a te, mi Pater, qui loco Christi hic sedes, humiliter salutarem poenitentiam et absolutionem ».

PARS V. De Satisfactione sive Poenitentia.

Poen. Si Confessarius mihi imponat gravem poenitentiam, teneorne illam acceptare?

Conf. Si consideres, quodvis tuum peccatum esse gravissimam iniuriam Deo illatam, facile comprehendes, secundum communionem doctrinam te semper obligari ad eam acceptandam, quantumlibet gravem; prout etiam oportet humiliter suscipere omnes admonitiones et consilia data a Confessario in salutem animae. Si tamen repatares, te non posse talem poenitentiam implere, rogabis humiliter eam permutari.

Poen. Estne poenitentia subito persolvenda?

Conf. Si Confessarius non determinavit tempus,

convenit eam impleri quamprimum potest, et priusquam novum mortale peccatum incurratur.

Poen. Satisfietne poenitentiae, si ea persolvatur in statu peccati mortalis?

Conf. Iuxta communem satisfiti obligationi impositae a Confessario, ita ut, qui in statu peccati mortalis persolvit poenitentiam a Confessario iniunctam, eam non teneatur demum repetere in statu gratiae.

Poen. Estne peccatum persolvere poenitentiam in statu peccati mortalis?

Conf. Veniale solum.

Poen. Qui omittit persolvere poenitentiam, quale peccatum committit?

Conf. Si omittatur poenitentia gravis iniuncta ob culpam gravem, ut sunt ieiunia, disciplinae, orationes longae, peregrinationes et similia, peccatum est mortale: si vero sit levis, data ob culpam levem, ut aliquot *Pater noster* vel *Ave Maria*, peccatum est solummodo veniale.

Poen. Poenitentia iniuncta, quid amplius a Confessario expectandum?

Conf. Complementum Sacramenti Poenitentiae, quod est absolutio de peccatis.

PARS VI. *De Absolutione.*

Poen. Dum Confessarius impertitur absolutionem, quid agendum?

Conf. Debes iunctis manibus humillime inclinatus renovare, quantum potes, coram Deo dolorem omnium peccatorum in vita tua commissorum, cum firmo proposito de cetero non peccandi, ac rogare Divinam Maiestatem, ut, sicut Confessarius te absolvit hic in

terra, ita eius infinita Misericordia absolutum te habeat in coelis, per merita Passionis Divini Filii sui Domini Nostri et Redemptoris Iesu Christi.

Poen. Obtena absolutione, quid praestandum superest?

Conf. Dimissus a Confessario, genuflexus ante Altare aut in alio loco honesto, recitabis sequentem aut aliam similem orationem:

Oratio post Confessionem.

« Gratias tibi ago, Deus meus, laudo te et benedico te pro gratia, quod me ad confessionem meorum peccatorum admiseris. Rogo te per merita Beatissimae Virginis Mariae, Dominae Nostrae et Advocatae, ac omnium Sanctorum, ut hanc meam Confessionem ratificare velis: et si quid negligenter egi, suppleat pietas et misericordia tua magna, ac secundum magnitudinem illius, Amatissime Deus, dignare me habere plene et perfecte absolutum hic et in coelis. Amen. »

Conclusio.

Postremo Sanctitas Sua ordinat ut omnes Parochi in docendis parvulis modum rite confitendi utantur hac instructione, eamque illis communicent iuxta methodum pro Doctrinae Christianae traditione praescriptam; in qua insuper Sanctitas Sua proponit formam instruendi adultos harum rerum adhuc ignaros.

F. A. ARCHIEPISC. ABELLINEN. ET FREQUENT.,
Concilii Secret.

IX.

*Instructio pro illis qui prima vice accedunt ad Sacram
Mensam, edita a Bened. XIII. in Conc. Romano.*

— An. 1725.

INTRODUCTIO.

Si naturales Patres prolibus suis ad sustentationem et incrementum vitæ temporalis corporis necessarium victum subministrare tenentur, maior adhuc tam eos quam Patres spirituales, quales sunt Parochi et Ludimagistri, quibus incumbit educatio filiorum, obligatio constringit providere iisdem de cibo supersubstantiali Sacratissimi Corporis Christi Domini Nostri, quo spiritualiter nutriantur et sancte educentur quoad vitam animæ, æternum victuræ in coelo, utpote ultimo fine, propter quem conditi et ad breve tempus in hoc mundo a Deo positi sunt. Vere proprio ore dixit Christus: *Ego sum panis vivus, qui de Coelo descendi: si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Io. 6, v. 51, 52.

Ut igitur satisfiat pio eorum desiderio, qui nunquam adhuc pasti sacra Mensa, modum addiscere cupiunt ad eam digne accedendi ac fructuose percipiendi Sacramentum Eucharistiæ, Sanctitas Domini Nostri Benedicti XIII proficuum sanè iudicavit præsentem instructionem in forma Dialogi Parochum inter et parvulos edere, in eoque breviter et clare explicare, quid sit Sacramentum Eucharistiæ: quam utilitatem afferat percipienti: quæque dispositio ad Sacram Communionem requiratur.

PARS I. De excellentia Sacramenti Eucharistiæ.

Parochus. Desideratisne Sacram Communionem?

Parvuli. Desideramus, et quidem a longo tempore.

Paro. Quid creditis esse hanc Communionem?

Parv. Credimus nomine Communionis intelligi Sacramentum Eucharistiæ, prout didicimus in Doctrina Christiana.

Paro. Non meministis vobis dictum ad susceptionem huius Sacramenti multa requiri?

Parv. Id ipsum est, quod nunc discere cupimus.

Paro. Bene: estote igitur attentî: ego, ne mentem vestram confundam, docebo vos, iuxta capacitatem vestram, ea quæ magis necessaria sunt ac maioris momenti.

Parv. Attendimus: sed explica imprimis, quid sit Sacramentum Eucharistiæ?

Paro. Eucharistia, sive Communio, est unum ex septem Sacramentis, a Iesu Christo institutum, in quo sub speciebus panis et vini continetur verum Corpus et verus Sanguis cum Anima et Divinitate ipsius Christi Salvatoris Nostri.

Paro. Quando hoc Sacramentum fuit a Christo institutum?

Paro. In ultima Coena, quam cum Discipulis fecit nocte ultima ante suam Passionem.

Paro. Quare hoc Sacramentum vocatur Eucharistia?

Paro. Eucharistia idem sonat ac *gratiarum actio*: ad informationem nostram, ut, quoties sumimus Corpus et Sanguinem Christi, eidem gratias agamus pro amore, quem nobis exhibuit, sustinendo mortem Crucis et relinquendo nobis seipsum pro cibo spirituali animæ.

Parv. Qua ratione substantia panis et vini convertitur in Corpus et Sanguinem Christi?

Paro. Vi verborum a Sacerdote consecrante super hostia et vino prolatorum.

Parv. Quis tantam virtutem verbis illis tribuit?

Paro. Iesus Christus, qui est Deus Omnipotens atque id facit ac facere potest quod nobis videtur impossibile.

Paro. Si quis non Sacerdos proferret haec verba, consecraretne?

Paro. Minime; cum solis Sacerdotibus a Deo collata sit potestas consecrandi panem in Corpus et vinum in Sanguinem.

Parv. Quando ergo Iesus Christus subit hostiam et calicem?

Paro. Statim, finitis a Sacerdote verbis Consecrationis.

Parv. Ergo, facta Consecratione, hostia non est amplius panis, nec in calice vinum?

Paro. Ut dictis.

Parv. Qua ratione asseris, non adesse amplius nec panem nec vinum, si tamen videtur color eiusdem, et sentitur odor ac sapor?

Paro. Etsi post consecrationem remaneant species sive apparentia panis et vini, nempe sapor et odor ac color; nihilominus tamen non amplius adest substantia panis et vini, sed solum substantia veri Corporis ac Sanguinis Iesu Christi.

Parv. Quomodo remanere queunt species panis ac vini sine eorum substantia?

Paro. Per miraculum; nam ita voluit Dominus per bonitatem suam, et ita potuit per suam omnipotentiam.

Parv. Unde obligamur omnia haec credere?

Paro. A nostra Sancta Fide.

Parv. Peccaretne non credens aut dubitans?

Paro. Omnino, et quidem mortaliter, essetque haereticus.

Parv. Quomodo Christus existit sub hostia et vino consecrato?

Paro. Vivus et gloriosus, cum Corpore et Anima et Divinitate, prout est in coelis.

Parv. Deseritne Christus coelum, dum in hostiam et calicem descendit?

Paro. Nequaquam; sed eodem tempore, quo sedet in coelis ad dexteram Patris, existit etiam in Sanctissimo Sacramento.

Parv. Scire desideramus, cur nos non sumamus Corpus et Sanguinem Christi sicut Sacerdotes.

Paro. Sacerdotes sumunt hoc Sacramentum sub utraque specie ad observantiam rituum Missae et perfectionem Sacrificii. Laicis vero, et qui non sunt Sacerdotes, sufficit illud sumere sub specie panis; cum enim sub ea sit Corpus Christi vivum, cum Corpore Sanguis quoque sumitur, sicut in Calice cum Sanguine etiam adest Sacratissimum Corpus.

Parv. Qui in Communionem solum mediam particulam accipit, sumitne Iesum Christum totum?

Paro. Certum est, quod integrum accipiat: nam Iesus Christus, sicut totus et integer in calice et hostia maiori, ita etiam in minori seu particula et qualibet eius minima parte existit.

Parv. Praeter Personam Christi, existitne alius Sanctus in hostia et calice consecrato?

Paro. Nullus omnino; nec Angeli, nec Beatissima Virgo; sed quia Christus est verus homo et verus Deus, cum Persona Christi Filii Dei per naturalem concomitantiam etiam adest Pater et Spiritus Sanctus.

Parv. Ergo confiteri debemus, magnum hoc esse Sacramentum?

Paro. Est maius et excellentius omnibus reliquis; nam in hoc Sacramento continetur Iesus Christus, Auctor omnium Sacramentorum et Dispensator gratiarum omnium.

Parv. Magnam ergo utilitatem asferet frequens Communio?

Paro. Sine dubio; nam hoc Sacramentum semper multos bonos effectus causat in eo qui illud digne percipit.

PARS II. De effectibus Sacramenti Eucharistiae.

Parv. Edoce nos, amabo, effectus speciales huius Sacramenti.

Paro. Primo. Cum hoc Sacramentum sit cibus et potus spiritualis, qui illud digne suscipit in eo restaurat vires amissas animae sicut cibus et potus materialis reficit vires corporis.

Secundo. Auget in anima gratiam sanctificantem et fervorem charitatis et amoris erga Deum et proximum.

Tertio. Replet gustu et dulcedine spirituali.

Quarto. Servit pro antidoto ad curandas et delendas culpas veniales et quotidianas.

Quinto. Praeservat a mortalibus, refrænando motus sensuales carnis et roborando contra tentationes Daemonis.

Sexto. Denique in termino vitae nostrae temporalis est nobis instar cibi, roboris et viatici, ut spiritu vegetati ad vitam aeternam transeamus.

Parv. Praeter effectus praedictos, prodestne ad alium usum Sanctissima Eucharistia?

Paro. Hucusque consideravimus Sacram Eucharistiam ut Sacramentum, quod in Sanctissima Communionem suscipitur; at si etiam consideretur ut Sacrificium quod Deo in Sacra Missa offertur, conducit sine dubio ad alios effectus.

Parv. Quinam illi sunt?

Paro. Sunt plurimi: sed sufficit ut sciatis hos quinque, qui sunt principales fines propter quos Sanctum Sacrificium offertur.

Primo. Ut honoretur et agnoscat Deus ut absolutus Dominus Noster.

Secundo. Ut ei agantur gratiae pro omnibus beneficiis acceptis, tam spiritualibus quam temporalibus.

Tertio. Ut nos reconciliemur amicitiae Dei et obtineamus remissionem peccatorum nostrorum.

Quarto. Ut impetremus a Divina Misericordia illas gratias et virtutes, quae ad suam maiorem Gloriam spectant.

Quinto. Ut satisfiat mediante Sanguine Iesu Christi poenis debitae culpis nostris, tam pro nobis vivis quam pro animabus in purgatorio.

PARS III. De dispositionibus necessariis ad Sanctissimam Communionem.

Parv. Quales dispositiones requiruntur ad dignam Communionem?

Paro. Aliquae dispositiones requiruntur in corpore, et aliae sunt necessariae pro anima.

Parv. Quales requiruntur dispositiones quoad corpus?

Paro. Principaliter requiritur, ut sis ieiunus a media nocte praecedente usque ad tempus Communionis,

ita ut nec comederis nec biberis quidquam, quantumvis minimum, neque etiam per modum medicinae.

Parv. Possetne quis in articulo mortis non ieiunus communicare?

Parv. Utique, si communionem sumit per modum viatici.

Parv. Requiriturne alia dispositio quoad corpus?

Parv. Requiritur, ut ad Sacram Mensam accedatis summa humilitate et modestia tam gestuum quam vestitus.

Parv. Haec quoad corpus: qualis dispositio requiritur quoad animam?

Parv. Prae reliquis maxime necessarium est ut anima sit in statu gratiae, id est sine peccato mortali.

Parv. Quare hoc requiritur?

Parv. Ideo quia, sicut panis ordinarius non proficit corpori mortuo, sic panis spiritualis Sanctissimae Eucharistiae, iuxta suam institutionem, non est ordinatus ut proficiat animae mortuae quoad gratiam.

Parv. Qui sumit Sacram Communionem in statu peccati mortalis, quod malum committit?

Parv. Infert Deo gravissimam iniuriam et Sacratissimo Corpori Christi, quia indigne communicat, ideoque committit aliud peccatum mortale sacrilegii.

Parv. Qui in statu peccati mortalis existit, quid debet procurare ad dignam Communionem?

Parv. Debet prius debito cum dolore et proposito confiteri et absolvi.

Parv. Sufficit ergo Confessio et status gratiae ad Sacram Communionem?

Parv. Ad digne communicandum sufficit; sed ad obtinendos uberiores effectus huius Sacramenti, opus est, ut accedatis sine ullo affectu ad quodcumque pec-

catum veniale et insuper cum fide, timore et amore erga Dominum.

Parv. Quomodo accedendum cum fide?

Parv. Firmiter credendo, quod in Sacra Communionem sub figura sacrae particulae accepturi sitis vivum Corpus Iesu Christi, veri Dei et Hominis, Omnipotentis, Creatoris coeli et terrae, ipsiusmet Filii Dei, qui pro nobis natus ex Maria Virgine et in Cruce pro nostra salute mortuus est.

Parv. Quomodo accedendum cum timore?

Parv. Considerando, quod respectu Dei vilissimae sitis creaturae et miseri peccatores, infernum potius promeriti, quam accessum ad Sacram Mensam; atque ideo saepius mente replicabitis haec verba: *Domine, non sum dignus.*

Parv. Quomodo denique cum amore accedendum est?

Parv. Cogitando, quod suscepturi sitis Iesum Christum, tam charum, tam amabilem, ut omnium corda ad se trahat: illum Iesum qui in animam vestram descendit ut arctius vobis uniatur ac se voliscum, et vos secum unum quid efficiat.

Parv. Estne omnis communicans obligatus haec scire?

Parv. Scire ad minimum debet, quid in hoc Sacramento sumat, nempe Sanctissimum Corpus Christi viventis, sicut etiam nosse debet necessariam praeparationem ad hoc requisitam.

PARS IV. *De obligatione sumendae Sacramentum Eucharistiae.*

Parv. Daturne praeceptum obligans ad Sacram Communionem?

Paro. Iuxta doctrinam hodie communissimam, extat praeceptum Christi dicentis, quod, nisi manducaverimus eius Carnem, non simus acquisituri vitam aeternam.

Parv. Daturne aliud praeceptum particulare?

Paro. Habemus praeceptum Sanctae Matris nostrae Ecclesiae, quae praecipit omnibus fidelibus Christianis ut saltem semel in anno communicent, nempe circa festum Paschae.

Parv. Quandonam haec praecepta incipiunt obligare?

Paro. Quamprimum parvuli ad annos discretionis pervenerint, nempe ad illam aetatem in qua discernere queant cibum hunc Sacramentalem, qui non est aliud quam verum Corpus Iesu Christi, a pane communi et prolano, et norint accedere debita cum pietate et devotione.

Parv. Sufficitne, si septennium attigerit?

Paro. Nequit hac in parte certa dari regula; sed attendi debet eorum capacitas et prudentis Confessarii directio.

Parv. Peccantne non communicantes, si debitam aetatem attigerint?

Paro. Peccant, si ex proprio defectu instrui aut communicare nolint; at si defectus sit ex parte patris aut matris alteriusve, qui ad dandam instructionem obligatur, hi peccabunt mortaliter.

Parv. Estne quid aliud scitu necessarium?

Paro. Superest praxis circa sumptionem Sacramenti observanda.

PARS V. De Sanctissima Communione.

Parv. Qualiter indutos esse oportet accedentes ad hoc Sacramentum?

Paro. Solent nonnulli Parochi et Patres spirituales admittere prima vice communicantes in habitu Angelorum; qui mos religiosus non improbatur. Ordinarie tamen accedendum est vestibus solitis, mundis quidem, at non superbis et vanis, imo cum gravitate et modestia.

Parv. Explica iam quomodo sumenda sit Sacra Eucharistia.

Paro. Libenter. Suadeo igitur ut ante Communionem eliciatis sequentes actus, qui sunt octo.

Primo. Nocte praecedente commendabitur vos Deo, Sanctissimae Virgini, Angelo Custodi ac Sancto Tutelari, cuius nomen geritis, ut digni efficiamini sumptione Corporis Iesu Christi.

Secundo. Procurabitur in vobis ingens desiderium unionis cum Deo.

Tertio. Mane, ac primum surrexeritis, eodem cum desiderio recta pergetis ad templum, ubi, cum nemine confabulantes, preces quasdam recitabitis.

Quarto. Postea, debita cum praeparatione et dolore de peccatis, peragetis Confessionem.

Quinto. Ita dispositi, summa cum devotione acceditis altare, ibique genuflexi, demissis oculis, ac manibus super pectus decussatis, consistetis.

Sexto. Tunc renovabitur, prout vos instruxi, actus fidei, timoris ac amoris in Iesum Christum, firmiter sperantes quod, mediante sua gratia, dignos vos sit redditurus, ut non solum Sacramentum, sed etiam

virtutem et effectus huius Sacramenti obtinere mereamini.

Septimo. Dum Sacerdos, manibus Sacramentum tenens, profert verba: *Domine, non sum dignus*, vos eadem humilitate corde replicabitis: et iamiam communicandi, sublevatis pie ac modeste ad Sacram Particulam oculis, et lingua parumper extra os porrecta, accipietis Corpus Christi.

Octavo. Quo accepto, denuo, submissis oculis ac capite, recedens, attenti ut subito deglutiatis Sanctam Particulam: et casu, quo palato adhaereret, nolite eam solvere digito, sed lingua, aut si opus sit, sorbendo pauxillum aquae.

Parv. Quid post Communionem agendum?

Paro. Saltem per quadrantem horae, quantum fieri potest, abstinete ab exspuendo, csu ac potu, manebitisque genuflexi, contemplando Iesum Christum in corde vestro habitantem, cui, pro tanta dignatione, gratias amore plenas referetis, eumque exorabitis ut a vobis non discedat, quin Divinam suam vobis benedictionem relinquat.

Parv. Quae preces dicendae post Communionem?

Paro. Qui literas et linguam latinam callet, uti poterit orationibus in Officio Mariano contentis. Reliqui pro lubitu dicere poterunt sequentem orationem:

Oratio post Communionem.

« O mi amabilissime Deus, mi Iesu, Creator, Conservator, Redemptor et Glorificator meus, ego creatura tua aliam fidem, spem et amorem non habeo, nisi ad te, in te et propter te. Adoro te, gratias tibi ago et benedico ac rogo te, ut beatissima praesentia

tui Sacratissimi Corporis quod, absconditum sub speciebus panis, hodie intra me recepi, sanctificet animam meam, ita ut in posterum praeter te non sentiam aliam dulcedinem, non desiderem aliam consolationem, non amem aliam pulchritudinem, non quaeram alium amorem. Non sit mihi iam alius timor, nisi te offendendi; nec curem de alio honore nisi tibi serviendi et te semper in hac vita amandi, ut tandem videre, frui et amare te aeternum merear in caelis. Amen. »

Parv. Persoluta hac oratione, licebit exire templo?

Paro. Proderit non statim abire, sed manere paululum pro agendis gratiis etiam Beatissimae Virgini, Angelo Custodi, et Sancto Tutelari, ob specialem eorum assistentiam; quibus demum peractis, poteritis in Nomine Domini pergere domum; ubi illo die, declinantes plus solito frequentiam hominum ac ludos, maxime prava consortia, exercitiis devotionis vacabitis, frequenter memoria recolentes summum beneficium a Deo vobis concessum, et gratias a Sacra Communionem promanantes.

Conclusio.

Proposita a Sanctitate Domini Nostri praesenti Instructione, quae facili sane negotio parvulis ad primam Communionem disponendis instillari poterit, obligat praecise omnes Parochos, onerando eorum conscientiam, ut speciali industria hanc Instructionem adhibeant iuxta methodum pro doctrina Confessionis traditam, eum in finem, ut adulti quoque bonum et intentum a Sanctitate Sua fructum inde haurire queant.

F. A. ARCHIEP. ABELLIN. ET FREQUENT.,
Concil. Secret.

X.

Benedicti XIV Const. « Dei miseratione » super causis nullitatis matrimonii. — III Nonas Nov. 1741.

Dei miseratione, otius iudicia incomprehensibilia sunt et viae investigabiles, in suprema Ecclesiae specula immerentes constituti, ut super universum Dominicum gregem excubias sedulo agamus, ad commissum pastoralis officii munus pertinere dignoscimus subnascentes ex infernalis hostis astutia et hominum malitia abusus, quibus et animarum saluti pernicies, et Sacramentis Ecclesiae iniuria infertur, radicitus evellere, et potestatis Nobis desuper traditae operam interponere, ut et humana cohibeatur temeritas, et veneranda Divinae Legis servetur auctoritas.

§ I. Siquidem Matrimonii foedus a Deo institutum, quod et quatenus naturae officium est, pro educandae proles studio, aliisque Matrimonii bonis servandis, perpetuum, et indissolubile esse convenit; et quatenus est Catholicae Ecclesiae Sacramentum, humana praesumptione dissolvi non posse, Salvator ipse ore suo pronuntiavit, dicens: *Quod Deus coniunxit, homo non separet*; ad aures Apostolatus Nostri pervenit, in quibusdam Ecclesiasticis Curii inconsulta nimis Iudicum facilitate infringi, et temere atque inconsiderate de eorumdem Matrimoniorum nullitate latis sententiis, potestatem Coniugibus fieri transeundi ad alia vota. Quos sane improvidos Iudices humanae naturae conditione, et voce ipsa quodammodo admoneri oportebat, ne tam praecipiti audacia sanctum Matrimonii nexum frangerent,

quem perpetuum atque indissolubilem primus humani generis Parens praemonuit, inquiens: *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea, et illud additum est: Quamobrem relinquet homo Patrem suum et Matrem, et adhaerebit Uxori suae, et erunt duo in carne una.*

§ II. Huiusmodi autem abolendae pravitatis notitia diversis ex partibus Nobis delata est, atque etiam indicata sunt exempla nonnullorum virorum, qui post primam, et secundam, ac tertiam, quam duxerant, Uxorem, ob nimiam Iudicum praecipitantiam in nullitate Matrimoniorum declaranda, adhuc illis primis Uxoribus superstitibus, ad quartas contrahendas nuptias deveniant; et similiter seminarum, quae post primum, secundum, et tertium maritum, quarto etiam, illis quoque viventibus, se iunxerant; non sine pusillorum scandalo, et bonorum omnium detestatione, qui sacra Matrimonii vincula ita contemni et temere perfringi dolebant. Nos autem, his intellectis, gravi affecti dolore, intimo animo ingemuvimus, et non praetermissimus Apostolicae Nostrae sollicitudinis partes in Domino adimplere. Siquidem primo Pontificatus Nostri anno ad Episcopos illarum partium, in quibus praedicta acciderant, plenissimis datis litteris, graviter conquesti sumus de huiusmodi pravitae quae in Ecclesia Dei tolerabatur, et ad eam abolendam eorum animos erigere, et pastorem zelum accendere curavimus; quod etiam egimus cum aliis aliarum regionum Episcopis, ubi huiusmodi pravum dirimendorum Matrimoniorum usum irrepisse cognovimus.

§ III. Verum Nobis responsum est, id saepe contingere partim ex culpa illorum Iudicum, quibus vel in prima instantia, cum causa coram Iudice ordinario ex aliqua legitima causa cognosci nequit, vel in secunda,

cum in partibus nullus adest Iudex, ad cuius Tribunal causa in gradu appellationis devolvatur, vel si adest, iusta de causa coram eo disceptari nequit, causae matrimoniales huiusmodi a Sede Apostolica committuntur, qui vel ob inscitiam, vel ob malam voluntatem proclives sunt ad Matrimonia dissolvenda, atque eadem Matrimonia, levi vel etiam nullo habito examine, irrita, ac invalida declarant; partim etiam ex facto Coniugum super nullitate suorum Matrimoniorum litigantium, cum frequenter unus tantum eorum, qui dissolutionem Matrimonii postulat, in iudicio compareat, et sententia, nullo contradicente, secundum sua vota obtenta, ad alias nuptias convolat; vel ambobus Coniugibus in Iudicium venientibus, altero, qui pro Matrimonio, altero vero, qui contra agit, sententia de nullitate Matrimonii prolata, nullus est, qui ad superiorem Iudicem appellationem interponat; vel quia litigantes, in specie quidem discordes, re vera inter se concordes sunt, et invicem colludentes contractum Matrimonium dissolvi cupiunt; vel quia Pars, quae pro validitate Matrimonii stabat eiusque nullitatem acriter contra adversarium impugnabat, lata a Iudice sententia contra Matrimonium, mutat voluntatem, vel pecunia sibi ad sumptus litis non suppetente, vel aliis deficientibus auxiliis ad litigandum necessarius, et inceptum opus, ac causam post primam sententiam deserit. Quo fit, ut deinde ambo Contiges, vel unus eorum ad aliud contrahendum Matrimonium se conferat.

§ IV. Quod autem ad Iudices pertinet, quibus extra Romanam Curiam pro litigantium commodo causae matrimoniales committuntur, paterna illa vigilantia, qua de iustitia unicuique integre sapienterque administranda solliciti esse debemus, encyclicis litteris ad Venerabiles

Fratres Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, et Episcopos scriptis vicesima sexta Augusti anno secundo Pontificatus Nostri, providere curavimus, in quibus ea praescripsimus, quae Sacris Canonibus et Concilii Tridentini decretis consona, si diligenter, ut speramus, serventur, in posterum causae non nisi personis congrua iuris peritia, et necessario probitatis spectataeque fidei munitis praesidio committentur. Insuper ad ea, quae in iisdem encyclicis litteris constituta sunt, id etiam in praesenti adiungimus; quod, quamvis Concilii Tridentini decretum, quo causae matrimoniales subtractae fuerunt Decani, Archidiaconi, et aliorum inferiorum iudicio, et Episcoporum tantum examini et iurisdictioni reservatae, dumtaxat procedat de Archidiaconi, Decanis aliisque inferioribus, qui in eadem Dioecesi constituti, vel privilegio aliquo vel praescriptione, saltem in visitatione, causarum matrimonialium cognitionem sibi adrogabant; ac idcirco minime obstat commissionibus, quae pro iisdem causis matrimonialibus definiendis a Sede Apostolica alicui eorum in secunda instantia fierent; nihilominus praecipimus, ac mandamus iis, ad quos huiusmodi commissionum, seu delegationum expediendarum cura pertinet, ut in futurum causarum matrimonialium cognitionem non committant nisi Episcopis praesertim vicinioribus, vel si nullus sit Episcopus, cui ex legitima causa commode committi possit, tum commissio et delegatio dirigatur uni ex iis, qui secundum ordinem et modum a Nobis in praefatis encyclicis litteris praescriptum, pro Iudice idoneo ab Episcopo cum consilio sui Capituli nominatus fuerit.

§ V. Quod vero ad ordinem, et seriem iudiciorum in causis matrimonialibus pro debita et congrua earum terminatione servandum spectat, motu proprio, certa

scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine hac Nostra in perpetuum valitura sanctione constituimus, decernimus, ac iubemus, ut ab omnibus, et singulis Locorum Ordinariis in suis respective Dioecesibus persona aliqua idonea eligatur, et si fieri potest, ex ecclesiastico coetu, iuris scientia, pariter et vitae probitate praedita, quae Matrimoniorum Defensor nominabitur; cum facultate tamen eam suspendendi vel removendi, si iusta causa adfuerit, et substituendi aliam aequae idoneam et iisdem qualitatibus ornatam, quod etiam fieri poterit, quotiescumque persona ad Matrimoniorum defensionem destinata, cum se occasio agendi obtulerit, erit legitime impedita.

§ VI. Ad officium autem Defensoris Matrimoniorum huiusmodi, ut supra electi, spectabit, in iudicium venire, quotiescumque contigerit, matrimoniales causas super validitate vel nullitate, coram legitimo Iudice disceptari, eumque oportebit in quolibet actu iudiciali citari, adesse examini testium, voce et scriptis Matrimonii validitatem tueri, eaque omnia deducere, quae ad Matrimonium sustinendum necessaria censebit.

§ VII. Et demum Defensoris huiusmodi persona tamquam pars necessaria ad iudicii validitatem et integritatem censeatur, semperque adsit in iudicio, sive unus ex Coniugibus qui pro nullitate Matrimonii agit, sive ambo, quorum alter pro nullitate, alter vero pro validitate, in iudicium veniant. Defensor autem, cum ei munus huiusmodi committetur, iuramentum praestabit fideliter officium suum obeundi et quotiescumque contigerit, ut in iudicio adesse debeat pro alicuius Matrimonii validitate tuenda, rursus idem iuramentum praestabit; quaecumque vero, eo non legitime citato aut intimato, in iudicio peracta fuerint, nulla, irrita, cassa

declaramus, ac pro nullis, cassis, ac irritis haberi volumus, perinde ac si citata et intimata non esset ea pars cuius citari intererat, et quam, iuxta legum et canonum praescripta, ad legitimam iudicii validitatem citari aut intimari omnino necessarium erat.

§ VIII. Cum igitur coram Ordinario, ad quem causas huiusmodi cognoscere pertinet, controversia aliqua proponetur in qua de Matrimonii validitate dubitabitur, et existentibus in iudicio vel uno ex Coniugibus, qui pro nullitate Matrimonii, vel ambobus, quorum alter pro validitate, alter vero pro nullitate actionem intendat, Defensor Matrimonii partes omnes officii sui diligenter adimpleat. Itaque si a Iudice pro Matrimonii validitate iudicabitur, et nullus sit, qui appellet, ipse etiam ab appellatione se abtineat: idque etiam servetur, si a Iudice secundae instantiae pro validitate Matrimonii fuerit iudicatum, postquam Iudex primae instantiae de illius nullitate sententiam pronunciaverit; sin autem contra Matrimonii validitatem sententia feratur, Defensor inter legitima tempora appellabit, adhaerens parti quae pro validitate agebat; cum autem in iudicio nemo unum sit qui pro Matrimonii validitate negotium insistat, vel si adsit, lata contra eum sententia, iudicium deseruerit, ipse ex officio ad superiorem Iudicem provocabit.

§ IX. Appellatione a prima sententia pendente, vel etiam nulla ob malitiam, vel oscitantiam, vel collusionem Defensoris et Partium interposita, si ambo, vel unus ex Coniugibus novas nuptias celebrare ausus fuerit, volumus ac decernimus, ut non solum serventur, quae adversus eos, qui Matrimonium contra interdictum Ecclesiae contrahunt, statuta sunt, praesertim ut invicem a cohabitatione separentur, quoadusque altera sententia

super nullitate emanaverit, a qua intra decem dies non sit appellatum, vel appellatio interposita deserta deinde fuerit: sed ulterius ut contrahens vel contrahentes Matrimonium huiusmodi, omnibus poenis contra Polygamos a Sacris Canonibus, et Constitutionibus Apostolicis constitutis omnino subiaceant, quas in eos, quatenus opus sit, motu, scientia, ac potestate simili rursus statimus, decernimus, ac renovamus.

§ X. Posteaquam verò appellationis beneficio ad alterum Iudicem causa in secunda instantia delata fuerit, omnia, et singula quaecumque coram Iudice in prima instantia servanda praefinita fuerint, etiam coram altero in secunda exacte ac diligenter custodientur, citato in quolibet Iudicii actu Defensore Matrimonii, qui voce et scripto matrimonii validitatem strenue ac pro viribus tuebitur; et si Iudex in secunda instantia fuerit Metropolitanus, aut Sedis Apostolicae Nuncius, aut Episcopus vicinior, Matrimonii Defensor sit, qui ab ipsis fuerit deputatus, quemadmodum ipsis deputare mandamus, ut quae a Nobis superius constituta sunt peragere possit; si autem Iudex in secunda instantia erit Iudex Commissarius, cui a Sede Apostolica causae cognitio demandata sit, et qui tribunal et iurisdictionem ordinariam non habeat, et propterea careat Defensore matrimonii, volumus, ut illo Defensore matrimonii utatur, qui constitutus fuerit ab Ordinario, in cuius Dioecesi causam cognoscet, etiam si idem Ordinarius sit, qui primam sententiam in eadem causa pronunciaverit.

§ XI. Instructo autem in hunc modum iudicio, si secunda sententia alteri conformis fuerit, hoc est, si in secunda aequae ac in prima nullum ac irritum matrimonium iudicatum fuerit, et ab ea Pars, vel Defensor pro sua conscientia non crediderit appellandum, vel appel-

lationem interpositam prosequendam minime censuerit, in potestate et arbitrio Coniugum sit novas nuptias contrahere, dummodo alicui eorum ob aliquod impedimentum vel legitimam causam id vetitum non sit. Potestas tamen post alteram sententiam conformem, ut supra, Coniugibus facta intelligatur, et locum habeat, salvo semper et firmo remanente iure seu privilegio causarum matrimonialium, quae ob cuiuscumque temporis lapsum nunquam transeunt in rem iudicatam, sed si nova res, quae non deducta, vel ignorata fuerit, detegatur, resumii possunt, et rursus in iudicalem controversiam revocari. Quod si a secunda sententia super nullitate vel altera pars appellaverit, vel huiusmodi sit, ut ei, salva conscientia, Defensor Matrimonii acquiescendum non putet, vel quia sibi videtur manifeste iniusta vel invalida, vel quia fuerit lata in tertia instantia et sit revocatoria alterius praecedentis super validitate in secunda instantia emanatae, volumus, ut firma remanente utrique Coniugi prohibitione ad alias transeundi nuptias, quas si contrahere ausi fuerint, poenis, ut praefertur, a Nobis constitutis subesse decernimus, causa in tertia vel quarta instantia cognoscatur, servatis diligenter omnibus, quae a nobis in prima et secunda instantia demandata fuerunt, nempe, in quolibet iudiciali actu, citato et audito Defensore Matrimonii, qui a Iudice tertiae instantiae deputatus fuerit.

§ XII. Defensor autem Matrimonii, quem ad munus suum gratis obeundum pro amore Dei, et proximi utilitate, et Ecclesiae reverentia, in Domino exhortamur, si operam suam sine mercede aut salario aliqua ex causa exhibere recusaverit, ab ipsius Causae Iudice ei constituatur, et ab ea parte, quae pro validitate Matrimonii agit, si ipsi facultas sit, solvatur; sin minus,

a Iudice primae, vel secundae, vel tertiae instantiae respective subministrabitur, qui pecunias ex muletis suorum tribunalium redactas, vel redigendas, et in opera pia erogandas, in huiusmodi sumptus insumere poterunt. Cum vero iudices causae erunt Iudices Commissarii, qui neque forum habent, et consequenter neque pecuniam ex muletis collectam, volumus ac mandamus ut Defensori Matrimonii satisfiat ex pecunia muletarum illius Episcopi, in cuius Dioecesi Iudex Commissarius iuxta Sedis Apostolicae mandatum iudicium exercebit.

§ XIII. Hactenus quidem quoad causas Matrimoniales, quae extra Romanam Curiam pertractantur. Quoad causas vero, quae Romae disceptandae sunt, cum earum cognitio in prima instantia ad S. R. E. Cardinalem in praefata Urbe, eiusque Suburbis, et districtu Vicarium Nostrum in spiritualibus pro tempore spectet, mandamus ac iubemus, ut omnia et singula, quae in aliis causis extra Romanam Curiam pertractandis praescripta fuerunt, nempe ut iudicium peragatur, citato et audito Defensore Matrimonii ab eodem Cardinali Vicario deputato, aliaque, ut supra omnino serventur, tum etiam in aliis causis, quae in prima instantia ex consensu partium, vel in secunda per appellationem ad Sedem Apostolicam, omisso medio, interpositam, vel in tertia Romae deferuntur, quas omnes iudicari volumus vel in Congregatione S. R. E. Cardinalium super interpretatione et executione Concilii Tridentini, vel in causarum Palatii nostri Auditorio, dummodo Nobis, et Romano Pontifici pro tempore, iustis ex causis, non videatur particularis Congregatio S. R. E. Cardinalium, vel Romanae Curiae Praelatorum deputanda. Cum autem causa super Matrimonii nullitate agitabitur in dicta Congregatione S. R. E. Cardinalium Concilii

Tridentini Interpretum, Defensor Matrimonii a Cardinali Praefecto eiusdem Congregationis; si vero in Palatii nostri Auditorio, ab Auditore Decano praefati Tribunalis; si demum in Congregatione particulari, a Persona eiusdem Congregationis digniore deputetur.

§ XIV. Unica quidem resolutio pro nullitate Matrimonii emanata, si causa in Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, vel in Congregatione particulari deputata cognoscatur, et similiter in Palatii nostri Auditorio unica sententia super eadem nullitate pronunciata minime sufficiat ad tribuendam liberam Coniugibus facultatem novas nuptias contrahendi, sed si causa in praefata Congregatione Cardinalium Tridentini Concilii Interpretum introducta fuerit, rursus in eadem ad Defensoris Matrimonii instantiam repropnatur; si vero Congregationi particulari commissa fuerit, ad petitionem eiusdem Defensoris altera etiam particularis Congregatio deputabitur; si vero in Palatii nostri Auditorio iudicata sit, a praefato Defensore appellatione interposita, ab aliis Auditoribus iuxta ordinem in gyrum seu turnum definiatur; si autem causa universo Tribunali commissa fuerit, ab omnibus Auditoribus rursus examinabitur, nolentes omnino, ut ullo in casu Matrimonii vinculum dissolutum censeatur, nisi duo iudicata vel resolutiones aut sententiae penitus similes et conformes, a quibus neque Pars, neque Defensor Matrimonii crediderit appellandum, emanaverint; quod si secus factum fuerit, et poyum initum Matrimonium, Nostrae voluntatis huiusmodi transgressores poenis a Nobis ut supra statutis submittantur.

§ XV. Et quoniam saepe apud Sedem Apostolicam preces porrigi solent pro dispensatione Matrimonii rati, et non consummati, quae ut plurimum pro voto consul-

tivo ad Congregationem S. R. E. Cardinalium Concilii Interpretum, vel nonnunquam ad aliquam Congregationem particularem deputatam a Romanis Pontificibus pro tempore remitti solent, ut huiusmodi instantiae ordine ac rite procedant, volumus ac mandamus, ut supplex libellus Nobis, vel Romano Pontifici pro tempore exhibeatur, in quo plena et accurata totius facti species contineatur, causaeque omnes in eo exprimantur, quae ad obtinendam petitam dispensationem conducere posse a supplicante censentur; ut Romanus Pontifex, eo lecto et mature considerato, secum deliberare possit, an petitionem reiciat, vel eius examen alicui ex dictis Congregationibus committat, a qua posteaquam suum votum consultivum editum fuerit, a Secretario eiusdem Congregationis totius negotii series exacte Romano Pontifici pro tempore referatur, qui pro sua prudentia iudicabit, an Congregationis resolutio sit approbanda, vel potius totius causae examen alteri Congregationi, vel Tribunali, prout eidem Pontifici videbitur, rursus committendum.

§ XVI. Demum volumus ac decernimus, easdem praesentes literas semper firmas, validas, ac efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quaecumque spectabit, in omnibus et per omnia, plenissime et inviolabiliter observari. Sicque, et non aliter, per quoscumque Iudices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac eosdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere legatos, et S. Sedis Nuntios, aliosve quoslibet quacumque praesentia et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, ubique iudicari, et de-

finiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, nec non quibusvis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et litteris Apostolicis sub quibuscumque tenoribus verborum, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis irritantibusque, et aliis decretis etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus in genere, vel in specie, seu alias quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma in illis tradita observata eisdem praesentibus pro expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ut praesentes litterae in valvis Ecclesiae Lateranensis, et Principis Apostolorum, nec non Cancellariae Apostolicae, ac in acie Campi Florae de Urbe, ut moris est, publicentur et affigantur, sicque publicatae, et affixae omnes, et singulos, quos illae concernunt, perinde ardeant, et afficiant, ac si unicuique eorum nominatum, et personaliter intimatae fuissent; quodque earundem praesentium transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate eccle-

siastica constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio, quam extra illud ubique adhibeatur, quae ipsi praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

§ XVII. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostri decreti, statuti, constitutionis, prohibitionis, revocationis, annulationis, declarationis, mandati, ac voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac B. Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem tertio nonas Novembris, anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quadragésimo primo, Pontificatus Nostri anno secundo. — D. Card. Passioneus. — Visa de Curia — N. Antonellus. — X. Sub-Datarius. — Loco ✠ Plumbi. — I. B. Eugenius.

XI.

Benedicti XIV Constit. « Ad militantis Ecclesiae » de appellationibus et inhibitionibus concedendis vel denegandis. — III Kal. April. 1742.

Ad militantis Ecclesiae regimen nullo meritorum Nostrorum suffragio, sed imperscrutabilis consilii altitudine evocati, inter graves curas, quas assiduo pro Nostro munere sustinemus, postrema illa non est, in quam totis viribus Nobis incumbendum esse ducimus, ut graves nimium, diuturnae, nulloque unquam tempore intermissae Episcoporum, aliorumque ordinariam iurisdictionem habentium querelae adversus maiora tribunalia, atque illa etiam Nostrae Romanae Curiae, propositae, tandem compescantur.

1. Intimo siquidem animi Nostri moerore, cum in minoribus adhuc essemus, iamdiu intelleximus, plerisque locorum Ordinarios conqueri, sensim abusum irrepssisse, quod ad malitiosam petentium suggestionem, a Patriarchis, Metropolitanis, sanctae Sedis a latere Legatis, et diversis dictae Romanae Curiae iudicibus, *inhibitiones* sine delectu causae et rei, de qua agitur, examine, passim concedantur; et quamvis in more positum sit, dictas inhibitiones indebite expeditas pro causae meritis revocari et aboleri, remedium tamen inflicto vulnere non satis esse dicunt, cum interea oporteat Episcopos, aliosque inferiores iudices, in ipso causarum et iudiciorum cursu, otiosos immorari, ius suum iudicialiter asserere et vindicare, et ad continendos in officio populos gravia saepe incommoda et dispendia subire.

2. E contrario Nobis quoque, dum etiam in minoribus essemus, superiorum iudicum responsiones audire contigit, asserentium, memoratas querelas inanes esse, nec ulli innixas fundamento, utpote ex hac unica re causam et originem habentes, quod inferioribus grave est obedientiae ac subiectionis iugum erga maiora tribunalia, ipsisque nimis displicet sibi subditis appellationis beneficio succurri.

3. Porro cum facile haec dissidia componi, et crescentia litium semina avelli possint, si, quae a Sacra Tridentina Synodo, ab Apostolicis Constitutionibus, et Congregationum Decretis provide sancita sunt, debite executioni mandentur; Nos ideo, ad conservandam Ecclesiae disciplinam restituendamque tribunalibus formam eisdem canonicis legibus consentaneam, pro credito Nobis Apostolicae servitutis officio, opportune duximus consulendum.

4. Inhaerentes itaque Decretis eiusdem Sacri Concilii, necnon Congregationis Episcoporum et Regularium, iussu et approbatione rec. mem. Clementis PP. VIII Praedecessoris Nostri alias editis die 16 Octobris 1600, itemque aliis Congregationis particularis, iussu pariter et approbatione fel. rec. Urbani PP. VIII, similiter Praedecessoris Nostri, promulgatis die 5 Septemb. 1626, eorumque declarationibus nuper superadditis a pie mem. Benedicto XIII etiam Praedecessore Nostro, in Appendice Concilii Romani, aliisque Apostolicis Constitutionibus, hac de re alias editis et innovatis, et praesertim Constitutioni pie mem. Gregorii XV, quae incipit: *Inscrutabili*, sub datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae 1622, Nonis Februarii;

5. Districte praecipimus et mandamus, ne deinceps ab exsequutione Decretorum dicti Sacri Concilii Tridentini, in omnibus illis causis et negotiis in quibus exsequutio huiusmodi Episcopis, et locorum Ordinariis, etiam uti Sedis Apostolicae Delegatis, ab eodem Sacro Concilio, vel dictis Apostolicis Constitutionibus, *appellatione, vel inhibitione quacumque postposita*, commissa est, appellatio aliqua in tribunalibus praedictis recipiatur; vel inhibitiones, citationes generales vel speciales, cum commissione inserta, monitoria et alia huiusmodi, per quae dictorum Decretorum exsequutio retardetur, aut processus ad ulteriora in eadem exsequutione suspendatur aut impediatur, quoquo modo concedantur.

6. Itaque a quibuscumque mandatis, prohibitionibus, provisionibus et statutis, tam in visitatione, quam extra, pro divino cultu conservando et augendo, et praesertim circa ea, quae observanda et evitanda sunt in celebratione Missae, aut alio quovis modo respiciunt ex-

sequutionem Decreti Sacri Concilii *Sess. 21, de Reform. cap. 8, et Sess. 22, in Decret. de observ. et evit. in celebrat. Miss.*

7. Item a Decretis cogentibus clericos tam saeculares, quam Regulares, etiam monachos et exemptos, ad publicas processiones, servata tamen forma Constitutionis s. m. Pii V, quae incipit: *Etsi mendicantium*, prout etiam a Decretis et provisionibus super praecedentia inter personas ecclesiasticas, tam saeculares quam Regulares, in eisdem processionibus, vel associatione defunctorum, delatione umbellae, et huiusmodi: necnon super observatione censurarum, etiam episcopalium, et festorum dioecesis, iuxta dispositionem eiusdem Sacri Concilii *Sess. 25, de Regular. cap. 12 et cap. 13.*

8. Item in omnibus iis, quae ad curam animarum et sacramentorum administrationem quoquo modo pertinent; et praesertim adversus monitiones, censuras, aut alias provisiones, per quas parochi, aut alii curam animarum exercentes, diebus saltem Dominicis et festis solemnibus plebes sibi commissas salutaribus verbis paciscere compellantur, docendo ea, quae ad salutem necessaria sunt, iuxta Decretum Sacri Concilii *Sess. 5, de Reform. cap. 2.*

9. Item adversus deputationem vicariorum etiam perpetuorum cum assignatione congruae, per quos cura animarum exerceatur, quoties plura beneficia curata ex dispensatione Apostolica ab aliquo obtineantur, vel quoties eadem beneficia curata cathedralibus, collegiatis seu aliis ecclesiis, vel monasteriis, beneficiis, seu collegiis, aut piis locis quibuscumque perpetuo unita et annexa reperiuntur, iuxta praescriptum dicti Sacri Concilii *Sess. 7, de Reform. cap. 5 et cap. 7,*

et iuxta Constitutionem s. m. Pii V, quae incipit: *Ad exsequendum*.

10. Item adversus visitationem beneficiorum curatorum, ut supra, perpetuo unitorum, necnon quarumcumque ecclesiarum quomodolibet exemptarum, prout etiam adversus Decreta et provisiones ab Ordinario capiendas, ut, quae in eis reparatione indigent, reparentur, et cura animarum, si qua illis imminet, aliisque debitis obsequiis minime defraudentur, iuxta dispositionem S. Concilii in eadem *Sess. 7, de Reform. cap. 8, et Sess. 21, cap. 7*.

11. Item a Decretis seu Mandatis, per quae Episcopi, etiam uti Apostolicae Sedis Delegati, in ecclesiis parochialibus, aut baptismalibus, in quibus populus ita numerosus est, ut unus Rector non possit sufficere ecclesiasticis Sacramentis ministrandis, et cultui divino peragendo, cogant rectores, vel alios ad quos pertinet, sibi tot sacerdotes ad hoc munus adiungere, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, et cultum divinum celebrandum: aut etiam invitis Rectoribus, procedant ad constitutionem novarum parochiarum, cum assignatione competentis portionis, ubi ob locorum distantiam, sive difficultatem, parochiani, sine magno incommodo, ad percipienda Sacramenta et divina officia audienda accedere non possunt, vel denique propter paupertatem, et in caeteris casibus a iure permissis, deveniant ad uniones perpetuas aliorum beneficiorum simplicium, non tamen Regularium, iuxta dispositionem S. Concilii *Sess. 21, de Reform. cap. 4 et 5, et Sess. 24, similiter de Reform. cap. 13*.

12. Item a deputatione coadiutorum, aut vicariorum pro tempore, vel aliis provisionibus ab Episcopo capiendis, etiam tanquam Apostolicae Sedis Delegato,

quando illiterati et imperiti parochialium ecclesiarum rectores sacris minus apti sunt officiis, cum assignatione partis fructuum pro sufficienti illorum victu: necnon a suspensione, atque etiam a privatione illorum, qui turpiter et scandalose vivunt, et, postquam praemoniti sunt, in sua nequitia incorrigibiles perseverant, iuxta praescriptum eiusdem Concilii in eadem *Sess. 21, de Reform. cap. 6*.

13. Item a translatione beneficiorum simplicium, etiam iurispatronatus, ex ecclesiis, quae vetustate vel alias collapsae sunt, et ob earum inopiam nequeant instaurari, vocatis iis, quorum interest, in matrices aut alias ecclesias, cum omnibus emolumentis et oneribus: prout etiam a decretis cogentibus patronos, rectores, beneficiatos, aut parochianos, sive populum, ad refectio-nem et instauracionem ecclesiarum parochialium, servata forma sacri Concilii *Sess. 21, cap. 7*.

14. Item a censuris, sequestratione et subtractione fructuum, aut aliis quibuscumque provisionibus, pro cogendis ad residentiam parochis, ceterisque omnibus, quibus cura animarum incumbit, iuxta Decretum eiusdem Sacri Concilii *Sess. 23, de Reform. cap. 1*.

15. Item a denegatione, revocatione, suspensione, vel restrictione et limitatione facultatis audiendi confessiones, respectu eorum, qui parochiale beneficium non obtinent, etiam si fuerint Regulares, pro excipiendis confessionibus saecularium, iuxta ordinationem sacri Concilii *Sess. 23, cap. 15, et Praedecessorum Nostrorum Constitutiones, ac praecipue illam fel. rec. Clementis X, quae incipit: Superna*.

16. Item in illis civitatibus aut locis, ubi vel parochiales ecclesiae certos non habent fines, nec earum rectores proprium populum, quem regant, sed promi-

scue petentibus Sacramenta administrant, vel etiam nullae sunt parochiales, a divisione seu distinctione parochiarum, earumque ordinatione sive institutione in titulum perpetuum, iuxta Decretum sacri Concilii *Sess. 24, de Reform. cap. 13.*

17. Item a deputatione vicarii, vel oeconomi, cum assignatione congruae, pro tempore, quo vacat ecclesia parochialis, prout etiam ab indictione concursus, relatione examinatorum, necnon praeelectione, et provisione Episcopi in eodem concursu, iuxta definitionem sacri Concilii in eadem *Sess. 24, de Reform. cap. 18.*

18. Item a mandatis, seu decretis inhibentibus praedicationem, vel publicas lectiones, aut coercentibus, vel punientibus quoscumque, etiam exemptos, tam saeculares, quam Regulares, qui in alienis ecclesiis, quae suorum Ordinum non sunt, absque Episcopi licentia, et in ecclesiis suis, aut suorum Ordinum, non petita illius benedictione, aut ipso contradicente, praedicare praesumpserint; iuxta Decretum sacri Concilii *Sess. 5, de Reform. cap. 2, et Sess. 24, similiter de Reform. cap. 4,* et Constitutionem piae mem. Gregorii XV, quae incipit: *Inscrutabili* § *fin.* una cum declarationibus contentis in Constit. Clementis PP. X, quae incipit: *Superna.*

19. Et generaliter in omnibus iis, quae pertinent ad curam animarum, et rectam Sacramentorum administrationem, adversus visitationem, correctionem, coercionem, et quascumque alias provisiones Episcopi dioecessani, etiam quoad exemptos, sive saeculares, sive Regulares, iuxta laudatam Constitutionem Gregorii XV, quae incipit: *Inscrutabili.*

20. Item adversus quascumque provisiones et decreta pro conservanda aut restituenda clausura Sanctimo-

nialium, aut pro correctione seu punitione eorum, qui circa personas intra monasteria degentes, aut circa clausuram, vel circa bonorum administrationem deliquerint. Prout etiam ab examine pro approbatione, vel reprobatione confessoriorum sive Regularium, sive saecularium, quomodocumque exemptorum, et tam ordinariorum, quam extraordinariorum, pro excipiendis confessionibus Monialium, etiam Regularibus subiectarum. Itidemque a Decretis, vel aliis quibuscumque provisionibus cogentibus administratores, sive saeculares, sive Regulares quomodolibet exemptos, ad reddendam singulis annis rationem bonorum ad monasteria Sanctimonialium huiusmodi pertinentium, ac demum a quibuscumque Decretis super amotione capellanorum, sacristarum, et aliorum quorumcumque officialium et ministrorum, tam saecularium, quam Regularium, ipsis Monialibus, vel eorum ecclesiis inservientium, iuxta dispositionem sacri Concilii *Sess. 25, de Regular. et Monial. c. 5. c. 9, et c. 10;* servata tamen, quoad Regulares et exemptos, forma praedictae Constitutionis rec. mem. Gregorii XV, quae incipit: *Inscrutabili.*

21. Item adversus pastorem visitationem dioecesis, et praesertim monasteriorum commendatarum, abbatiarum, prioratum, et praepositorum, in quibus non viget regularis observantia, necnon beneficiorum, tam curatorum, quam non curatorum saecularium, et Regularium qualitercumque commendatarum, etiam exemptorum: Prout etiam ab exsequutione eorum, quae in ipsa visitatione mandata, decreta, aut iudicata fuerint. Necnon similiter a quibuscumque Decretis et provisionibus, etiam extra visitationem, pro conservatione, vel reparatione ecclesiasticae disciplinae, quoad vitam, mores et honestatem quorumcumque clericorum,

luxum, comessationes, choreas, lusus, crimina, et saecularia negotia fugienda, atque evitanda, iuxta plura Decreta dicti sacri Concilii, et praesertim *Sess. 6, de Reform. cap. 4, Sess. 13, cap. 1, Sess. 14, cap. 4, Sess. 27, cap. 8, Sess. 22, cap. 1 et cap. 8, et Sess. 24, cap. 10*, ad formam tamen Decretorum Sac. Congr. Episcoporum de mandato s. m. Clementis VIII editorum anno 1600.

22. Item a Decretis cogentibus praesentatos, electos, vel nominatos a quibusvis ecclesiasticis personis, etiam Nostris et Sedis Apostolicae Nuntiis, ad quaevis ecclesiastica beneficia, ad se subiiciendum examini Ordinarii, antequam instituantur, confirmantur, vel admittantur, quemadmodum cavetur *Sess. 7, de Reform. cap. 13*.

23. Item a denegatione sacrorum Ordinum, vel ascensus ad alios maiores, prout etiam adversus suspensionem ab Ordinibus iam susceptis ob crimen occultum, sive ex informata conscientia, iuxta dispositionem sacri Concilii *Sess. 14, de Reform. cap. 1 et cap. 3, et Sess. 21, cap. 1, et Sess. 23, cap. 16*.

24. Item a praefixione termini, intra quem Regularis Episcopo non subditus, qui intra claustra monasterii degat, et extra ea ita notorie deliquerit, ut populo scandalo sit, a suo Superiore puniri debeat, ac de punitione ipse Episcopus certior fieri, iuxta Decretum sacri Concilii *Sess. 25, de Regul. cap. 14*, et Constit. fel. rec. Clem. PP. VIII, quae incipit: *Suscepti muneris*; necnon adversus punitionem, et correctionem eorundem Regularium, qui circa personas intra septa degentes, aut circa clausuram ipsam deliquerint, iuxta praedictam Constitut. Greg. XV, quae incipit: *Inscrutabili*.

25. Item a censuris, aut aliis provisionibus contra concubinarios, et praesertim clericos etiam retinentes domi, aut extra, mulieres suspectas; iuxta praescriptum sacri Concilii *Sess. 24, de Reform. matrim. cap. 8, et Sess. 25, de Reform. cap. 14*.

26. Item adversus privationem privilegii fori, et alias provisiones contra clericos non incedentes in habitu et tonsura, et in aliis casibus a sacro Concilio praescriptis *Sess. 14, de Reform. cap. 6, et Sess. 23, similiter cap. 6*.

27. Prout etiam ab examine, approbatione, vel reprobatione patrimonii sacri, pensionis ecclesiasticae, aut beneficii, quoad clericos promovendos ad sacros Ordines; iuxta dispositionem eiusdem Concilii *Sess. 21, de Reform. cap. 2*.

28. Item adversus convocationem Capituli, quam faciat Episcopus ad aliquid deliberandum, et iuxta vota ipsorum capitularium concludendum, quoties de re ad suum vel suorum commodum spectante non agatur, iuxta Decretum sacri Concilii *Sess. 25, de Reform. cap. 6*.

29. Item a mandatis, seu decretis super conversione tertiae partis fructuum et quorumcumque proventuum et obventionum, tam dignitatum, quam canonicatum, personatum, portionum, et officiorum, in distributiones quotidianas, earumque divisione inter dignitates obtinentes et ceteros divinis interessentes, in ecclesiis tam cathedralibus, quam collegiatis, in quibus nullae sunt distributiones huiusmodi quotidianae, vel ita tenues, ut verisimiliter negligantur; iuxta Constitutionem eiusdem Concilii *Sess. 21, de Reform. cap. 3, et Sess. 22, similiter de Reform. cap. 3*.

30. Item adversus exercitium facultatum Episcopis competentium super executione omnium piarum di-

spositionum, tam in ultima voluntate, quam inter vivos, in casibus a iure concessis, iuxta dispositionem sacri Concilii *Sess. 22, de Reform. cap. 8.*

31. Item a visitatione hospitalium, collegiorum quorumcumque, et confraternitatum laicorum, elemosynarum Montium pietatis, sive charitatis, et omnium piorum locorum quomodocumque nuncupatorum, etiamsi eorum cura ad laicos pertineat, aut exemptionis privilegio sint munita: ac denique a cognitione et executione eorum omnium, quae ad Dei cultum aut animarum salutem, seu pauperes sustentandos instituta sunt, iuxta dictum Decretum sacri Concilii *Sess. 22, de Reform. cap. 8.*

32. Item a decretis, seu mandatis cogentibus administratores tam ecclesiasticos, quam laicos, etiam exemptos, fabricae cuiusvis ecclesiae, etiam cathedralis, hospitalis, confraternitatis, elemosynae, Montis pietatis, et quorumcumque piorum locorum, ad reddendam singulis annis ipsi Ordinario rationem suae administrationis, nisi aliud in institutione et ordinatione talis ecclesiae, seu fabricae expresse cautum fuerit, iuxta Decreta sacri Concilii *Sess. 7, de Reform. cap. 15, Sess. 22, cap. 9, et Sess. 25, cap. 8.*

33. Item a decretis compellentibus notarios, etiam Apostolica, Imperiali aut Regia auctoritate creatos, et scribentes in causis ecclesiasticis, vel spiritualibus, ad se subiiciendum examini: eorumque remotione, vel suspensione in casu delicti, vel imperitiae, iuxta praescriptum sacri Concilii in dicta *Sess. 22, cap. 10.*

34. Item ab erectione seminarii, et taxatione quorumcumque dignitatum, personatum, officiorum, praebendarum, portionum, abbatiarum, et prioratum cuiuscumque Ordinis, etiam Regularis, hospitalium, quae

dantur in titulum, vel administrationem, et beneficiorum quorumcumque, etiam Regularium, etiam iurisdictionis, etiam exemptorum, etiam nullius dioecesis, vel aliis ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, et aliis quibusvis locis piis, etiam exemptis, annexorum, ac quorumcumque aliorum ecclesiasticorum reddituum, seu proventuum ad fabricas ecclesiarum, confraternitates, et monasteria omnia, non tamen mendicantium, pertinentium; necnon decimarum quacumque ratione ad laicos, atque etiam milites cuiuscumque militiae, aut Ordinis, Hierosolymitano excepto, spectantium, pro eiusdem seminarii maintenance: prout etiam ab unione et applicatione aliquot beneficiorum simplicium; necnon a decretis cogentibus eos, qui scholasterias obtinent, vel quibus lectionis vel doctrinae munus est annexum, ad docendum per se ipsos, vel idoneos substitutos; et generaliter a mandatis et provisionibus, quae quoquo modo respiciunt curam, directionem et administrationem seminarii, plenamque executionem Decreti editi a sacro Concilio super collegio puerorum in singulis cathedralibus instituendo, *Sess. 13, de Reform. cap. 18.*

35. Item a mandatis, seu Decretis cogentibus oeconomos, Vicarios Capitulares, ad reddendam rationem administrationis per eos gestae Sede episcopali vacante, iuxta praescriptum sacri Concilii *Sess. 24, de Reform. cap. 16.*

36. Item a comminatione excommunicationis a iure latae, et a sententia excommunicationis latae ab homine, suspensionis, et interdicti, nisi appellatio fuerit interposita ex capite nullitatis: et e converso a sententia ab solutionis ab eisdem censuris ecclesiasticis.

37. Et generaliter ab executione aliorum quorumcumque Decretorum dicti sacri Concilii Tridentini,

Episcopis atque Ordinariis locorum demandata ab ipso Concilio, et in Constitutione fel. rec. Pii Papae IV, quae incipit: *Benedictus Deus*.

38. Volumus, praecipimus et mandamus, quod ab Archiepiscopis, Patriarchis, seu Primatibus, aliisque iudicibus ecclesiasticis, etiam Nostris et Sedis Apostolicae Nuntiis, vel de latere Legatis, etiam Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, atque etiam Camerae Nostrae generali, Auditore, Signaturae, Iustitiae Praefecto, ceterisque iudicibus Romanae Curiae, eorumque vicariis et officialibus, citationes generales, vel speciales cum commissione inserta, monitoria, et alia huiusmodi cum inhibitione, per quam exsequutio Decretorum, mandatorum et provisionum huiusmodi retardetur, suspendatur, aut impediatur, minime concedantur; et quatenus nunc, aut in posterum concessa fuerint, nullatenus inhibeant, atque ab Episcopis, aliisque locorum Ordinariis impune sperni possint; quacumque consuetudine etiam immemorabili, vel quovis privilegio, aut stylo concedendi inhibitiones in causis praedictis, tametsi temporarias, penitus exclusis. Nos enim citationes et monitoria, aliter quam ut praefertur concessa, vel in posterum concedenda, nulla atque irrita declaramus, et pro nullis atque irritis haberi volumus et mandamus: decernentes, quod adversus decreta, mandata et provisiones eiusmodi, quas vel quae ab Episcopis, aliisque locorum Ordinariis fieri, vel capi contigerit in causis et negotiis praedictis, vel simplex dumtaxat et extrajudicialis recursus per viam supplicis libelli, ad Nos et Successores Nostros Romanos Pontifices, vel respective, et iuxta causarum naturam et qualitatem, Appellatio ad quos de iure, in solo devolutivo et sine retardatione, vel praeiudicio legitimae exsequutionis, recipi et admitti possit.

39. Quoniam vero in hisce ipsis negotiis et causis, in quibus inhibitiones canonicam exsequutionem impediendes, aut suspendentes, concedi non debent, dari possunt casus, qui per ipsum Sacrum Concilium Tridentinum, vel iuxta eius mentem, per Apostolicas Constitutiones et Sacrarum Congregationum declarationes, aut communem Doctorum sententiam, a praefata generali regula de non concedendis inhibitionibus eisque posthabendis, excipiuntur, quique ut plurimum non aliter quam prudentis iudicis arbitrio secundum particulares facti circumstantias aestimari possunt: hinc Nos, ne sub eiusmodi praetextu inhibitiones, ut supra prohibita, vulgo et sine ullo delectu etiam in casibus non exceptis concedantur, statuimus et mandamus, quod in dictis causis et negotiis superius expressis Metropolitanis, Patriarchae, Primates, alique iudices praedicti, et praesertim Camerae Nostrae generalis Auditor, eiusque Locumtenentes, et Signaturae Iustitiae Praefectus, eiusque Auditor, ad quos in contingenti casu pro obtinenda inhibitione recursus haberi contigerit, etiamsi asseratur, casum illum a Sacro Concilio, vel Apostolicis Constitutionibus quacumque de causa exceptum esse, nihilominus literas citatorias, vel monitorias cum inhibitione huiusmodi non concedant, nisi prius ex facti circumstantiis, in supplici libello a parte recurrente clare ac dilucide exponendis, et cum aliquo documento semiplene saltem verificandis, eisdem summarie apparuerit casum illum esse de exceptis, et propterea Episcopo vel Ordinario loci inhibendum esse, ne ad ulteriora procedat: tunc enim, et non alias, et postquam ipsi iudices, quorum conscientiam hac in parte oneramus, super dicto supplici libello manu sua rescripserint, quod inhibito concedi potest, libellusque cum re-

scripto eiusmodi in actis productus fuerit, diligenter ibidem custodiendus et asservandus, liceat eorum notariis sive actuariis literas citatorias cum dicta inhibitione expedire, et parti recurrenti tradere, ita tamen, ut in earum calce expresse adiciatur sequens clausula;

Nos enim, attentis viribus et supplici libello Nobis praesentatis atque in actis exhibitis, sic, ut praefertur, inhibendum esse, speciali rescripto mandavimus; alias literae eiusmodi sine tali clausula nullam vim inhibendi habeant in casibus praedictis.

40. Et nihilominus, si notarii, sine dicto speciali rescripto super supplici libello, aut sine productione illius in actis, aut sine praedicta clausula, citationes ulla aut monitoria cum inhibitione, sub quocumque praetextu seu colore, expedire ac tradere praesumpserint, etiamsi illae aut illa a iudice subscripta fuerint, poenam infamiae et perpetuae inhabilitatis ad officium notaril in causis ecclesiasticis exerceendum, et quoad illos Camerae Nostrae generalis Auditoris, aut aliorum Romanae Curiae iudicum superius expressorium, etiam quinquaginta ducatorum auri de Camera, pro una medietate Camerae Nostrae Apostolicae, et pro alia ipsi parti recurrenti, et in causa interesse habenti, sin minus alicui ex locis piis, arbitrio Nostro Nostro- rumque Successorum destinando, applicandam, ipso facto incurrant.

41. Ad haec, similiter inhaerentes dispositioni eiusdem Sacri Concilii *Sess. 7. de Reform. cap. 14. et Sess. 14. cap. 5.* necnon etiam Decreto piae mem. Bened. XIII hac in re promulgato inter eius additiones ad decreta Urbani Papae VIII. in appendice ad Concilium Romanum, volumus et mandamus, quod clerici saeculares aut regulares extra monasterium de-

gentes, quomodolibet exempti, in civilibus causis mercendum, et miserabilium personarum, etiamsi certum iudicem a Sede Apostolica deputatum in partibus habeant: in aliis vero, si ipsum iudicem non habuerint, coram locorum Ordinariis, tanquam ab ipsa Sede delegatis, conveniri in prima instantia, et iure medio ad solvendum debitum cogi possint.

42. Quo vero ad personas non exemptas, inhaerendo similiter dispositioni eiusdem S. Concilii *Sess. 13. de Reform. cap. 1. et Sess. 22. c. 7. et Sess. 24. cap. 20.* necnon supradictis decretis generalibus Congregationis Episcoporum editis anno 1600 cum novissimis additionibus seu declarationibus piae mem. Benedicti XIII in appendice Concilii Romani, volumus, statuimus et mandamus, quod causae omnes, tam civiles, quam criminales, ad forum ecclesiasticum pertinentes, exceptis privilegiatis, quae ex eodem Concilio, vel alias iuxta canonicas sanctiones apud Nos et Sedem Apostolicam tractari possunt, aut debent, coram Ordinariis locorum dumtaxat in prima instantia cognoscantur; neque a Metropolitanis, Patriarchis, aut Primatibus, aliisque iudicibus ecclesiasticis, etiam Nostris et Sedis Apostolicae Nuntiis, vel de latere Legatis, aut Camerae Nostrae generali Auditore, et caeteris quibuslibet Curiae Nostrae iudicibus ad se advocari, vel aliis committi possint, nisi per viam legitimae appellationis, et in casibus ut supra non prohibitis, ad ipsorum tribunalia deferantur.

43. Appellationes autem non recipiantur, neque inhibitiones vigore illarum concedantur, nisi prius constiterit, quod nedum per legitimam personam et intra legitima tempora vere appellatum fuerit, sed etiam, quod appellatum fuerit a sententia definitiva, vel ha-

bente vim definitivae, aut a gravamine quod per definitivam sententiam reparari non possit: idque per publica documenta, quae realiter in actis exhibeantur: tunc enim, et non antea iudici, ad quem appellatum fuerit, in causa se intromittere, citationes et inhibitiones concedere liceat; dummodo tamen concedantur cum inscriptione tenoris sententiae, aut decreti definitivi, seu vim definitivae habentis, vel damnum per definitivam irreparabile inferentis: alias citationes, inhibitiones, processus, et inde sequuta quaecumque sint ipso iure nulla, atque impune sperni possint.

44. Quod si appellans asserat, sententiae aut decreti exemplum authenticum culpa iudicis a quo, vel notarii sive actuarii haberi non posse, tunc saltem copiam simplicem sententiae, seu decreti, in actis producere teneatur; eiusque tenori in literis inhibitoriis inserto adicienda erit, prout adici volumus et mandamus, in earum corpore expressa conditio: *Quatenus tamen tenor insertus vere et in substantialibus cum originali concordat, eodemque originali praesentes literae sint in tempora posteriores, alioquin nullae et irritae censentur*: et si secus factum fuerit, inhibitiones aliter concessae nullatenus afficiant, et notarii, sive actuarii, qui illas expederint, incidant in poenas superius expressas.

45. Cum vero a gravamine, quod per definitivam reparari nequit, appellatum fuerit, siquidem res sit de carceratione iam sequuta cum mandato verbali, non aliter expediri poterunt inhibitiones vigore appellationis, quam constituo prius de ipsa carceratione per depositionem saltem duorum testium. Interim tamen appellans in eodem, quo reperitur, carcere permanebit, donec aliter servatis servandis iudicatum fuerit. Ubi vero agatur

de censuris iam prolatis, vel de comminatione carcerationis, torturae, aut censurarum, observetur omnino dispositio dictorum decretorum Congregationis Episcoporum sub rec. mem. Clemente VIII, iuxta additiones et declarationes piae mem. Benedicti XIII.

46. Ulterius in praedictis causis in prima instantia pendentibus, vel aliis superius expressis, in quibus non admittitur appellatio in suspensivo, citationes, quae expediri solent coram Cardinali Signaturae Iustitiae Praefecto, vel ad effectum comparendi, vel pro adeundo eandem Signaturam, tametsi ab eius Auditore subscriptas, vim inhibendi nullatenus sorti posse volumus, easque ad praedictos alios dumtaxat effectus, comparendi scilicet, vel adeundi Signaturam expeditas censi, non autem ad retardandam executionem vel suspendendum processum ad ulteriora.

47. Denique quoad causas privilegiatas, quae, ut praefertur, in prima etiam instantia apud Nos et Sedem Apostolicam tractari possunt, nihil ex antiquo mutandum esse volumus; sed monitoria in illis coram Camerae Nostrae generali Auditore, vel eius Locumtenentibus, prout hactenus laudabiliter observatum est, expedienda esse iuxta praescriptum Apostolicarum Constitutionum, et praesertim fel. rec. Pauli V. Praecessoris Nostri, in Constitutione, quae incipit: *Universi*, necnon praedictarum additionum et declarationum Benedicti XIII, exceptis tamen monitoriis intumandis ultra montes, in quibus ad evitanda scandala et litigantium incommoda, volumus omnino renovari et observari stylum, qui olim in eo tribunali vigeat, idest, quod ad eiusmodi monitoriorum expeditionem non aliter procedatur, quam oblato prius ipsi Auditori, vel alteri ex eius Locumtenentibus, coram quo monitorium expe-

diendum erit, supplici libello universam facti speciem clare et dilucide continente, et praevio etiam eiusdem iudicis rescripto, quod monitorium expediri possit, penes causae notarum vel actuarium diligenter custodiendo. Et si aliter, quam praefertur, et absque dicto supplici libello ac speciali iudicis rescripto, dicta monitoria ultra montes intimanda expedita fuerint, notarius sive actuaris et substitutus, qui illa expenderit, ipso facto incidat in poenas superius expressas.

48. Omnia et singula haecenus a Nobis disposita ad rectam iudiciorum methodum restituendam, eo impensius ab omnibus exacte custodiri et observari mandamus, quo clarius constat, hac Nostra Constitutione non novas fieri, sed antiquas instaurari leges provide sapienterque institutas, et temporum iniuria ac hominum fraude obsoletas, et novo Pontificiae auctoritatis praesidio communiri ordinem procedendi in causis, iamdiu praescriptum superioribus et inferioribus tribunalibus a Sacra Tridentina Synodo, Congregationum decretis, et Praedecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum Constitutionibus, aliisque Ordinationibus Apostolicis. Ideoque si ipsi iudices, omni semoto, ut par est, humanae cupiditatis affectu, prae oculis solum habuerint quae tam maturo tamque saluberrimo sunt constituta et ordinata consilio, facile eorum quilibet agnoscat, quae sui, et quae alieni ministerii partes esse debeant in admittendis ac respective reiiciendis causarum appellationibus et inhibitionibus; atque ita fiet, ut non solum unicuique in suo ordine debita iurisdictionis et auctoritatis praerogativa servetur, sed etiam ut, extinctis prorsus ac radicitus avulsis omnium contentionum et discordiarum seminibus, mutuo charitatis vinculo tribunalia socientur, et inter illa recte agendi

disciplina christiano populo utilis et necessaria restituatur.

49. Demum, ut, exemplo Nostro, omnes praemissorum executioni caute et pro viribus incumbant, et ut praesertim notariis, tabellionibus et eorum actuariis et substitutis omnis contraveniendi ansa praecidatur, volumus et expresse mandamus, processus et acta causarum in Nostra Romana Curia coram quovis iudice pendentium, ac inhibitiones, appellationes, monitoria, aliasque citatoriales et inhibitoriales literas, quas ab iisdem notariis eorumque substitutis, scientibus vel inscis iudicibus, vel alias quomodolibet in posteram expediri contigerit, sedulo cognosci et examinari per fide dignas personas a Nobis opportune deputandas; quae si deprehenderit, easdem inhibitiones contra huius Constitutionis formam, et ad subterfugienda Ordinarium et Episcoporum iudicia, quaesito gravaminis colore, fuisse perperam concessas et expeditas, in eosdem notarios et substitutos canonicis poenis aliisque a Nobis supra expressis, severe pro modo culpae animadvertant.

50. Decernentes has praesentes Literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis ad quos spectat, et pro tempore quodcumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae praefatae Cardinales, etiam de latere Legatos, et eiusdem Sedis Nuntios, aliosve quoslibet quacumque praeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpre-

tandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

51. Non obstantibus praemissis, ac quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ac usibus et stylis, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, et Literis Apostolicis, praefatis, aliisque quibuslibet iudicibus, curiis, tribunalibus et personis, etiam quantumvis sublimibus et specialissima mentione dignis, sub quibuscumque tenoribus et foris, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque decretis, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, et alias quomolibet in contrarium praemissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, et quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis et innovatis: quibus omnibus et singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omissio, et forma in illis tradita observata exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dum-

taxat specialiter et expresse derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

52. Ut autem eadem praesentes Literae ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus illas, seu earum exempla, ad valvas ecclesiae Lateranensis et Basilicae Principis Apostolorum, necnon Cancellariae Apostolicae, Curiaeque generalis in Monte Citorio, ac in acie Campi Florae de Urbe, ut moris est, affigi et publicari; sicque publicatas et affixas, omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde arctare ac afficere, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatae fuissent; ipsarum autem Literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eandem prorsus fidem tam in iudicio, quam extra illud ubique locorum haberi, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

53. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostri decreti, constitutionis, declarationis, annulationis, admonitionis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quadragésimo secundo, tertio Kal. Aprilis, Pontificatus Nostri anno II.

P. Card. Pro-Datarius. — D. Card. Passioneus. —
Visa de Curia. — N. Antonellus. I. B. Eugenius. —
Registrata in Secretaria Brevium. — Publicata die 18 Aprilis eiusdem anni.

XII.

Bened. XIV. Const. « Cum illud » de forma in concursibus observanda. — 14 Dec. 1742.

1. Cum illud semper plurimum formidaverit Ecclesia catholica, ne indignis quibusque, et extra sacerdotale meritum constitutis, cura animarum et Dominici gregis custodia crederetur, quia totius familiae status et ordo nutat, si, quod requiritur in corpore, non invenitur in capite: hinc canonicis sanctionibus, ac praesertim sanctae Tridentinae Synodi decretis provide consultum est, regimen ecclesiarum parochialium iis esse committendum, quorum omnis aetas a puerilibus exordiis ad perfectiores annos per disciplinae ecclesiasticae stipendia ita cucurrisset, ut de illorum supra alios profectione, ac potiori doctrinae, morum, ac diuturni laboris suffragio nefas esset dubitare. Quia vero perniciosa apud plurimos opinio sensim invaluit, Tridentini decretis non praescriptam esse dignioris electionem, sed caveri tantummodo, ne indignis ecclesiae parochiales, aliaque beneficia, quibus cura imminet animarum, conferrentur, s. m. Innocentius XI, Praedecessor Noster, erroneam doctrinam a vera et sincera Patrum mente longius deflectentem damnavit, et edocuit, quam prudens ac diligens esse debeat pastoralis officii dispensatio.

Ad tramites idcirco eiusdem sanctae Synodi usu receptum est, occurrente parochialis ecclesiae vacatione, quae libere ab Ordinario conferenda sit, concursum institui, ut habita in eo de cuiuslibet aetate, moribus,

doctrina et sufficientia, sollerti inquisitione, Episcopus eligat, quem ceteris magis idoneum iudicaverit.

2. At quia contingere quandoque potest, quod favore, vel gratia, vel minus aequo iudicio, minus digni dignioribus praeponanatur, s. m. Pius V, Noster Praedecessor, ne quid in huiusmodi electione esset inordinatum atque praeposterum, edita saluberrima Constitutione, licere voluit iniuste in concursu reiectis, interposita ad Metropolitanum vel Episcopum vicinorem vel Sedem quandoque Apostolicam appellatione, praelectum ad novum examen provocare, et ecclesiam alteri non rite collatam, novo facto meritum periculo, si ita ius esset, vindicare. Et ne frivola appellationis diffugio locus esset, provide ibidem cautum est, dictae appellationi in devolutivo tantum deferri oportere, non suspensa aut quoquo modo retardata praeelecto ab Ordinario parochialis ecclesiae possessione.

3. Consultissimae huiusmodi leges cum in finem institutae ne, in tanti momenti re, imperiti magistris, novi antiquis, rudes praeferebantur emeritis, violatae sunt hominum fraude et malitia ipsa medela vulnus exasperantium. Saepissime enim reiecti ab Ordinario dictae Constitutionis obtentu, in vocem appellationis facile prorumpere, et minus legitima concurrente causa electos ab Episcopo ad novum examen provocare consueverant; illosque praeterea, relicta gregis et ecclesiae custodia, longum iter arripere, et diuturni laboris, temporis et pecuniae impensa exhaustos, litem in secunda, tertia et ulteriori quandoque instantia, sustinere cogebant.

4. Quin etiam experientia compertum est magno iustitiae detrimento litem ipsam absolvi; quandoquidem ii, qui examini se subiecerant, atque in primaevo con-

cursum utpote legitimarum institutionum nescii reiecti fuerant, longa postmodum decurrente lite, sedulam literis ex industria navantes operam, praeferrere aliis merebantur, et acerbe succensebant Episcopo, iudici quidem adeptae, non autem adipiscendae peritiae, per iniuriam se fuisse reiectos.

5. Hinc apud bene moratos homines et iustitiae vindices frequens querelarum occasio, quibus sedandis cum Congregatio Concilii Tridentini Interpres omne studium diligentiamque conferret: Nobis, qui Secretarii munere fungebamur, mandatum est, ut sermone, typis postea vulgato, rem sedulo expendere, ingruentis mali originem, et apta eidem avertendo remedia investigare pro viribus niteremur. Sensus hac de re Nostros explicantes, vitio potissimum laborare comperimus praxim examinis oretenus habiti, nec scriptis consignati: electi siquidem ad curam animarum ab Ordinario collatore, et ad iteratum examen coram alio iudice provocati, ius legitimae collationis tueri non poterant certo ac permanenti testimonio iam probatae idoneitatis; sed a novi examinis alea, subeunda coram iudice appellationis gestarum rerum prorsus ignaro, tota res pendere videbatur. Quocirca, gravi iustitiae detrimento, recepta in foro erat opinio, provocari posse ad alium iudicem, nullo exhibito indebitae reiectionis documento. Quod quidem cum a sacrorum canonum censura longius aberraret, facile huic corruptelae occurrere posse censuimus, si certa primum et apte disposita habendi examinis forma praescriberetur; si quaestiones examinatis propositae et consentaneae illorum responsiones, totaque rei gestae series in scriptis redigeretur; et sic acta demum totius concursus ad iudicem appellationis integra asportarentur.

6. Inita a Nobis consilii ratio non solum arrisit Congregationi, illam die 16. Novembris 1720. ratam habenti, sed etiam Pontifici iudicii accessione roborata fuit a Clemente XI, ecclesiasticae disciplinae vindice et assertore eximio. Utque locorum Ordinarii ea omnia filiali, quo par erat, obsequio et diligentia exsequerentur, iis datae sunt die 10 Ianuarii 1721 opportunae litterae Nostro calamo exaratae, eiusdemque Pontificis sensu et oraculo comprobatae, quarum tenorem etsi alias praelo commissum et insertum in Bullario dicti Clementis Praedecessoris Nostri, congrue hic duximus referendum.

Reverendissime Domine uti frater,

7. « Quo parochiales ecclesiae dignioribus personis gubernandae traderentur, statuit, ut notum est, sacrosancta Tridentina Synodus *Sess. 24. cap. 18.* ut, vacante ecclesia parochiali, indiceretur et fieret concursus, ac, postquam concurrentes ab Episcopo, vel eius Vicario generali atque ab examinatore synodalibus saltem tribus, examinati et approbati essent, Episcopus eum eligeret, quem aetate, moribus, doctrina, prudentia, aliisque rebus ad vacantem ecclesiam gubernandam necessariis et opportunis, digniorem ceteris, magisque idoneum iudicaret. Adiecitque ad hanc Concilii sanctionem validius confirmandam re et nomine Sanctissimus Pontifex Pius V, quod, si unquam Episcopus minus habilem, postpositis magis idoneis, elegisset, possent illi, qui reiecti essent, a mala eiusdem electione ad Metropolitanum, vel, si ipse eligens Metropolitanus, aut exemptus foret, ad viciniorem Ordinarium, ut Sedis Apostolicae Delegatum, vel alias ad ipsam Sedem Apostolicam appellare, ac praecele-

« etum ad novum examen coram ipso appellationis
 « iudice et eius examinadoribus provocare; ea tamen
 « cautione, ut appellatio non in suspensivo, sed in de-
 « volutivo, esse deberet: quemadmodum in eius Con-
 « stitutione, quae trigesima tertia est, latius cavetur;
 « concludendo, quod, constito de prioris eligentis irra-
 « tionabili iudicio, coque revocato, parochialis ecclesia
 « magis idoneo conferatur.

« Cum autem, neque Concilii decreto, neque Pon-
 « tificis Bulla, examinis in concursu peragendi forma
 « seu methodus ulla certa ac peculiaris servanda pro-
 « ponatur, difficile dictus est, quanta examinum aliorum
 « alibi diversitas extiterit, atque hinc occasio quere-
 « larum. Nam alicubi, cum non eadem omnibus quae-
 « stiones, non iidem casus propositi fuissent, erant
 « identidem, qui, vel in iudicio vel extra conquereren-
 « tur, sibi quidem postpositis difficiliore, praelecto
 « autem faciliore ad solvendum quaestiones obtigisse.
 « Alibi vero eadem quidem omnibus quaestiones pro-
 « positae fuerunt, sed neque haec, neque datae a con-
 « currentibus responsiones scripto seu literis consigna-
 « bantur. Cumque postmodum, nec raro contingeret,
 « ut e postpositis quispiam iure Bullae supradictae
 « novum ad examen coram iudice appellationis, eiusque
 « examinadoribus electum provocaret, Sacra Congre-
 « gatio usque ab anno 1603, considerans gravamen non
 « alia ratione, quam novo examine probari posse, pro-
 « vocationem ad novum examen censuit admittendam,
 « gravamine necdum probato, et requisitis tantummodo
 « probationibus in subsequenti iudicio, in quo, probato
 « per novum examen appellantis gravamine quoad do-
 « ctrinam, probanda superest eiusdem prae iam electo
 « in reliquis ad regendam ecclesiam requisitis prae-

« stantia, ut de maiori alterutrius ad parochialis ec-
 « clesiae gubernium idoneitate sententia ferri possit;
 « cum non continuo, si quis est doctior, is etiam aptior,
 « seu magis idoneus ad id regimen habeatur, vel etiam
 « habendus sit. Quam S. Congregationis sententiam
 « scriptores et tribunalia laudarunt. Aliis demum in
 « dioecibus laudabilis invaluit consuetudo, ut eadem
 « omnibus quaestiones, iidemque casus proponantur,
 « ac (ne qua detur ansa cancellario quidquam suo
 « Marte addendi, minuendi, mutandi) ut ipsimet con-
 « currentes, quae interrogati fuerint, quaeque respon-
 « derint, sua manu perscribant. Atque Ordinarii, qui
 « morem hunc longe optimum in examinando tenuere,
 « Sacrae deinde Congregationi etiam atque etiam con-
 « siderandum reliquerunt, his, qui sic examinati essent
 « atque postpositi, in posterum, ut solent, appellan-
 « tibus, indulgenda nec ne statim electi novum ad exa-
 « men provocatio, nulla gravaminis praerequisita pro-
 « batione, videretur; cum isti ex actis primi examinis
 « gravamen doctrinae facile alioquin probare possent;
 « quod alii aliter nimirum examinati probare, nisi se-
 « cundo, seu novo examine non poterant. Nec defuere
 « alii probitatis ac peritiae in administrandis diu ec-
 « clesis laude praestantes, qui monerent, frenum ali-
 « quod huiusmodi appellantium licentiae tandem inii-
 « ciendum, eorumque iam nimis crebras novum ad
 « examen provocaciones esse reprimendas; quippe quae
 « vix unquam sine magno ecclesiarum damno contin-
 « gunt. Nam cum novum examen coram iudice ap-
 « pellationis longe procul a parochia peragendum sit,
 « electus ab Episcopo, qui provocatur, parochiam, quam
 « possidet, cogitur interea temporis deserere, eamque
 « oeconomus vel vicarius cuipiam, veluti sponsam ignotis

« custodibus relinquere, sponso non parumper, sed diu
 « sane abfuturo, dum nempe, implicita, ut fit, lite, terna
 « etiam vel quaterna, alia ex aliis examina super prae-
 « stantia primum doctrinae, tum deinde aliorum, quae
 « ad integrandam idoneitatem opportuna sunt, con-
 « tentiose multiplicentur, et commode, ne dicam otiose,
 « transigantur, antequam deliberari possit, utri con-
 « currentium parochia sit adiudicanda.

« Ad tollendam eiusmodi non minus querelarum
 « quam incommodorum occasionem, Sacra Congregatio
 « Concilii Tridentini Interpres, postquam rem omnem
 « a capite repetitam in gemina Sessione 1 Oct. et 16
 « Nov. 1720 summo studio recognovit, tandem, San-
 « ctissimo etiam annuente, statuit (quod per praesentes
 « Literas encyclicas exsequitur), omnes et singulos
 « Episcopos, aliosque Praelatos, penes quos sit ius et
 « auctoritas faciendi concursum, hortari, ut examen
 « eiusmodi instituire non graventur, quale iam et
 « multae dioeceses, et Urbs ipsa observat, atque Apo-
 « stolica etiam Dataria postulat, sive cum sede vacante,
 « vacat ecclesia aliqua parochialis, cuius collatio ad
 « Sedem Apostolicam pertineat, sive cum vacat paro-
 « chialis aliqua, ut dicitur, iuxta decretum, sive demum,
 « cum, vacante in collegiatis aut cathedralibus ecclesiis
 « dignitate aliqua maiori, annexam habente curam ani-
 « marum, faciendus est concursus, atque ad Apostolicam
 « Datariam transmittendus, ut notum est, atque in
 « literis, quae de ordine Sanctissimi tunc e Dataria
 « prodeunt, clare praescribitur.

« Vacante itaque ecclesia parochiali, quae confe-
 « renda sit per concursum, atque hoc solitis formulis
 « indicto, haec, quae sequuntur, ex Sacrae Congregatio-
 « nis sententia, consilio, suasionem, servanda proponuntur:

« Primum nempe, ut assignentur eadem omnibus
 « concurrentibus quaestiones, iidem casus, idemque
 « textus Evangelii, super quo sermonis aliquid per-
 « scribant, ad probandam dicendi pro concione facul-
 « tatem.

« Alterum, ut casus et quaestiones resolvendae
 « dicentur omnibus eodem tempore, atque omnibus
 « pariter eodem tempore textus Evangelii tradatur.

« Tertium, ut certum idemque omnibus spatium
 « temporis constituatur, intra quod casus resolvant,
 « quaestionibus respondeant, conciunculam componant.

« Quartum, ut eodem concurrentes omnes in con-
 « clavi claudantur, unde, quandiu scribent (dabitur enim
 « omnibus scribendi copia), nemo eorum egredi, neque
 « alius quispiam eo ingredi possit, nisi postquam
 « scripta confecerint et exhibuerint.

« Quintum, ut omnes sua quisque manu tum re-
 « sponsa, tum sermonem scribant subscribantque.

« Sextum, ut responsa quidem latine; sermo autem
 « ea, qua ad populum haberi solet, lingua scribatur.

« Postremum, ut unumquodque responsum, et
 « unusquisque sermo, cum ab unoquoque concurren-
 « tium exhibebitur, non solum ab eo, qui scripsit, atque
 « a cancellario concursus, verum etiam ab examinato-
 « ribus, et ab Ordinario, vel eius Vicario, qui con-
 « cursui interfuerint, subscribatur.

« Peracto secundum hanc formulam concursu,
 « collataque ei, qui magis idoneus ac dignior iudicatus
 « fuerit, ecclesia parochiali, non admittatur appellatio
 « aut a mala relatione examinatorum, aut ab irratio-
 « bili iudicio Episcopi, nisi intra decem dies a die col-
 « lationis interponatur.

« Si quis autem hoc intra spatium appellaverit,

« actaque concursus petat ad iudicem appellationis
 « transferenda, mittantur vel acta ipsa originalia con-
 « cursus clausa et obsignata, vel certe unum aliquod
 « authenticum eorum exemplum, a cancellario concur-
 « sus, atque altero notario collatum et auscultatum
 « coram Vicario, vel alio in ecclesiastica dignitate con-
 « stituto, quem eligat Ordinarius, ad quem etiam no-
 « tarii cancellario adiungendi electio pertinebit, necnon
 « ab examinadoribus synodalibus, qui concursui inter-
 « fuerunt, subscriptum.

« Ex quibus actis, vel authentico eorum exemplo
 « nisi gravamen quoad doctrinam probet is, qui sic,
 « ut praemittitur, examinatus, aut a mala relatione
 « examinadorum, aut ab irrationabili iudicio Episcopi
 « appellaverit, novum ad examen provocandi faculta-
 « tem a Sacra Congregatione frustra postulabit.

« Quemadmodum et in iudicio appellationis perse-
 « qui ius suum frustra tentabit is, qui forte se gravatum
 « doleat quoad reliqua, nisi interposita mature, ut di-
 « ctum est, appellatione ab irrationabili iudicio Episcopi,
 « gravamen quoad illa ostenderit vel ex actis primi con-
 « cursus, vel saltem ex attestationibus et documentis
 « extrajudicialibus etiam, sed non levibus.

« Atque ita quidem sensit Sacra Congregatio, et
 « Sanctissimus assensit. At si quis tamen Ordinadorum
 « aliter, ac supra descriptum est, concurrentium exa-
 « mina instituire perrexerit, perget et Sacra ipsa Con-
 « gregatio more pristino appellantes, qui se gravatos
 « dixerint, provocationem ad novum examen, nulla
 « gravaminis praevia probatione, indulgere. Interim
 « tamen, ne harum literarum memoria dilabatur, vult
 « eadem Sacra Congregatio, eas in uniuscuiusque Or-
 « dinarii cancellaria perpetuo conservari. Cuius interea

« consilium, tum voluntatem, dum ego omnibus signi-
 « fico, Amplitudini Tuae fausta omnia e coelo precor.
 « Romae hac die 10 Ianuarii 1721. Amplitudinis Tuae —
 « Uti frater — P. M. Card. Corradinus, Praefectus —
 « P. Lambertinus, Secretarius. »

8. Quantum recte dispensandis ecclesiasticis mu-
 neribus, administrandae iustitiae, componendis dissidiis,
 continendisque in officio clericis proficeret saluberrima
 praemissarum legum institutio, satis superque experi-
 entia comperimus, cum Anconitanam primum eccle-
 siam, ac deinde Bononiensem sponsam nostram paterna
 charitate cominus amplecteremur; freti siquidem di-
 ctarum legum praesidio, digniores parochiis et curae
 animarum praefecimus: tantaque, benedicente Domino,
 id accidit animorum consensione, ut nemo questus sit,
 traditum minus digno celsioris loci praemium, vel
 minus iuste alteri credita vacantis ecclesiae guber-
 nacula.

9. At quia certis admonemur indicis, non ita id
 aliis Episcopis contigisse, imo non deesse, qui privati
 abrepti studiis, saepe declinare ac redarguere iudicium
 episcopale praesumant: Nos propterea solliciti de im-
 plendis, prout decet, muneris Nostri partibus, nonnulla
 praefatis literis addenda, nonnulla vero tacite brevi-
 terque ibidem tradita, clarius explicanda censuimus, ut
 recte omnia atque ex ordine peragantur.

10. Moerentes igitur audivimus, quod in plerisque
 dioecesibus, etsi recepta sit laudabilis, firmiterque cu-
 stodienda consuetudo in scriptis redigendi examen
 concurrentium, nihilominus examinadorum suffragia in
 sola literarum peritia versantur, nec illorum exquiritur
 sententia de clericorum aetate, institutione, gravitate
 et honestate morum, prudentia, muniis antea exercitis,

et an tales demum sint, qui oves suas verbo et exemplo iuvare possint. Quam devia sit huiusmodi praxis à Tridentini semita, is plane intelliget, qui expendet verba relata *cap. 18, Sess. 24. de Reform.: Peracto deinde examine renuntientur quotcumque ab his idonei iudicati fuerint moribus, doctrina, prudentia, et aliis rebus ad vacantem ecclesiam gubernandam opportunis.* Idque probe noscens Congregatio eiusdem Concilii interpres pluries edixit, examinatores suo deesse muneri, si doctrinae tantum iudices essent, nec inquirerent, qui prae aliis probitate morum, laboribus, praestito antea ecclesiae obsequio, ceterisque dotibus ad officium parochi-cumulate obeundum necessariis essent idonei et commendabiles.

11. Absoluto examine, ut cuique satis compertum est, sit tantummodo potestas examineribus renuntiandi quotquot regendae ecclesiae idoneos iudicaverint, reservata uni Episcopo electione dignioris, quemadmodum sancitum est à Tridentino illis verbis: *Ex hisque Episcopus eligat, quem ceteris magis idoneum iudicaverit.* At si quem clericorum forte contigerit appellare a mala relatione examinerum, quorum cura unice versata fuerit in exquirenda doctrina, non facta uno eodemque tempore solerti etiam investigatione aliarum qualitatum, quae pastoris congruant officio: ordo iudicii secum feret, ut etiam iudex, ad quem provocatum fuit, in sola doctrinae indagine immoretur, nec sine gravi animarum detrimento et disciplinae iniuria praeficiatur ecclesiae, qui literis magis pollet, licet ad cetera minus aptus, et quandoque indignus; contra vero arceatur ille, qui, licet impar doctrinae merito, attamen moribus, gravitate, prudentia, probato nomine, diuturno ecclesiae famulatu, ac multiplici virtutum laude praecellit.

12. Factum praeterea satis exstirpandis abusibus non videtur, si tam Episcopus, quam examinatores coniunctis studiis, industriae nervos omnes intenderint in conferenda concordii iudicio ecclesiae personae, quae licet scientia et literis alteri concedat, maiori tamen ceterarum qualitatum eminet ornamento; siquidem postpositus, suae nimium fidens doctrinae, ab irrationabili iudicio Episcopi non raro appellat; causaque ad iudicem appellationis delata, idem totus est in perquirenda maiori doctrina, ac reparando gravamine literato homini irrogato, nusquam librato aliarum virtutum pondere, quae in appellante desiderantur: Iugentque, ut plurimum, vigiles ecclesiarum Antistites exitum huiusmodi appellationis, intimeque dolent, parochias doctis, non aptis pastoribus, ut dictum est, regendas committi.

13. At si iudex etiam appellationis (quod raro evenit) tantum tribuens scientiae, quantum satis, maiori et accuratori examine inquirat, qui mores hominum sint, quae gravitas, prudentia, qui suscepti antea labores, quae virtutum specimina, quae demum totius antea vitae ratio pascendo gregi consentanea; tot iudici exhibentur attestations ab appellante ex industria collectae, ut, revocato episcopali iudicio tamquam irrationabili, non vereatur iudex succurrere eidem appellanti, quem tam copiosa tamque conspicua probitatis adiuvant documenta.

14. Demum cum praecipue Episcopis, tamquam in specula constitutis, pateant subditorum excessus, contingere solet, ut in concursu tam inspecta scientia, quam moribus ille idoneus ab examineribus renuntietur, cui foeda aliqua vitii labes, ac criminis macula inusta sit, omnibus, praeterquam Episcopo, occulta.

Si Episcopus, iusta suadente causa crimine non revelato, eundem criminis tacitus praeterierit, aliumque immunem a sorde praelegerit, illico postpositus simulato gravamine provocat ad superiorem iudicem criminis ignarum, et, consueto diffugio appellationis, evahitur ad pastorale fastidium qui non potest consulere populo, sed nocere, nec praestare regimen, sed augere discrimen.

15. Ne igitur improbi ingenii homines remedium appellationis ad iustitiae praesidium institutum callide traducant ad iniquitatis defensionem, optimum factu aliquibus fortasse videretur, si appellatione quavis subblata, cura praeficiendi rectores animarum prorsus relinqueretur Episcopis, rationem villicationis suae Christo iudici tantum reddituris. Verum nullo pacto probare id possumus, quod adversaretur menti Concilii Tridentini, tacite permittentis appellationem in devolutivo a mala relatione examinatorum, quemadmodum innuere videntur verba illa: *Nec praedictorum examinatorum relationem, quominus executionem habeat, ulla devolutio et appellatio, etiam ad Sedem Apostolicam, sive eiusdem Sedis Legatos, aut Vice-Legatos, aut Nuntios seu Episcopos, aut Metropolitanos, Primate vel Patriarchas interposita impediatur, aut suspendatur*; cui sanctioni respondet etiam Constitutio Pia, admittens appellationem in devolutivo ab irrationabili iudicio Episcopi.

16. Qua de re, ut in huiusmodi negotio apte omnia atque compositae peragantur, officii Nostri esse duximus, eum vobis, Ven. Fratres, gerendarum rerum ordinem praescribere, quem longo usu utilem agnovimus instituendis animarum rectoribus, qui credito sibi gregi praeesse et prodesse possint.

I. Episcopus, habita notitia vacationis ecclesiae,

statim, ad praescriptum Tridentini, idoneum in ea deputet vicarium cum congrua eius arbitrio fructuum portionis assignatione, qui onera ipsius ecclesiae sustineat, donec ei de rectore provideatur.

II. Publico evulgetur edicto notitia concursus, congruo et ab Episcopo praefinito tempore celebrandi: eodemque edicto omnes clare et aperte moneantur, ut interim decurrendo termino assignato, coram cancellario episcopali, vel altero ab Episcopo deputando, suarum qualitatam, meritorum et munerum probationes, attestationes tam iudiciales, quam extraiudiciales, aliaque id genus documenta, quae fraude vacent, exhibeant: alioquin, dicto termino elapso, documenta huiusmodi, quaecumque et qualiacumque ea sint, nullatenus recipiuntur.

III. Eveniente die concursus, a cancellario episcopali singulorum merita, qualitates, et requisita (ut vocant) incorrupta fide deprompta a iuribus tempore habili exhibitis, in scriptis summatim redigantur; porro copia epitomes tradetur non solum Episcopo, vel Vicario Generali vices illius obeunti, sed singillatim omnibus examinatoribus ad concursum adscitis, ut cum de scientia, tum de vita, moribus, aliisque regendae ecclesiae necessariis dotibus ferant iudicium.

IV. Die praestituta ab Episcopo, habeatur concursus, servata accurate in omnibus forma tradita in supra relatis literis anno 1721 editis, totaque rerum in eo gestarum series scriptis diligenter enucleetur. Porro examinatores ad assequendam certam et indubiam coniecturam scientiae, postquam diligenter expenderit singulorum peritiam in evolvendo explicandoque oretenus aliquo ecclesiasticae doctrinae capite, vel a SS. Patribus, vel a sacro Concilio Tridentino, vel a

Catechismo Romano excerpto, ac pari diligentia liberaverint a quolibet scripto datas responsiones quaestionibus propositis; et postquam demum deprehenderint, qua quisque polleat gravitate sententiarum, et elegantia sermonis in conciuncula scripto pariter exarata, et textui evangelico vel alteri dato themati accommodata: parem, ni forte maiorem solertiam examinatores adhibeant in perscrutandis aliis qualitatibus, regimini animarum consentaneis; morum honestatem inquirent, gravitatem, prudentiam, praestita hactenus ecclesiae obsequia, acquisitam in aliis muneribus laudem, aliaque spectabilem virtutum ornamenta, doctrinae arcto foedere consocianda; hisque omnibus coniunctim expensis, inhabiles per sua suffragia reiciant, et idoneos Episcopo renuntient.

V. Absoluto concursu, ab Episcopo, vel, eo impedito, a Vicario Generali una cum examinatore synodalibus non paucioribus quam tribus, notula compendiarie requisitorum antea distributa tradatur cancellario, qui illam comburat, vel penes acta secreto custodiat, et nemini ostendat, nisi de mandato Episcopi, vel eius Vicarii Generalis. Subinde vero Ordinarius, cum primum ei liberit, eligat ex approbatis digniorem, nec illi possessio ullo appellationis vel inhibitionis obtentu retardetur.

VI. Si quem clericorum appellare contigerit a mala relatione examinatorum, vel ab irrationabili iudicio Episcopi, coram iudice appellationis acta concursus integra omnino producat; et iudex nisi illis visis, et gravamine comperto, sententiam non pronuntiet. Praeterea in ferenda sententia ac reparando gravamine idem iudex innitatur solummodo probationibus ab actis elicitis tam respectu doctrinae, quam aliorum meritorum.

Quia vero a publica indictione usque ad diem habiti concursus tantum temporis intercessit quantum satis fuit commode exhibendis necessariis iuribus, attestationibus, requisitis, aliisque meritorum documentis, idcirco, ut quaevis via fraudibus praecidatur, volumus, ac districte mandamus, ne dictae attestations, fides tam iudiciales, quam extraiudiciales, et documenta quaecumque studiose conquisita, et post concursum, ut aiunt, expiscata ullo modo recipiantur: non obstantibus supra memoratis literis, a Congregatione Concilii Tridentini interprete anno 1721 editis, quibus ad praemissorum effectum in hac parte derogamus, illis tamen in reliquis, una cum omnibus in eis contentis, firmiter in suo robore permansuris.

VII. Ubi vero Episcopus, posthabito uno vel altero ex approbatis, ecclesiam contulerit magis idoneo ob aliquam sibi ipsi tantum notam causam, quam censeat significari oportere iudici appellationis, ad detergendam iniustae fortasse praelectionis notam; familiaribus literis iudicem certiore efficiat, inviolabilis secreti lege adiecta. Nemo sit, qui hanc praxim Nostrae tribuat solertiae, cum illa profluat a Tridentini decretis. *Sessione etenim 24. cap. 20 de Reform.* ita disponitur: *Praeterea si quis in casibus a iure permissis appellaverit, aut de aliquo gravamine conquestus fuerit, seu alias ob lapsum biennii, de quo supra, ad alium iudicem recurrerit, teneatur acta omnia coram Episcopo gesta ad iudicem appellationis exceptensis suis transferre, eodem tamen Episcopo prius admonito, ut si quid ei pro causae instructione videbitur, possit iudici appellationis significare.*

Et quamvis iure Nobis timendum sit, ne dicta praxis monendi iudicem, a quo appellatum est, in more olim

posita, hac tempestate obsoleverit, et a foro recesserit, attamen Episcopus (ut dictum est), si ex causa sibi tantum et non aliis nota, quae tamen approbari digna sit, ecclesiam contulerit, illam iudici appellationis, datis secreto literis, denuntiet et aperiat. Sciant porro iudices, delatas ab Episcopo causas et rationes inviolabilis secreti fide esse custodiendas, nec parvi pendendum esse testimonium illius pastoris, cui divino mandatur eloquio oves suas agnoscere. Facile enim credi non potest, quod Episcopi, suae non minus, quam alienae salutis adeo immemores, ut non deterriti divini interminatione iudicii, odio vel favore moveantur, et in sacrorum canonum singularem iniuriam, dicant *malum bonum, bonum malum, ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras.*

Si vero Episcopo fuerit suspecta fides iudicis, ad quem appellatum est, nec eidem revelanda censuerit huiusmodi occulta rationum momenta, illa significet secretis literis S. R. E. Card. Praefecto pro tempore Congregationis Concilii, qui nec consilio, nec auctoritate deerit, quominus a iudice appellationis debitus iustitiae locus tribuatur.

17. Praeterea, quia aequitati etiam convenit, causas appellationum, quae magno litigantium dispendio, et Ecclesiae pernicie immortales quandoque existunt, quanta fieri potest brevitate terminari; idcirco, ubi a iudice appellationis lata sit sententia, quae praelectioni factae ab Episcopo omnino sit conformis, nullus pateat novae appellationi aditus, sed auctoritate rei iudicatae controversiae finis imponatur. Sin vero iudex appellationis aliter, quam Ordinarius, pronuntiaverit, liceat praelecto ab Episcopo, qui causa cecidit, ad alium iudicem appellare, firmiter interim retenta paro-

chialis ecclesiae possessione. Tandem postquam tertius quoque iudex sententiam dixerit, ne partes ultra modum graventur laboribus et expensis, praesertim quia agitur de cura animarum, cui damnosum est certi pastoris destitui solatio, is legitimum regendae ecclesiae ius obtineat, cui duae conformes assistunt sententiae, nec ullum novae appellationis remedium succumbenti suffragetur.

18. His sane regulis, quamvis appellatio sublata non sit, satis tamen praesidii comparatum esse arbitramur ecclesiasticae disciplinae, ac recte gerendarum rerum ordini. Unum superest, ut proposita hactenus media debita executioni mandentur; eumque in scopum laeorum Ordinarii vigilantiam suam desiderari non patiantur. Ferendum quippe non esset, ad Nostri Apostolatus auditum novas in diem deferri querelas, ac summoventis abusibus novas implorari leges ab iis, qui iam praestitutas negligunt et contemunt.

19. Demum cum non raro contingat, ecclesias parochiales, dignitates, canonicatus aliaque beneficia, curam animarum habentia, a Sede Apostolica esse conferenda; vel quia vacaverint in mensibus reservatis, vel quia ex alio capite dictae Sedi reservata sint: Nos Praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes praecipimus et mandamus, ut uno vel altero eveniente casu, concursus ab Episcopo sine ullo discrimine indicatur, nulla ad hunc actum petita venia vel licentia, quam Nostri haece Literis sibi tributam Episcopi intelligant.

20. Absoluto concursu, si res sit de beneficiis curatis, quae tantum ratione mensium reservata sint, Episcopus inter approbatos eligat magis idoneum, et Datariae significet, nec acta concursus transmittat, nisi a Dataria, cum id opportunum duxerit, requirantur.

Sin vero dicta beneficia, quibus cura imminet animarum, ex alio quocvis capite, quam mensium Apostolicorum, S. Sedi reservata sint, eo sane casu, veteri non immutato more, absteineat Episcopus a ferendo dignioris iudicio, et acta concursus ultro Datariae exhibeat.

21. Licebit tamen Ordinariis, pro suo arbitrio, familiaribus literis Datario scriptis eidem denuntiare personam, quam censent regendae ecclesiae magis idoneam, eundemque commone, an occulta aliqua, et in actis iuste reticita subsit causa, quae enipiam obstet ad beneficium curatum obtinendum. Nos ipsi postmodum ab hac Sede omnium principe et magistra, luculento edocēbimus exemplo, quanti faciendum sit episcopale iudicium, quantoque vos honore prosequamur. Ven. Fratres, in partem Nostrae sollicitudinis evocatos, quibus interim Apostolicam benedictionem peramanter imperitur.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem die 14 Decemb. 1742, Pontificatus Nostri anno tertio.

XIII.

Bened. XIV. Constit. « Firmandis » de iurisdictione et visitatione Episcoporum in parochos et parochias regulares. — VIII Idus Nov. 1744.

Firmandis atque asserendis ecclesiasticae disciplinae regulis studiosè intenti, Praedecessores Nostri Romani Pontifices consueverunt, peculiaribus rerum aut temporum necessitatibus animadversis, ad generalis providentiae curam animum adicere, easque Apostolicas Constitutiones opportune promulgare, quibus gli-

scentes morum corruptelas researent, et inordinatas humanae arrogantiae praesumptiones reprimerent. Cui rei obtinendae utilissimum plane experti sunt vel antiqua Patrum constituta renovare, interpretari, aut declarare, vel competentium Romanae Curiae tribunalium, sive Congregationum iudicata et responsa colligere, confirmare, aut in aliquibus remittere, eademque prudenter atque apte conciliare, si quando inter ea non satis convenire videtur. Utque antiquiora omittamus exempla, non alia sane ratione fel. rec. Praedecessor Noster Clemens Papa X per suam Constitutionem, quae incipit *Superna*, datam 11 Kal. Iulii anno 1670. inhaerendo pluribus resolutionibus Congregationum S. R. E. Cardinalium Negotiis et Consultationibus Episcoporum et Regularium, ac Tridentini Concilii interpretationi auctoritate Apostolica praepositorum, multa constituit circa debitam a Regularibus erga Episcopos locorum Ordinarios observantiam et subiectionem, tam in petenda eorum licentia et benedictione pro verbi Dei praedicatione in ecclesiis etiam suorum respective Ordinum habenda, quam in approbatione et facultate ab eisdem obtinenda pro administrando saecularibus Poenitentiae Sacramento. Ita pariter se gessit regendae memoriae Praedecessor Noster Innocentius Papa XII, quum ad normam plurium resolutionum Congregationis Concilii praefatae, certas sacrarum Ordinationum regulas, et singulorum Episcoporum iura in propriis subditos praescripuit, lata Constit., quae incipit: *Speculatores*, sub datum pridie nonas Novembris anni 1694.

1. Hanc ipsam rationem Nos ipsi secuti sumus in Apostolicis Nostri Literis, quarum initium est *Sacramentum Poenitentiae*, anno 1741 Kalendis Iunii datis, in quibus nonnulla decrevimus et statuimus adversus

sacerdotes in sacramentali confessione suos poenitentes ad turpia sollicitantes, iuxta declarationes in causis huius generis, diversis temporibus et casibus prolatae a Congregatione venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium contra haeticam pravitatem generalium inquisitorum, Idipsum nuperrime egimus, dum venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, cunctisque locorum Ordinariis per Italiam constitutis encyclicas Literas dedimus sub die 19 Augusti huiusce anni 1744, quarum initium est *Cum semper oblata*, quibus a praedictae Congregationis Concilii Tridentini interpretis resolutionibus et placitis nequam discedentes, plura declaravimus circa onus, quod habent tum omnes animarum coram gerentes, Missam pro populo applicandi diebus saltem festis de praecepto; tum etiam ecclesiarum cathedralium et collegiarum canonici, alique de earum gremio, Missam conventualem quotidie, pro benefactoribus in genere, specialiter offerendi. Nunc denique hoc idem a Nobis servatum iri declaramus, dum Episcoporum iura, quod attinet ad visitationem ecclesiarum parochialium ad Regularium monasteria pertinentium, hac Nostra perpetuo valitura Constitutione asserere, atque ut infra definire et constituere in animum induximus.

2. Animarum curam in saeculares personas extrinsecas in iis ecclesiis, quae monasteriis seu domibus virorum aut mulierum adnexae sunt, sive ipsi Regulares sint, sive saeculares, sacri Tridentini Concilii praescripto, *Sess. 25, cap. 11 de Regularibus*, subesse debent *immediate in iis, quae ad dictam curam et Sacramentorum administrationem pertinent, iurisdictioni, visitationi et correctioni Episcopi, in cuius dioecesi praedicta monasteria sunt sita*, exceptis dumtaxat iis mo-

nasteriis seu locis, in quibus Abbates generales, aut Capiti Ordinum sedem ordinariam principalem habent, atque alii monasteriis, seu domibus, in quibus Abbates, aut alii Regularium Superiores iurisdictionem episcopalem et temporalem in parochos et parochianos exercent; salvo tamen eorum Episcoporum iure, qui maiorem in praedicta loca vel personas iurisdictionem exercent.

3. Cum itaque nonnulli sacerdotes ab episcopali iurisdictione exempti, quos neque parochos, neque animarum curae addictos esse constaret, ausi fuissent aliquibus Christifidelium matrimoniis interesse, sine praevia Episcopi aut parochi licentia, quaesitum fuit utrum huiusmodi sacerdotum correctio, atque in eodem animadversio ad Episcopum, an vero ad eorum Superiores privative spectaret; cumque hi privativum eiusmodi ius ex eo deducerent, quod Tridentina Synodus *loc. cit.*, dum facultatem tribuit Episcopis corrigendi et puniendi sacerdotes ab eorum iurisdictione exemptos, in his, quae ad animarum curam et Sacramentorum administrationem pertinent, de iis dumtaxat sacerdotibus loquitur, qui vel parochi sunt, vel animarum curam exercent, cuiusmodi sane ii non erant, de quibus agebatur: futilem hanc vanamque praesumptionem reprimere statuit *fel. rec.* Praedecessor Noster Gregorius Papa XV. ac de consilio Congregationis Sacri Concilii Tridentini Interpretis, edita Constitutione, quae incipit *Inscrutabili*, data Nonis Februarii anno Incarnationis Dominicae 1622, decrevit ac declaravit, « ut deinceps tam Regulares, quam saeculares, quomodolibet exempti, sive animarum curam personarum saecularium monasteriis, seu domibus regularibus, aut quibusvis aliis ecclesiis, vel beneficiis, sive regularibus, sive saecularibus incumbentem exercent,

« sive alia ecclesiastica Sacramenta, aut unum ex illis
 « ministrent, praevia Episcopi licentia et approbatione,
 « sive quoquo modo in dictae curae exercitio, aut in
 « eorumdem Sacramentorum, vel alicuius ex illis ad-
 « ministratione de facto, absque ulla auctoritate se in-
 « gerant, in his, quae eiusmodi curam, seu administra-
 « tionem concernunt, omnimode iurisdictioni, visitationi
 « et correctioni dioecessani Episcopi, tamquam Sedis
 « Apostolicae delegati, plene in omnibus subiiciantur ».

4. Hac controversia per Constitutionem Gregorianam e medio sublata, non ideo ab aliis quaestionibus et litibus circa idem rerum genus promovendis cessatum fuit, pluraque dubia tam in Congregationibus S. R. E. Cardinalium, quam in auditorio Rotae frequenter agitata et resoluta fuerunt circa peculiarium quorundam actuum naturam, an scilicet iidem censendi essent ad animarum curam, seu ad Sacramentorum administrationem pertinere; et consequenter, an Episcopus in visitandis Regularium ecclesiis, quibus imminet animarum cura personarum saecularium, posset, nec ne, suam circa huiusmodi actus iurisdictionem exercere, tum etiam, an hoc aut illud monasterium dici posset ordinaria et principalis sedes Abbatis generalis, seu Capituli Ordinis, ideoque ecclesia huiusmodi monasterio adnexa, quamvis parochialis foret, Episcopo in visitatione subiecta non esset. Cum igitur resolutiones in praedictis Curiae Nostrae tribunalibus circa huius generis quaestiones identidem captas, earumque rationes et fundamenta diligenter et considerate perpenderit, consilium quoque et sententiam audierimus aliquot ex venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, aliorumque virorum in iuris canonici scientia praestantium; nonnulla super his de Aposto-

licae potestatis plenitudine decernere deliberavimus, ac praesenti Nostra Constitutione inviolabilem quandam normam praefinire, qua posita, omnes de cetero lites et controversiae praedictis de rebus, si fieri possit, penitus eliminentur, atque omnia submoveantur obstacula, quae debitam decretorum Sacri Tridentini Concilii executionem in re tam gravis momenti impedire aut retardare hactenus consueverunt.

5. Optimo sane consilio ab Episcopis pastorem visitationem aggredientibus praemitti solent in singula dioecesis loca aliqui sacerdotes missionarii, qui ante ipsorum adventum praedicationibus verbi Dei et administratione Sacramentorum Poenitentiae et Eucharistiae spiritualem populorum profectum et animarum salutem, qui potissimus est pastoralis visitationis scopus, studeant promovere. Inveniunt autem ex iis Regularibus, quorum ecclesiis incumbit parochialis saecularium cura, qui in dubium revocarent, an huiusmodi missionarios, sive saeculares sive alterius Instituti vel Ordinis Regulares, ab Episcopo missos tamquam visitationis suae praenuntios, in propriis ecclesiis et domibus ad exercenda munera eisdem commissa admittere et recipere ipsi tenerentur. Quod dubium, quum in Congregatione S. R. E. Cardinalium Negotiis et Consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita examinatum fuisset sub die 31 Augusti anni 1668, affirmative resolutum fuit; ut scilicet praedicti missionarii etiam a regularibus parochis seu curatis libenter excipi debeant, omnibusque rebus iuvare, quibus ad iniunctum sibi onus adimplendum opus illis esse contigerit. Quod Nos quoque probamus, et auctoritate Apostolica confirmamus, atque in posterum (quoties id opus esse prudenti Episcopi arbitrio iudicatum fuerit)

ab omnibus huiusmodi parochis seu curatis praecipimus observari.

6. Sed et in ipso visitationis cursu, atque etiam extra illam, aliqui Regulares de suorum privilegiorum et exemptionum indemnitate plus nimio solliciti, hanc Episcopis controversiam moverunt, utrum iis liceret, in ipsorum Regularium ecclesiis, sive parochialibus, sive non parochialibus, Sacramentum Confirmationis administrare; quae quidem controversia in Congregatione Concilii, partibus plenissime auditis, pro Episcopis decisa fuit, quemadmodum et Nos generaliter et sine exceptione eandem definimus.

7. In exsequenda vero pastoralis visitatione ecclesiarum parochialium, quae a Regularibus administrantur, minime quidem licet Episcopo omnia ecclesiarum huiusmodi altaria visitare, sed illud dumtaxat, in quo Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum asservatur, et consequenter sacrum ipsum tabernaculum; fontem quoque baptisterii, si adsit, item confessionale, in quo parochus ad audiendas confessiones residere solet; pulpitum ecclesiae, e quo parochus ius habet verbi Dei iuxta praecipuum ministerii sui munus annuntiandi; sacrarium pariter ecclesiae, ad inspiciendum locum, in quo asservatur sacra suppellex pro Sacramentis tam intra ecclesiam, quam extra illam decenter administrandis; sepulchrum excipiendis subditorum parochiae corporibus addictum, coemeterium parochianorum humanis cadaveribus destinatum, turrin campanariam, dummodo in ea sint campanae ad parochiam proprie spectantes; ac demum, praeter res supra enuntiatas, omnia sacra vasa, quibus vel particulae consecratae servantur, vel sacra Olea sive in Baptismo, sive in Extrema Unctione adhibenda, vel aqua baptisterii, vel alia rite benedicta,

quae pro ingredientium aspersione ad ecclesiae fores poni consuevit.

8. Visitationi locali proxima est ea, quae personam respicit parochi; cuius quidem, si Regularis sit, agendi rationem in iis, quae spectant ad observationem proprii ipsius regularis instituti, non est Episcopi inquirere, quum ad ipsius Superiorem regularem privative id pertineat. Licet tamen Episcopo, vel potius ipsi specialiter incumbit, ipsius parochi seu curati, etiam Regularis, vitam ac mores scrutari, quatenus ea, quae extra claustrum prodierint, rectoris animarum exempla, plurimum conferre ad populi aedificationem, vel contra eadem obesse maxime possunt, quemadmodum alias eadem Concilii Tridentini Congregatio sapienter decrevit, et Nos etiam earundem praesentium tenore decernimus et statuimus.

9. Ad personalem quoque parochi visitationem, prouindeque ad Episcopi ius et officium pertinet, ea occasione examinare, an titulo legitimo parochus etiam Regularis animarum curam exerceat, an residentiae lex ab eo observata fuerit atque observetur; an ad Synodum vocatus iuerit; an congregationes seu confederationes super casibus conscientiae haberi solitas frequentet; an onera, quae secum fert animarum cura, adimpleverit; ac inter alia, an Missam pro populo applicaverit diebus festis de praecepto; an iisdem festis diebus omnia praestiterit, quae a sacro Tridentino Concilio praescripta sunt, populum verbi Dei praedicatione, et pueros in fidei rudimentis christianaeque doctrinae praeceptis instruendo; an, statis diebus, excipiendis fidelium confessionibus vacet; an aegrotantibus et in extremo vitae agone laborantibus debita spiritualia subsidia sedulo praestet, et Sacramenta Ecclesiae tem-

peste conferat; an pueros et puellas ante susceptionem Sacramenti Confirmationis, tum etiam ante primam eorum communionem opportunis instructionibus erudierit; an, priusquam fideles ad matrimonia in faciem Ecclesiae celebranda admittat, debitas inquisitiones adhibuerit, atque adhibeat, quibus tuto deprehendere possit nullum inter contrahentes impedimentum existere, eosdemque libere matrimonio consentire, ac demum in doctrina christiana, maxime vero in praecipuis religionis Nostrae mysteriis, illos instructos esse; denique an parochus apud se recte ordinatos retineat libros tum baptizatorum, ubi fons baptismalis adsit in ipsius ecclesia, tum sacro Chrismate confirmatorum, libros etiam matrimoniorum, et status animarum.

10. Uno verbo, quicquid Episcopus a paroco saeculari exquirere atque exigere solet ac debet, id omne, regulari observantia unice excepta, a paroco regulari exquirere et exigere potest; atque ubi huic muneri suo defecisse compererit, opportuna decreta condere et pronuntiare, ac meritas in eundem poenas statuere; in quo nihilominus Episcopi facultates minime privativae sunt, sed Praesuli regularis ius cumulativum cum ipso habet; ita tamen, ut, si aliter a Superiore regulari, aliter ab Episcopo decerni contingat, huius, non vero illius decretis sit standum, prout alias a Congregatione Tridentini Concilii interprete iudicatum fuit, Nosque auctoritate Apostolica probamus, confirmamus atque decernimus. Privativum tamen Episcopi ius est in parochianorum mores inquirere, ac si quae inter ipsos scandala oborta fuerint, auditis proborum ac prudentium virorum sinceris relationibus, de iis cognoscere, eaque opportunis remediis rescare et reformare: nec

enim Superioribus regularibus in huiusmodi saecularis parochiae subditos ulla competit iurisdictio.

11. Eveniente autem casu, quo vel Episcopus, vel Superior regularis aliquem ex praedictis parochis ab exercitio curae removendum, eademque privandum esse iudicaverint; quoniam huiusmodi parochis sine praevia Episcopi approbatione ad curam animarum accedere nequaquam licet, quamvis a suis Superioribus deputati, iidemque ad nutum sint amovibiles; dubitatum propterea fuit, an Episcopus posset ad huiusmodi remotiones procedere sine Superioris regularis consensu, et an remotionis causas eidem adducere, easque verificare deberet; tum etiam an regularis Superior ad similem remotionem et privationem suo iure deveniens, consensum Episcopi exquirere, suasque agendi rationes illi notas atque probatas facere teneretur. Qua de re suprascripta Cong. Conc. decrevit, huiusmodi parochos tam ab Episcopo, quam a Superiore regulari, aequo iure, non requisito alterius consensu, ab animarum cura removeri posse, nec unum alteri causas iudicii sui aperire, multoque minus probare et verificare debere. Id quod a Nobis in omnibus approbatur et confirmatur.

12. Postquam vero Tridentina Synodus loco superius laudato declaravit, praedictos curatos seu parochos tam saeculares, quam regulares, animarum curam exercentes in monasteriis seu domibus religiosis, quibus huiusmodi cura personarum saecularium incumbit, subesse debere immediate in iis quae ad dictam curam et Sacramentorum administrationem pertinent, iurisdictioni, visitationi et correctioni Episcopi (quod quidem, iuxta magis receptam tribunalium huius Nostrae Curiae sententiam, intelligitur de iurisdictione Episcopi ordi-

naria, non vero de delegata); illa tamen monasteria seu loca ibidem a Concilio excipiuntur, in quibus Abbates, aut alii Regularium Superiores iurisdictionem episcopalem et temporalem in parochos et parochianos exercent; salvo nihilominus eorum Episcoporum iure, qui alia quapiam ex causa seu titulo maiorem in praedicta loca vel personas iurisdictionem exercent. Quare nonnullis Episcopis contententibus, licere sibi, saltem tanquam delegatis a Sede Apostolica, in parochos praedictos, sive in parochianos aliquem iurisdictionis actum exercere, Congregatio Concilii respondit, quod, ubi Abbas aut Superior regularis suam probat iurisdictionem episcopalem et temporalem in ipsos parochos et parochianos, et contra Episcopus probare nequit ampliorem in eosdem iurisdictionem ex alio capite sibi acquisitam fuisse, abstinere omnino debet Episcopus tam a visitatione, quam ab alio quocumque iurisdictionis actu in huiusmodi parochos et parochianos. Quod quidem, veluti ipsius Concilii decretis consonum, Nos etiam Apostolica confirmatione roboramus.

13. Similiter ab Episcopi iurisdictione, visitatione et correctione, etiam in his, quae ad animarum curam et Sacramentorum administrationem spectant, praedicta sancta Synodus excipit tam saeculares quam regulares parochos, qui animarum curam exercent in iis monasteriis seu locis, in quibus Abbates generales aut Capita Ordinum Sedem ordinariam principalem habent. Quae exceptio, siue limitatio, pluribus controversiis occasione praebuit. Et primo, an ad inducendam huiusmodi exemptionem ab episcopali visitatione satis sit, quod in aliquo monasterio resideat Abbas regularis, licet is Ordinis sui Generalis non existat. Super quo praefata Concilii Congregatio pronuntiavit, non sufficere Abbatis

cuiuslibet residentiam, nisi sit Abbas totius Ordinis sui Generalis. Tunc enim Tridentinum Concilium simplices Abbates aut Regularium Superiores nominat, quum ab Episcopi iurisdictione ac visitatione eximit parochos ecclesiarum seu monasteriorum, in quibus Abbates aut alii Regularium Superiores iurisdictionem episcopalem et temporalem exercent; qua iurisdictione compertum est nonnullos etiam simplices Abbates aut Superiores regulares gaudere, quamvis non sint Ordinum Generales. De Abbatibus autem generalibus, seu Ordinum Capitibus tunc loquitur eadem sancta Synodus, quum a iurisdictione et visitatione episcopali exemptos esse indulget eorum monasteriorum seu locorum parochos, in quibus Abbates generales praedicti, aut Capita Ordinum, Sedem ordinariam principalem habent. Cumque ea dubio procul sit Concilii mens, in hunc plane modum semper in posterum iudicari et censi debere statuimus; minime attenta distinctionis nota, quae in plerisque Concilii Tridentini editionibus impressis apposita conspicitur inter verbum *Abbate*, aliudque *Generales*, utpote quae nullatenus reperitur in exemplari authentico actorum ipsius Concilii, quod in archivio Sedis Apostolicae in Arce sancti Angeli asservatur¹, quodque, ut genuinam huius loci lectionem certo cognosceremus, diligenter inspicimus; proindeque e praedictis exemplaribus impressis eadem distinctionis nota omnino est expungenda.

14. Altera questio est, an ad obtinendam exem-

¹ Ne in edendo Conc. Trid. mendae praevalerent, sapientissime ceperunt Summi Pontifices, ut authentica eiusdem acta in arce S. Angeli Romae asservarentur. Itaque editio Mainardi Romae 1732 optima habetur, quia collata nequam cum Manutiana Angeli Massarelli, Conc. Trid. Secretarii, sed et cum ipsis actis eo loco asservatis. Vid. Balduzzini, *Conc. Trid. in praefatione.*

ptionem ab episcopali iurisdictione et visitatione, sufficiat, quod aliquod monasterium Superioris generalis sedes ordinaria existat, an vero praeterea requiratur, ut ipsum monasterium sit caput Ordinis. De quo, quidquid alii opinati fuerint, decernimus sufficere, quod monasterium seu domus sit ordinaria et principalis Sedes Superioris generalis; prout a Congregatione Concilii constanter iudicatum fuit; quum verba Tridentini, de capitibus Ordinum loquentis, non ad loca, sed ad personas Praesulum regularium in locis residentium referantur.

15. Tertio dubitari contingit, an exemptio ab Episcopi visitatione, quam Tridentina Synodus, ut supra, concedit ecclesiis parochialibus eorum monasteriorum in quibus resident Abbates generales aut capita Ordinum, ad alias quoque parochiales extendatur, quae praedictis monasteriis unitae sunt, et ab eisdem dependent. Sed quum de aliis haecc ecclesiis unitis taceant conciliaria decreta, neque porro eadem ratio honoris cuiusdam et reverentiae habendae erga Superiores Ordinum Generales in propriis monasteriis vel ecclesiis residentes, locum habeat in aliis parochialibus, eisdem monasteriis, ut praefertur, unitis; quod pluries Congregatio Concilii censuit, huiusmodi scilicet ecclesias unitas minime exemptas esse a iurisdictione et visitatione Episcopi, quamvis illae a parochis regularibus administrarentur; id ipsum Nos, praedictae Congregationis resolutionibus inhaerentes, decernimus et constituimus.

16. Quaesitum fuit quarto loco, an ratione exemptionis a iurisdictione Episcopi, quae competit praedictis rectoribus ecclesiarum residentialium Superiorum Generalium, et propter eorumdem rectorum omnino-

dam subiectionem iurisdictioni et correctioni praedictorum Generalium Regularium, ius aliquod et iurisdictioni attributa sit iisdem Superioribus Generalibus in saeculares subditos huiusmodi ecclesiarum, sive parochianos; an vero dicendum sit, ius istud ad Episcopum privative pertinere. Super quo decernimus, Episcopo plenam et privatam iurisdictionem competere in parochianos, ad eundemque Episcopum pertinere, non solum propriam auctoritatem et consensum (praevio examine per se ipsum, vel per Vicarium suum faciendo) interponere, quotiescumque Superior huiusmodi Generalis aliquem sive saecularem, sive regularem parochum seu curatum, etiam ad nutum amovibilem, ad exercendam in praedictis ecclesiis animarum curam personarum saecularium deputare voluerit; sed etiam si Episcopus huiusce parochiae regimen a supraedictis parochis exemptis, sive saecularibus sive regularibus, non recte administrari cognoverit, posse ipsum, et aliquando etiam debere pro sui officii munere, apud Superiorem Generalem instare, ut parochum seu curatum huiusmodi ab animarum cura removeat; implorata quoque, quatenus opus sit, Apostolicae Sedis auctoritate, si nempe Generalem praedictum aut reluctantem, aut parochum sive aequo faventem invenerit.

17. Praecipua in hac materia quaestio illa fuit, quatenam essent monasteria, in quibus Abbates generales, seu capita Ordinum, sedem ordinariam principalem habent; contendentibus nonnullis, quodlibet monasterium aut locum quemlibet, in quo Abbas generalis sive caput Ordinis manet, inique moratur, sedem ipsius ordinariam principalem dici oportere, ita ut eiusdem monasterii aut loci parochus ab episcopali iurisdictione et visitatione immunis statim fiat. Verum vaga et ar-

bitraria huiusmodi sedes, quae a sola Superioris generalis praesentia naturam sedis ordinariae et principalis mutuatur, tum rectae rationi, tum Concilii verbis ac sensui plane adversatur. Quapropter, quum Nobis compertum sit, in aliquibus Ordinum regularium constitutionibus assignatum reperiri locum pro residentia Superioris generalis, eiusque curiae; in aliis vero Ordinibus, ubi constitutiones de eo nihil statuunt, eandem residentiam veteri consuetudine esse praefinitam: quoties de Ordinum huiusmodi Superioribus Generalibus agatur, eorum sedem ordinariam principalem, ad effectum de quo agitur, illam esse, et censi decernimus, quae ab ipsorum Constitutionibus, vel ab inveterata consuetudine praedicta praescribi dignoscitur; idque tantummodo monasterium, non vero aliud, in quo, quacumque de causa, Superior generalis commoratus fuerit, pro ordinaria Generalis sede haberi praecipimus, licet ipse Generalis ibi actu non resideat.

18. Quodsi aliqui sint religiosi Ordines seu Congregationes, quarum constitutionibus, vel consuetudinibus minime praefinitum sit monasterium, in quo Abbas generalis, seu caput Ordinis residere debeat, nullum monasterium pro eiusdem Generalis sede ordinaria principali, ad effectum eximendi parochum ab Episcopi iurisdictione et visitatione, ex eo tantum haberi debere statuimus, quod solus ipse Superior generalis in eo degat, absque consuetis ministris, quos in Ordine regendo socios habet; sed illud dumtaxat monasterium pro sede Generalis ordinaria principali haberi volumus, quod semel ipse Superior generalis seu caput Ordinis, initio generalatus, elegerit pro sua stabili residentia, et officialium seu ministrorum praedictorum. Verum si, facta semel huiusmodi electione,

eandem postmodum variare praesumpserit, declaramus, neque monasterium initio electum, neque alterum, etiamsi cum sua Curia eo se transtulerit, privilegia ordinariae et principalis generalitiae sedis habiturum.

19. In omnibus autem praemissis exemptionum casibus, salvum semper atque illaesum esse volumus eorum Episcoporum ius, si qui supradictas parochiales ecclesias, earumque rectores visitare consueverint, mirum tam illas, quae monasteriis seu domibus iis adnexae sunt, in quibus Generales Ordinum Superiores sedem ordinariam principalem, vel a suorum Ordinum constitutionibus, vel ab inveterata consuetudine praefinitam habent, quam eas, quae ab ipsis Superioribus Generalibus alias pro ordinaria principali residentia fuerint electae, et nihilominus, huiusmodi residentia durante, Episcopi visitationi, iurisdictioni et correctioni subiectae fuerint.

Decernentes etc. etc.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem anno Incarnationis Dominicae 1744, VIII Idus Nov. etc.

XIV.

Ex Encycl. Benedicti XIV. « Magno cum » de tollendis abusibus ab oratoriis privatis, quae sunt in domibus laicorum; § 19-24. — 2 Jun. 1751.

19. Reliquum est, ut de sacris functionibus dicatur, quae in iis oratoriis fieri possunt, quae in domibus privatorum sunt, et in quibus non plures, quam unicam tantum Missam celebrari permissum est, nisi cum forte cupiam ex speciali gratia concessa facultas esset fa-

bitraria huiusmodi sedes, quae a sola Superioris generalis praesentia naturam sedis ordinariae et principalis mutuatur, tum rectae rationi, tum Concilii verbis ac sensui plane adversatur. Quapropter, quum Nobis compertum sit, in aliquibus Ordinum regularium constitutionibus assignatum reperiri locum pro residentia Superioris generalis, eiusque curiae; in aliis vero Ordinibus, ubi constitutiones de eo nihil statuunt, eandem residentiam veteri consuetudine esse praefinitam: quoties de Ordinum huiusmodi Superioribus Generalibus agatur, eorum sedem ordinariam principalem, ad effectum de quo agitur, illam esse, et censi decernimus, quae ab ipsorum Constitutionibus, vel ab inveterata consuetudine praedicta praescribi dignoscitur; idque tantummodo monasterium, non vero aliud, in quo, quacumque de causa, Superior generalis commoratus fuerit, pro ordinaria Generalis sede haberi praecipimus, licet ipse Generalis ibi actu non resideat.

18. Quodsi aliqui sint religiosi Ordines seu Congregationes, quarum constitutionibus, vel consuetudinibus minime praefinitum sit monasterium, in quo Abbas generalis, seu caput Ordinis residere debeat, nullum monasterium pro eiusdem Generalis sede ordinaria principali, ad effectum eximendi parochum ab Episcopi iurisdictione et visitatione, ex eo tantum haberi debere statuimus, quod solus ipse Superior generalis in eo degat, absque consuetis ministris, quos in Ordine regendo socios habet; sed illud dumtaxat monasterium pro sede Generalis ordinaria principali haberi volumus, quod semel ipse Superior generalis seu caput Ordinis, initio generalatus, elegerit pro sua stabili residentia, et officialium seu ministrorum praedictorum. Verum si, facta semel huiusmodi electione,

eandem postmodum variare praesumpserit, declaramus, neque monasterium initio electum, neque alterum, etiamsi cum sua Curia eo se transtulerit, privilegia ordinariae et principalis generalitiae sedis habiturum.

19. In omnibus autem praemissis exemptionum casibus, salvum semper atque illaesum esse volumus eorum Episcoporum ius, si qui supradictas parochiales ecclesias, earumque rectores visitare consueverint, nimirum tam illas, quae monasteriis seu domibus iis adnexae sunt, in quibus Generales Ordinum Superiores sedem ordinariam principalem, vel a suorum Ordinum constitutionibus, vel ab inveterata consuetudine praefinitam habent, quam eas, quae ab ipsis Superioribus Generalibus alias pro ordinaria principali residentia fuerint electae, et nihilominus, huiusmodi residentia durante, Episcopi visitationi, iurisdictioni et correctioni subiectae fuerint.

Decernentes etc. etc.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem anno Incarnationis Dominicae 1744, VIII Idus Nov. etc.

XIV.

Ex Encycl. Benedicti XIV. « Magno cum » de tollendis abusibus ab oratoriis privatis, quae sunt in domibus laicorum; § 19-24. — 2 Jun. 1751.

19. Reliquum est, ut de sacris functionibus dicatur, quae in iis oratoriis fieri possunt, quae in domibus privatorum sunt, et in quibus non plures, quam unicam tantum Missam celebrari permissum est, nisi cum forte cupiam ex speciali gratia concessa facultas esset fa-

ciendi, ut secunda celebretur. Quod ad Baptismatis Sacramentum attinet, iam in Viennensi Concilio sub Pontifice Clemente V decretum fuit, ne Baptismus in aliis locis conferri posset, praeterquam in ecclesiis, in quibus sacri huius lavacri fontes reperiuntur, nisi cum casus necessitatis adesset, aut cum de regum, vel principum filiis ageretur, quemadmodum in Clementina unica *de Baptismo, et eius effectu*, videre est.

20. Quod autem Sacramentum Poenitentiae respicit, iam in Rituali Romano sub titulo *de Sacr. Poenitentiae*, cum de sacerdote sermo sit, qui confessiones audit, statutum fuit: *In ecclesia, non autem in privatis aedibus, confessiones audiat, nisi ex causa rationabili, quae cum incidit, studeat tamen id decenti ac patenti loco praestare*. Rituale a Pontifice Paulo V confirmatum fuit. Et magnus ecclesiasticae disciplinae instaurator, sanctus Carolus Borromaeus, tum in Instructione Sacramenti Poenitentiae, tum in Monitis ad confessarios, atque in primo suo Provinciali Mediolanensi Concilio id inculcare non praetermisit, quemadmodum in Actis Ecclesiae Mediolanensis, editionis civitatis eiusdem *Part. I, pag. 11, Part. IV, pag. 320, eadem Part. IV, pag. 761, et pag. 773* videre est; *pag. autem 775*, Superioribus Regularium inculcat, ut id a subditis eorum exacte adimplendum curent. Cum autem a praedictis confessariis Regularibus prolata in medium facultas esset audiendi ubique confessiones fidelium, quam sibi ea ratione afferbant, quod in Pontificis Clementis X. Bulla *Suprema* nulla loci limitatio heret; idem ipse Pontifex declaravit, *nullam facultatem* (in praedicta Constitutione sua) *fuisse tributam Regularibus audiendi Confessiones Sacramentales in privatis domibus, ac proinde minime licere eisdem Regularibus cuiusvis Ordinis etc.*

Sacramentum Poenitentiae administrare in domibus privatis, extra casus a iure permisos. Quod decretum cum Praesulis Fagnani subscriptione editum, variis in locis impressum est; ut in appendice ad Synodum Fulginatensem, quae a bon. mem. Iosaphat Baptistelli, civitatis eiusdem Episcopo, anno 1722 celebrata fuit.

21. Quod pertinet ad Communionem paschalem, quae ab unoquoque catholico Paschatis tempore recipienda est, ex praescripto, tum Decreti Concilii Lateranensis in *cap.* Omnis utriusque sexus, *de poenitentibus et remissionibus*, tum Concilii Tridentini *Sess. 13, cap. 10, can. 10*, nemo est qui ignoret praeceptum hoc in propria parochiali ecclesia adimplendum esse, aut in alia ecclesia cum proprii Episcopi vel parochi licentia, secundum varias dioecesum consuetudines. Porro fel. record. Praedecessor Noster Paulus Papa IV Fratribus Minoribus privilegium concessit, ut sacram Eucharistiam omnibus Christianis in eorum ecclesiis distribuere possent, excepta tamen die Paschatis Resurrectionis; atque hoc privilegium a s. m. altero Praedecessore Pio Papa V *per communicationem*, ut dicitur, ad omnes Regulares extensum fuit.

22. Verum quia, secundum praecedentem Eugenii IV Constitutionem, paschale tempus intra quod Communionis praeceptum adimplendum est, a Dominica Palmarum initium habet, ac Dominica in Albis terminatur; cum exortum dubium fuisset, num licitum Regularibus foret, intra praescriptum eorumdem dierum terminum sacram Eucharistiam fidelibus in eorum ecclesiis distribuere, resolutum fuit: die Paschatis nemini distribui posse, ne illis quidem, qui intra sanctiorem hebdomadam paschali praecepto in propria parochiali ecclesia satisfecissent; posse quidem Regu-

lares aliis paschalis temporis diebus fideles in eorum ecclesiis sacra Eucharistia reficere; hac tamen conditione, ut Communionem refecti scirent, non ideo se a praecepto illo exemptos esse, ut paschalem in propria parochiali ecclesia Communionem recipere deberent. Illustra Congregationis Concilii decreta sunt quibusdam in causis, Senonensi videlicet, Burdigalensi et Mechliniensi, quae a Nobis in *Nostro de Synodo dioeclesana Tractatu lib. 7, cap. 42, n. 3* relata sunt.

23. Extra paschalem vero Communionem, cum in sacro Tridentino Concilio *Sess. 22, cap. 6, de Sacrificio Missae*, quae subiicimus verba legantur: « Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi huius Sacrificii fructus uberius perveniret », non defuit, qui ex iisdem verbis deduceret, quod certe et clare inde consequatur, ut in privatis oratoriis, quando in ipsis celebrandi Missam facultas est, distribui Eucharistia possit iis, qui Missae praesentes adsunt, neque ad hoc praestandum ullo particulari indulto; opus sit. Super huiusmodi quaestionis capite Nos in *nostra Institut. 34, § 3*, disseruimus, inter eas, quas tum, cum Bononiae resideremus, ecclesiae illius archiepiscopatum gerentes, publicavimus, quas quidem Institutiones cum italico sermone edidissemus, postea Romae latine redditae atque impressae sunt. Ibi autem expositam paulo ante opinionem retulimus; verum aliam esse subiunximus, quae Episcopi licentiam requirit, ut, qui domesticum oratorium domi habet, dum Missae in eodem interest, communicare possit. Huiusmodi opinio tum bono rerum ordini, tum Romanae etiam consuetudini, sive praxi

cohaerens Nobis visa est; ac proinde ordinavimus, ne in privato oratorio recipi Communionem posset ab iis, qui in eodem Missae intersunt, quam vel saecularis sacerdos, vel sacerdos regularis celebraret, nisi vel Nostram, vel Generalis Vicarii Nostri licentiam obtinisset.

24. Neque etiam in praesens voluntas Nobis aut ratio est cur ab hoc systemate recedamus. Siquidem, cum Nos in magna illa controversia super Communionem illis distribuenda, qui Missae praesentes cum sint, eandem petunt, quae aliquot abhinc annis in Italia exorta fuit, postquam Tridentini Concilii verba retulissemus, atque eorum zelum commendassemus, qui inter sanctae Missae celebrationem Communionem recipiunt, ecclesiasticos quoque pastores excitavissimus, ne Eucharistico cibo illos fraudarent, qui eiusdem famelici forent; cum, inquam, animadvertissemus, eiusmodi circumstantias dari posse, in quibus vel temporis, vel loci ratione, Episcoporum prudentia opportunum factum existimet, sacram Eucharistiam etiam illi, qui Missae interfuit, minime distribui; eo magis quod, iuxta praesentis temporis disciplinam, libera eidem facultas pateat, ut eandem alio loco, atque alio tempore recipere possit; ordinavimus, ut in hoc debita proprii Superioris praecepto obedientia praestari deberet, cui qui morem gerere recusasset, nimis manifestum indicium praebuisset, quam parum animo dispositus ac paratus esset ad altaris Sacramentum recipiendum, quemadmodum in Literis Nostri, quarum initium est: *Certiores effecti*, et quae in Bullario Nostro *tom. 1, n. 64* leguntur, videre est.

XV.

S. Officii declaratio circa absolutionem Massonum, qui exterius tantum se tales exhibent. — 27 Iunii 1838.

Poenae ecclesiasticae a plurimis Romanis Pontificibus in eos statuta sunt, qui societati, quam « Liberorum Muratorum » dicunt, nomen dedissent, atque iuramentum de arcano servando in eorum conventiculis emisissent. Dubium exoritur, utrum ii, quos licet emissi iuramenti poeniteat, communicando tamen cum caeteris eidem sectae adhaerentibus, vel eorum conventicula adeundo, vel alio quolibet modo veros eiusmodi societatis cultores se palam exhibere perseverent, ad Poenitentiae aut Eucharistiae Sacramenti participationem legitime per confessarium possint admitti. Sacerdotes inveniuntur nonnulli qui huiusmodi homines reapse admittunt. Ut igitur certa confessariis norma praebeatur, quaeritur utrum in quacumque orbis regione hominibus liberorum muratorum societati aggregatis, qui iuramenti de secreto servando vinculis invicem consociati in unum corpus coalescunt, iuramenti exigendi more apud eandem sectam adhuc vigente, sacramentalem absolutionem licite aut valide confessarius impertiatur, priusquam ipsi absolute et positive praedictam damnatam societatem in perpetuum relinquunt. Quaeritur quomodo se gerere debeat confessarius.

Huic petitioni S. C. S. Officii sub die 5 Iulii 1837, respondit: « Iuxta exposita, non licere ».

Cum autem ortum sit dubium, utrum verba illa

non licere includant, in casu exposito, etiam invaliditatem absolutionis, exoratur S. C. ut dignetur id declarare.

R. Affirmative, iuxta Constitutiones Apostolicas. — 27 Iunii 1838.

XVI.

S. Congr. Concilii instructio « Cum moneat Glossa » pro confectioe processus in causis matrimonialibus. — 22 Aug. 1840.

Cum moneat Glossa (*in cap. fin. de frig. et malef.*) in causis matrimonialibus omnem cautelam esse adhibendam propter periculum animarum, quod et docuit Sanchez (*de matrim. lib. 7 disp. 107*) et Card. Argenvilliers (*in dissert. matrimonii, relat. inter vota Constantini P. 5 vol. ult. n. 16*), plura hinc a Sacris Canonibus sancita sunt, ut tutum ac rectum iudicium efformari queat. Ad removendas vero fraudes, quae coniugum malitia vel collusionem saepe oriebantur, S. M. Bened. XIV (*in Constit. Dei Miseratione*) processum conficiendum esse praecepit sub poena nullitatis omnium actorum, ut probationibus undequaque accuratissime cumulatis, in causis huiusmodi omnium gravissimis, in quibus agitur de Sacramenti validitate vel nullitate, ac de dissolvendo vinculo matrimoniali, iudices in proferendo iudicio tuti conquiescere possent. At quia saepe in hoc difficillimo processu acta minus recte et apte ad veritatem eruendam conficiebantur, S. Congregatio saepius instructiones edidit, ac normam praescripsit quam Episcopi sequerentur.

Cum itaque in huiusmodi causis non de iure alterutrius partis tantum, sed praecipue de Sacramentali vinculo dissolvendo agatur, processus acta, non ad instar aliorum iudiciorum, praesertim civilium, sed iuxta SS. Canones, citam S. M. Bened. XIV Constitutionem et praesentem instructionem, erunt efformanda. Ea itaque non vernaculo sed latino sermone erunt conscribenda, exceptis tamen excipiendis, nimirum articulis, interrogatoriis, responsionibus ad ea, et peritorum relationibus; praesertim vero decreta, et sententia, quae iuxta priscos mores erit conficienda, latina lingua exarabuntur. Praeterea cum a Sacro Conc. Trid. (*sess. 24 cap. 20 de ref. § Ad haec*), ac etiam a S. M. Bened. XIV (*in cit. Constit. Dei Miseratione § 4*) causarum matrimonialium cognitio quibusvis iudicibus inferioribus, non obstante quovis privilegio ac praescriptione, fuerit sublata, ac Episcoporum tantum examini et iurisdictioni reservata, etiam prae Abbatibus vere Nullius, licet Cardinalitia dignitate fulgentibus, iuxta S. Congregationis resolutiones, hinc tutius erit, ut nedum sententia proferatur, sed etiam acta processus per Episcopum, vel per Ecclesiasticam personam specialiter ab eo delegandam conficiantur.

Hisce praemissis, quoties aliquis ex coniugibus instantiam in scriptis porriget super nullitate Matrimonii, Episcopus Iudicem, si velit, delegabit, deinde ipse, vel Iudex delegatus, citari mandabit Defensorem Matrimonii, quatenus in curia Episcopali iam deputatus existat; sin minus, idoneum virum deputabit iis qualitatibus praestantem, quas superius memorata Constitut. S. M. Benedicti XIV requirit, eumque citari mandabit. Defensoris Matrimonii erit praefixa die accedere ad praestandum iuramentum se munus suum diligenter et

incorrupte expleturum, et omnia voce ac scriptis deducturum, quae ad validitatem matrimonii sustinendam conferre poterunt. Praeterea hic defensor matrimonii citandus erit ad quaelibet acta, ne vitio nullitatis ipsa tabescant. Ipsi, qui pro Sacramenti validitate stat, semper et quodcumque acta processus, etsi nondum publicati, erunt communicanda; semper, et quodcumque eius scripta erunt recipienda; ac novi termini eo flagitante erunt prorogandi, ut ea perficiat et exhibeat.

Praefinita die in citatione, comparebit instans pro nullitate; et tunc Defensor Matrimonii tradet interrogatoria clausa et obsignata Cancellario seu Notario, aperienda illo postulante ex Iudicis decreto in actu examinis, super quibus interrogandus erit coniux instans pro nullitate. Iis ea addet etiam in actu examinis ex officio Iudex, quae ex responsionibus magis apta conspiciet ad veritatem eruendam sive in declarationem responsionum datarum, sive super novis circumstantiis resultantibus, quod erit intelligendum etiam de aliis interrogatoriis, super quibus caeteri omnes de re instructi erunt examinandi.

Cum itaque advenit statuta dies, pars nullitatem matrimonii allegans comparebit, ut supra dictum, coram Iudice, adstante Defensore Matrimonii et Cancellario. Iudex deferet parti examinandae iuramentum de veritate dicenda, et deinde reserabit interrogatoria exhibita, ut supra dictum est, a Defensore Matrimonii, eaque singulatim proponet, audiet responsiones, easque dictabit Cancellario.

Interim dum pars erit examinanda, ipse Cancellarius exscribet in processu primam interrogationem, et deinceps singulas ex ordine, post quas scribet respon-

siones a Iudice dictandas. Si quod interrogatorium, ut superius monitum est, addatur ex officio a Iudice vel a Defensore Matrimonii, Cancellarius interrumpet ordinem progressivum, et adnotabit *interrogata ex officio*; et scripta interrogatione et responsione, reassumet ordinem progressivum interrogationum exhibitarum a Defensore Matrimonii.

Si examen una sessione absolvi non poterit, Iudex illud suspendet, ac destinabit etiam diem et horam pro reassumptione et prosecutione iisdem modo ac forma facienda, ut supra dictum est. Absoluto examine, Cancellarius leget clara et intelligibili voce responsiones datas, facta examinato facultate variandi et declarandi datas responsiones, prout ei libuerit. Tandem Iudex deferat iuramentum eidem coniugi, se vera dixisse, atque nunquam ante publicationem processus se evulgaturum sive interrogationes propositas, sive responsiones datas. Deinde ipse subscribet, et, si fuerit illiteratus, per signum Crucis; dein Iudex et Defensor validitatis matrimonii apponet suam subscriptionem, et Cancellarius de actu rogabit.

Poterit pars examini subiecta vel illico post examen vel etiam deinceps antequam publicetur processus, si velit, articulos proponere, super quibus etiam, citato Defensore Matrimonii, erit examinandus alter coniux; et quatenus etiam ab hoc articuli proponantur, erit iterum citandus coniux qui primus fuerat interrogatus; et adstante Defensore Matrimonii, super articulis ab altero propositis audietur.

Haec norma, quae data fuit pro instantis examine, servanda erit, congrua congruis referendo, in quovis alio examine.

Expleto examine illius coniugis qui actor fuit in

promovenda nullitatis querela, sequitur examen alterius coniugis, quod erit conficiendum iisdem prorsus methodo ac lege, quae praescriptae fuerunt in praecedentibus paragraphis, ac sub iisdem interrogatoriis actori propositis, vel aliis additis, vel novis confectis, prout Defensor Matrimonii in Domino censuerit.

Deinde procedendum erit ad examen *septimae manus*, hoc est septem propinquorum ex utroque latere ad formam Text. (*in Cap. Litterae Vestrae: de frig. et malef.*). Ut id facilius exequi Iudex valeat, Defensor Matrimonii citabit partem actricem, ut indicet septem sibi sanguine vel affinitate coniunctos, si fieri possit, sin minus septem vicinos bonae famae. Singuli, audita prius lectura examinis seu confessionis coniugis eos inducentis, erunt interrogandi, utrum perspectam habeant religionem et honestatem illius coniugis, ut propterea sibi verisimile sit, ac credant eum vera dixisse. Similiter instante Defensore Matrimonii citandus erit alter coniux, ut etiam ipse indicet septem propinquos vel affines, iisque deficientibus, septem vicinos bonae famae, qui ut supra dictum est deponant; seorsim erunt hi quatuordecim conflantes septimam manum examini subiciendi designatis diebus et horis, delato prius iuramento singulis. Defensor Matrimonii interrogatoria clausa exhibebit, ut superius dictum est.

Liberum erit coniugibus testes bonae famae ac de re instructos inducere, qui omnes seorsim et methodo hactenus praescripta erunt examini subiciendi.

Si alios etiam Defensor Matrimonii ex actis iam confectis deprehendet de re instructos, hos etiam citabit, ut examini subiciantur. Si qui forsitan absentes noscantur, qui commode ad civitatem accedere nequeant etiam ob distantiae sumptus, vel ad partis instantiam,

vel, ea silente, ad instantiam Defensoris Matrimonii erunt ab Episcopo illius Dioecesis, in qua morantur, examinandi iuxta interrogatoria ab eodem Defensore conficienda, ac clausa et obsignata transmittenda, deputato ab eodem Episcopo altero idoneo viro, qui praesiet requisitis in Bulla saepius laudata S. M. Bened. XIV praescriptis, quique expleat munus Defensoris validitatis matrimonii, et examini adsit.

Omnes vero testes, congrua congruis referendo, rogandi erunt praesertim quando initum fuerit Matrimonium; utrum inter Coniuges mutui amoris et benevolentiae signa intercesserint; quamdiu in eadem domo vel civitate cohabitaverint; utrum innotuerit eos consummationi operam dedisse; an inde matrimonium consummatum censeretur; de causis consummationem impeditivis; de conquestionibus, quando et cum quibus factis, et cur nolint amplius in matrimonio permanere.

Si querela super impotentia versetur, interrogandi erunt periti physici, quos coniuges consuluerunt.

Praeterea, quatenus querela super nullitate ex iis sit, ut solvi possit matrimonium, si coniuges illud non consummarunt, tunc procedendum erit ad inspectionem corporis coniugum seorsim sequenti methodo perficiendam, instanter praesertim Defensore Matrimonii.

Iudex praefiget terminum tam utrique coniugi, quam Defensori Matrimonii, ad exhibendas notulas peritorum medicorum et chirurgorum confidentium et diffidentium pro utriusque coniugis inspectione, congrua congruis referendo.

Exhibitis notulis a partibus, Iudex eliget quinque peritos, tres scilicet medicos, et duos chirurgos ex his, in quibus partes consentiant; sin minus ex officio eos, qui tamen partibus non sint rationabiliter suspecti, de-

putabit, atque curabit, ut deputatio cadat super celebrioribus civitatis tum quoad scientiam, tum quoad religionem et honestatem; atque his peritis facultatem dabit recognoscendi corpus viri, adhibitis honestis medicis ad explorandam ipsius potentiam, nec non facultatem, quatenus non conveniant in prima inspectione, iterum accedendi. Atque in eodem decreto diem, horam et locum destinabit, in quibus periti accedent, ut inspectionem perficiant.

Designata die et hora, ad locum accedent Iudex, Defensor Matrimonii, Cancellarius, ac Periti. Singuli ex peritis, ac seorsim, corpus viri inspicient ea qua fieri poterit decentia; et factis experimentis, quae iuxta artem, non tamen illicitis, opportuna iudicabunt, singuli scriptam emittent relationem.

In inspectione et relatione haec praecipue investiganda et referenda erunt:

An adsint signa physice certa impotentiae deducta ex conformatione partium, aut ex aliquo vitio quod apparere poterit. An adsint signa, quae moralem certitudinem inducant impotentiae, et quatenus existant, quae sit huius impotentiae causa, utrum sit impotentia perpetua insanabilis, ac praecedens matrimonium, an signa impotentiae sint dubia vel aequivoca.

Peracta relatione a singulis seorsim, Defensor Matrimonii exhibebit interrogatoria clausa, sigillata, super quibus fieri debet examen Peritorum, sibi que reservabit ius addendi alia interrogatoria, ac iterum ea ad examen revocandi. Si examen singulorum Peritorum eadem die perfici nequiverit, iudex aliam diem designabit, ut illud prosequatur. Uterque ex Peritis tum ante examen iuramentum praestabit de veritate dicenda, tum post examen iuramento dicta confirmabit, sese propria manu

subscribens, Iudex, Defensor validitatis Matrimonii, et Cancellarius se subscribent, qui actum rogabit.

Procedendum etiam erit ad inspectionem corporis mulieris, Iudex, ut supra dictum est de peritis, tres saltem Obstetrices deputabit, quae a duobus saltem peritis uno medico, et altero chirurgo, ut supra seligendis, sedulo erunt instruendae de recognoscendo visu et tactu in muliebrium inspectione. Statuta autem huius inspectionis die, mulier erit traducenda ad domum honestae Matronae pariter a Iudice deputandae pro infrascripta praestanda personali adstantia, atque adstantibus semper tribus Obstetricibus et Matrona, immergenda erit in balneo aquae tepentis a Peritis prius recognoscendo, quod sit aquae purae, quo in balneo per spatium saltem trium quadrantium horae unius permanere debet: quo tempore transacto, adstantibus semper et praesentibus Matrona, et Obstetricibus, statim ne ullum spatium, aut momentum temporis mulieri detur, quo ad arctandum vas ullo medicamento, aut aliqua fraude uti queat, ad ipsius corporis inspectionem a singulis seorsim deveniendum erit, adstante semper et praesente Matrona; qua in re prospiciendum etiam, ut haec recognitio fiat tempore tantum diurno et in cubiculo luminoso, ut ex inspectione huiusmodi utrum mulier virgo sit, an violata et corrupta, adhibitis artis regulis, exactius deprehendatur.

Iudex, Defensor Matrimonii et Cancellarius cum Peritis, ut supra ad domum Matronae accedent. Peracta hinc recognitione, seorsim singulae Obstetrices referent de virginitatis, aut corruptionis indicia ab inspectione resultantibus, an certa et qualia supersint signa et argumenta intemerati, aut corrupti claustrî virginalis, et an ulla fraus ad virginitatem simulandam adhiberi po-

tuerit. Deinde super his magis praecise deponent in responsionibus ad interrogatoria, quae clausa et obsignata exhibebit Defensor validitatis Matrimonii. Deinde formali examini erunt subiiciendi Periti, quorum iudicium erit exquirendum super relatis et depositis ab Obstetricibus. Tandem examen subire debet quoque Matrona quoad praestitam toto balnei et recognitionis tempore adstantiam, servatis quoad examen iis omnibus quae superius dicta sunt, congrua tamen congruis referendo.

Quatenus Defensori Matrimonii nulla alia probatio exquirenda videatur, nullamque putet aliam Iudex pro sua diligentia assumendam, finis imponetur probationum collectioni et publicabitur processus, edito super hoc decreto a Iudice, factisque subscriptionibus ab eo, a Defensore Matrimonii, et a Cancellario. Haec habenda methodus. Quae in actis continentur, nemini nec ipsis quidem coniugibus eorumque Defensoribus erunt communicanda ante processus publicationem, uno excepto Defensore Matrimonii, cui libera semper et quocumque erit actorum inspectio et examen.

Locus deinde erit defensionibus. Liberum etiam erit Defensori Matrimonii post processus publicationem novas probationes exquirere, cum agat favore Sacramenti, et nunquam bina sententia nullitatis conformis transeat in rem iudicatam, ac reassumi causa possit etiam post initas novas nuptias a partibus iuxta Constitutionem saepius citatam *Dei miseratione*.

Omnibus absolutis, et cum nil amplius deducendum censuerit Defensor Matrimonii, sententiam proferet Episcopus.

Si hac Matrimonii nullitas decreta fuerit, debet Defensor Matrimonii appellare iuxta citatam Constitu-

tionem, nec poterunt Coniuges ad alia vota transire nisi post obtentam alteram sententiam conformem super nullitate, sub poenis contra polygamos constitutis in citata Constitutione *Dei miseratione*. Deinde transmittenda erunt acta ab Episcopo ad Iudicem, ad quem provocatum fuit, in copia authentica, soluta per partem diligentiore competenti mercede Cancellario.

ALERE FLAMMAM
VERITATIS

XVII.

Pii IX Literae Apostolicae « Cum illud », quibus aliqua dubia circa sacra S. R. E. Cardinalium et Episc. utensilia declarantur. — 1 Jun. 1847.

1. Cum illud plurimi referat, ut in Apostolicis concessionibus nullus detur dubitationi locus, quae animos torqueat ac controversias excitet, idcirco, si quam existere ambiguitatem noverimus, ad eam avertendam curas Nostras libenter intendimus. Iam vero praeter indultum testandi de propriis bonis, quod venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus sancta haec Sedes tribuere solet per Apostolicas Literas in forma Brevis incipientes *De benignitate Sedis Apostolicae*, iisdem per alias similes Literas in forma Brevis, quarum initium *Cum fel. rec. Urbanus VIII*, facultas conceditur disponendi de sacris utensilibus favore alicuius ecclesiae, seu capellae, vel loci pii, non obstante Constitutione Urbani VIII *Aequum* est edita die 24 Iulii anno 1642, qua sacra Cardinalium utensilia Pontificio sacrario attribuuntur. Verum quum in memorato postremo Brevis, etiam quando agitur de Cardinalibus Archiepiscopis et Abbatibus, ex quodam invento usu

addi consueverit clausula: *salvoque in praemisitis quoad ecclesias cathedrales, metropolitanas, aut patriarchales, quibus praefuerit, seu quas alias ex concessione vel dispensatione Apostolica in titulum, administrationem, seu commendam obtinueris, dispositione Constitutionis fel. rec. Pii PP. V anno 1567, tertio kalendas Septembris anno secundo*; saepe saepius dubia exorta sunt circa interpretationem et vim huiusmodi reservationis, eo vel magis quod in superius memorato Brevis *De benignitate Sedis Apostolicae* praefatae S. Pii V Constitutioni in ea parte, quae sacra utensilia respicit, aperte derogatur. Si namque Romani Pontifices Cardinalibus quoque Archiepiscopis, Episcopis, et Abbatibus, privilegium disponendi de sacris utensilibus concedere solent, illud frustraneum et illusorium foret, quatenus adiecta clausula eam vim haberet, quam verba praee se ferunt. His quoque accedebat, quod nonnulli sacrorum canonum interpretes doceant, Cardinales, utpote qui in memorata S. Pii V Constitutione speciatim nominati non sint, ea lege minime teneri, etsi alii contrariam sententiam tueantur.

2. Quae cum ita essent, ven. Frater Noster Petrus Cardinalis Ostini nunc Episcopus Albanensis, qui tunc temporis episcopalem ecclesiam Aesinam regerat, enixe postulavit a fel. rec. Gregorio XVI, Praedecessore Nostro, ut rem certo definiret, atque expresse declararet, an Cardinales Episcopi, seu Abbates *Nullius*, in Apostolicis memoratis Literis S. Pii V, Praedecessoris Nostri, comprehendantur; ac stateret, quaenam sacra ornamenta et supellectiles et utensilia S. R. E. Cardinalium ad sacrarium Pontificium ex memorata Constitutione Urbani VIII, et quaenam Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum et Abbatum

Nullius, sive cardinalitia dignitate fulgeant, sive illa careant, ad ecclesias cathedrales ex superius citata Sancti Pii V Constitutione revera spectent, et quomodo facienda sit divisio sacrarum suppellectilium et utensilium, quando Episcopus sive successive, sive simultaneè, plures ecclesias gubernaverit.

3. Nos igitur, qui in memorati Decessoris Nostri bo. me. Gregorii XVI locum, licet immerentes, suffecti sumus, ad praecedendas omnes hac super re dubitationis ac controversiae causas, de consilio VV. FF. Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum, haec, quae sequuntur, auctoritate Nostra Apostolica decernimus et mandamus: I. Cardinales Episcopos teneri quoad sacra utensilia lege lata in Constitutione S. Pii V incipiente *Romani Pontificis*, exceptis tamen Cardinalibus Episcopis suburbicariis, necnon exceptis pariter Cardinalibus Abbatibus *Nullius*, qui in Romana Curia morantur, quorum sacra utensilia, attenta citata Constitutione *Aequum est* Urbani VIII, Praedecessoris Nostri, ad Pontificium sacrarium spectabunt. II. Firmis remanentibus clausulis derogatoriis Constitutionis S. Pii V, cuius initium *Romani Pontificis providentia*, in Literis in forma Brevis incipientibus *De benignitate Sedis Apostolicae* apponi solitis, in altero Brevis, quod incipit *Cum sel. rec. Urbanus VIII*, auferatur clausula, qua salva edicitur eadem Piana Constitutio, eiusque loco substituantur ea, quae sequuntur: *Quod si ecclesiis abbatialibus, cathedralibus, metropolitanis, patriarchalibus praefueris, seu quas alias ex concessione et dispensatione Apostolica in titulum, administrationem, seu commendam obtinueris, te vehementer hortamur, prout iam Benedictus XIV, Praedecessor Noster, in sua Constitutione*

incipiente Inter arduas *Cardinales hortabatur, ut in praedictis rebus disponendis eas ecclesias prae oculis habeas, ceterisque praeferas.* Quae vero hoc in articulo praescripsimus, ea ad singulos Cardinales extendimus, qui ante praesentium Literarum publicationem enuntiatam testandi ac disponendi facultatem obtinuerunt, perinde ac si in respectivis indultis expressa essent. III. Sacra utensilia, quae vigore Constitutionis S. Pii V incipientis *Romani Pontificis*, ecclesiis cathedralibus debentur, haec esse edicimus: Mitras scilicet, planetas, pluvialia, tunicellas, dalmaticas, sandalia, chirothecas, albas cum cingulis, lineos amictus, et his similia; item missalia, gradualia, libros cantus firmi et musicae, libros pontificales, alterum, cui titulus Canon Missae; item calices, patenas, pyxides, ostensoria, thuribula, vas aquae benedictae cum aspersorio, pelvim cum urceo, vasa sacrorum oleorum, et urceolos una cum pelvibus et tintinnabulo, palmatorias, icones pacis, cruces archiepiscopales, candelabra cum cruce pro altaris usu, baculum pastorem, faldistorium, aliasque res sacras sive paramenta, sive ornamenta, sive vasa, si quae sunt, etiam ex eorum natura usui profano congrua; dummodo non per accidens, sed permanenter divino cultui sacrisque functionibus fuerint destinata; exceptis anulis et crucibus pectoralibus etiam cum sacris reliquiis, et iis omnibus utensilibus cuiusvis generis, quae legitime proventur ab Episcopis defunctis comparata fuisse bonis ad ecclesiam non pertinentibus, neque constet ecclesiae fuisse donata. Volumus propterea teneri ac debere Episcopos conficere in forma authentica inventarium sacrarum utensilium, in quo pro rei veritate expriment, quando acquisita fuerint, et speciali nota describant, quae ex ecclesiae redditibus ac proventibus

sibi compararunt, ne alias praesumi debeat ea omnia redivitibus ecclesiae comparata fuisse. Quod vero pertinet ad utensilia sacra S. R. E. Cardinalium ad sacrarium sacelli Summi Pontificis spectantia, nullam haberi volumus rationem qualitatis et naturae redivituum quibus comparata fuerint, et praeter ea, quae in Constitutione Urbani VIII, incipiente *Aequum est* in specie enumerata sunt, alia verbis generalibus tantum expressa intelligi volumus, sandalia, chirothecas, lineos amictus, albas cum cingulis, item pyxides, ostensoria, vas aquae benedictae cum aspersorio, vasa sacrorum oleorum, et urceolos cum pelvibus ac tintinnabulo, tandem baculum pastorem, faldistorium, palmatorias, icones pacis, thuribulum, et his similia, exceptis annulis et crucibus pectoralibus etiam cum sacris reliquiis, IV. Quando Episcopus duas vel plures ecclesias successive rexerit, sacra utensilia dividi volumus proportionaliter inter ecclesias cathedrales, habita ratione fructuum ac temporis, iuxta Constitutionem S. Pii V incipientem *Romani Pontificis*. V. Ubi vero aliquis Episcopus simul praefuerit duabus vel pluribus ecclesiis unitis, vel in perpetuam administrationem concessis, quae habeant Capitulum et Cathedralem ecclesiam propriam ac distinctam, sacrorum utensilium divisionem faciendam esse edicimus aequis partibus singulis ecclesiis cathedralibus, quatenus earumdem ecclesiarum unitarum, seu in perpetuam administrationem concessarum redivituum non sint divisi, sed unam episcopalem mensam perpetuo constituent; si vero redivituum divisi fuerint ac separati, divisionem fieri volumus singulis ecclesiis cathedralibus proportionaliter ratione fructuum. VI. Quodsi constet, Episcopum, qui per translationem duabus ecclesiis successive praefuerit,

comparasse sibi omnia sacra utensilia redivitibus tantum unius ecclesiae, nulli divisioni locus erit, sed eadem sacra utensilia ad ecclesiam cathedralem tantum spectabunt illius dioecesis, ex cuius episcopalis mensae proventibus fuerint acquisita. Haec volumus et mandamus, decernentes has literas firmas, validas atque efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri ac obtinere, eisque, ad quos spectant seu spectabunt, plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et extraordinarios iudicari ac definiri debere; irritumque et inane esse quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, si opus fuerit, Nostra et cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, alisque Apostolicis, atque in universalibus, provincialibusque, et synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ceterisque etiam speciali et individua mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die 1 Junii 1847, Pontificatus Nostri anno primo. - Aloisius Card. Lambruschini, a Brævibus Apostolicis.

XVIII.

S. C. Indulg. decretum circa Surdo-Mutos. — 15 Martii 1852.

Urbis et Orbis. - Cum ad indulgentias acquirendas persaepe contingat, ut inter praescriptas condiciones vocales quoque preces iniungantur, postulante Eminen-

tissimo et Reverendissimo Domino Cardinali Iacobo Aloisio Brignole pii instituti surdorum ac mutorum in Urbe Protectore, cum etiam plures moderatores horum institutorum idipsum enixe postulaverint, propositum fuit dubium huic Sacrae Congregationi Indulgentiarum: *An et quomodo Surdo-Muti supplere valeant impotentiae, qua delinuntur, preces recitandi pro indulgentiis acquirendis immittas?* Re mature discussa tum prius ab uno ex praefatae Congregationis Consultoribus, tum demum ab Eminentissimis Patribus in comitiis generalibus apud Vaticanas Aedes die 16 Februarii huius anni habitis, ipsis EE. PP. eiusdem Consultoris voto adhaerentes responderunt: Supplicandum Sanctissimo pro generali decreto ab hac Sacra Congregatione evulgando, atque Apostolica auctoritate firmando, cuius vi statuendum:

1. *Quodsi inter opera pro lucranda indulgentia praescripta sit visitatio alicuius ecclesiae, surdo-muti ecclesiam ipsam devote visitare teneantur, licet mentem tantum in Deum elevent et pios affectus.*

2. *Quodsi inter opera sint publicae preces, surdo-muti possint lucrari indulgentias iis adnexas corpore quidem coniuncti caeteris fidelibus in eodem loco orantibus, sed pariter mente tantum in Deum elevata, et piis cordis affectibus.*

3. *Quodsi agatur tandem de privatis orationibus, proprii mutorum et surdorum confessarii valeant easdem orationes commutare in alia pia opera aliquo modo manifestata, prout in Domino expedire iudicaverint.*

Facta itaque de praefatis omnibus SSmo D. N. Pio PP. IX per me infrascriptum S. Congregationi Indulgentiarum Cardinalem Praefectum relatione in Audientia diei 15 Martii currentis anni, Sanctitas Sua non

modo praedictum votum approbavit, verum etiam huiusmodi gratiam ac concessionem peramanter elargitam per generale decretum publicari mandavit. - F. Card. Asquinius, Praef. - A. Colombo, Secret.

XIX.

S. Officii Encycl. ad Episcopos de Magnetismo. — 4 Aug. 1856.

In Congregatione Generali S. R. et Universalis Inquisitionis habita in Conventu S. M. supra Minervam (fer. IV. 30 Iulii 1856) Emi ac Rmi DD. Cardinales in tota republica christiana adversus haeticam pravitatem Generales Inquisitores, mature perpensis iis quae circa magnetismi experimenta a viris fide dignis undequaque relata sunt, decreverunt edi praesentes literas encyclicas ad omnes Episcopos ad magnetismum abusus compescendos.

Etenim compertum est, novum quoddam superstitionis genus invchi ex phaenomenis magneticis, quibus haud scientiis physicis enucleandis, ut par esset, sed decipiendis ac seducendis hominibus student neoterici plures, rati posse occulta, remota, ac futura detegi magnetismi arte, vel praestigio, praesertim ope mulierularum quae unice a magnetizatoris nutu pendent.

Nonnullae iam hac de re a S. Sede datae sunt responsiones ad peculiare casus, quibus reprobantur tanquam illicita illa experimenta, quae ad finem non naturalem, non honestum, non debitis mediis adhibitis assequendum, ordinantur; unde in similibus casibus decretum est Feria IV. 21 Aprilis 1841: *Usuni ma-*

gnetismi, prout exponitur, non licere. Similiter quosdam libros eiusmodi errores pervicaciter disseminantes prohibendos censuit S. Congregatio. Verum quia praeter particulares casus de usu magnetismi generatim agendum erat, hinc per modum regulae sic statutum fuit Feria IV 28 Iulii 1847: « Remoto omni errore, sortilegio, explicita aut implicata daemone invocatione, « usus magnetismi, nempe merus actus adhibendi media « physica aliunde licita, non est moraliter vetitus, dummodo non tendat ad finem illicitum aut quomodolibet « pravum. Applicatio autem principiorum et mediorum « pure physicorum ad res et effectus vere supernaturales, ut physice explicentur, non est nisi deceptio « omnino illicita et haereticalis ».

Quamquam generali hoc decreto satis explicetur licitudo, aut illicitudo, in usu aut abusu magnetismi, tamen adeo crevit hominum malitia, ut neglecto licito studio scientiae, potius curiosa sectantes, magna cum animarum iactura ipsiusque civilis societatis detrimento, hariolandi divinandive principium quoddam se nactos gloriantur. Hinc *somnambulismi, et clarae intuitionis*, uti vocant, praestigii mulierculae illae gesticulationibus non semper verecundis abreptae, se invisibilia quaeque conspiciere effutiunt, ac de ipsa religione sermones instituerent, animas mortuorum evocare, responsa accipere, ignota ac longinqua detegere, aliaque id genus superstitiosa exercere ausu temerario praesumunt, magnum quaestum sibi, ac dominis suis divinando certo consecuturæ. In hisce omnibus quacumque demum utantur arte, vel illusionem, cum ordinentur media physica ad effectus non naturales, reperitur deceptio omnino illicita, et scandalum contra honestatem morum.

Igitur ad tantum nefas, et religioni, et civili socie-

tati infestissimum efficaciter cohibendum, excitari quam maxime debet pastoralis sollicitudo, vigilantia ac zelus Episcoporum omnium. Quapropter quantum, divina adiutrice gratia, poterunt locorum Ordinarii, qua paternae charitatis monitis, qua severis obiurgationibus, qua demum iuris remediis adhibitis, prout attentis locorum, personarum, temporumque adiunctis, expedire in Domino iudicaverint, omnem impendant operam ad huiusmodi magnetismi abusus reprimendos et avellendos; ut dominicus grex defendatur ab inimico hominum, depositum fidei sartum tectumque custodiatur, et fideles sibi crediti a morum corruptione praeserventur.

XX.

Pii IX Literae encyclicæ « Amantissimi » super obligatione applicandi Missam pro populo diebus festis reductis. — 3 Maii 1858.

I. Amantissimi Redemptoris Nostri Christi Iesu Unigeniti Filii Dei tanta fuit erga homines benignitas et charitas, ut, veluti optime nostis, venerabiles Fratres, humana indutus natura non solum saevissimos pro nostra salute cruciatus, atroceissimamque crucis mortem perpeti, verum etiam in augustissimo sui Corporis Sanguinisque Sacramento nobiscum semper morari, ac nos peramanter pascere et nutrire voluerit, quo ipse in coelum rediens ad dexteram Patris nos et sui numinis praesentia, et tutissimo spiritualis vitae praesidio communicet. Neque contentus nos tam insigni ac plane divina dilexisset charitate, beneficia beneficium cumulans, sui que in Nos amoris divitias profundens

effecit, ut probe intelligeremus, quod, cum dilexisset suos, in finem dilexit eos. Namque se aeternum Sacerdotem esse declarans secundum ordinem Melchisedech, suum in catholica Ecclesia sacerdotium perpetuo instituit; et illud idem sacrificium quod ipse ad universum humanum genus a peccati iugo ac daemone captivitate vindicandum et redimendum in ara crucis, pretiosissimo suo Sanguine effuso, semel peregit, pacificans sive quae in coelis sunt, sive quae in terra, usque ad consummationem saeculi permanere decrevit, et quotidie fieri ac renovari iussit per sacerdotum ministerium, sola offerendi ratione diversa, ut salutare uberrimique suae Passionis fructus in homines semper redundarent. Siquidem in incremento Missae sacrificio, quod conspicuo sacerdotum ministerio peragitur, illa ipsa vivifica litatur victima, quae Deo Patri nos reconciliavit, quaeque omnem merendi, placandi, impetrandi ac satisfaciendi vim habens, « illam nobis mortem Unigeniti per mysterium reparat, qui licet resurgens a mortuis iam non moritur, et mors ei ultra non dominabitur, tamen in semetipso immortaliter atque incorruptibiliter vivens pro nobis iterum in hoc mysterio sacrae oblationis immolatur »¹. Atque haec est munda illa oblatio, quam nulla offerentium indignitas ac malitia inquinare unquam potest, et quam Dominus per Malachiam nomini suo, quod magnum futurum esset in gentibus, a solis ortu usque ad occasum, in omni loco, mundam offerendam esse praedixit †. Quae quidem oblatio ineffabili prorsus fructuum ubertate redundans praesentem aequae ac futuram vitam complectitur. Ea enim oblatione placatus Deus, gratiam donumque poenitentiae concedens, crimina et

¹ S. Gregor, M. Dialog, lib. 4. c. 58.

[†] Malach. c. 1.

peccata etiam ingentia dimittit; ac licet peccatis nostris graviter offensus, ab ira ad misericordiam, a iustae animadversionis severitate ad clementiam traducitur; ea temporalium poenarum reatus et obligatio dissolvitur; ea defunctorum in Christo animae, nondum ad plenum purgatae, sublevantur; ea obtinentur quoque temporalia bona, si tamen potioribus non officiant; ea Sanctis, et in primis immaculatae sanctissimaeque Dei Genitrici Virgini Mariae, eximius quidam honor cultusque conciliatur. Quocirca ex Apostolorum traditione divinum Missae sacrificium offerimus « pro communi ecclesiarum pace, pro recta mundi compositione, pro imperatoribus, militibus, sociis, pro iis, qui infirmitatibus laborant, qui afflictionibus premuntur, et universim pro omnibus qui opis indigent, et pro defunctis in purgatorio degentibus; maximum hoc credentes adiumentum illis animabus fore, pro quibus oratio deferretur, dum sancta et perquam tremenda coram iacet victima »².

2. Cum igitur nihil sit maius, nihil salutarius, nihil sanctius, nihil divinius incremento Missae sacrificio, quo idem Corpus, idem Deus et Dominus Noster Iesus Christus Deo pro omnium salute in altari per sacerdotes offertur et immolatur, idcirco sancta Mater Ecclesia tanto divino sui Sponsi ditata thesauro nunquam destitit omnem curam, operam, diligentiamque in id conferre, ut tam tremendum mysterium a sacerdotibus, quanta maxima fieri posset, interiori cordis munditia ac puritate perageretur, debitoque sacrarum caeremoniarum ac rituum apparatu cultusque celebraretur, ut ipsius mysterii magnitudo et maiestas vel externa quoque

² S. Cyril. Hierosol. Cateches. 23. Mistag. 5 de sacra Liturg.

specie magis eluceat et fideles ad rerum divinarum, quae in tam admirabili ac venerando sacrificio occultatae continentur, contemplationem excitentur. Ac pari sollicitudine studioque ipsa sapientissima Mater nunquam cessavit suos fideles filios commonere, hortari et inflammare, ut ea, qua oportet, pietate, veneratione ac devotione ad hoc divinum sacrificium frequentissime convenirent; praecipiens, ut eidem omnibus de praecepto festis diebus ipsi interesse omnino deberent, animis ad illud oculisque religiosissime intenti, quo divinam exinde misericordiam omniumque bonorum copiam sibi felicissime comparare possent.

3. Iamvero cum omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituatur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis, tum pro egregia vestra sapientia apprime cognoscitis, venerabiles Fratres, sacrosanctum Missae sacrificium ab animarum pastoribus esse applicandum pro populo eorum curae commisso, et huiusmodi obligationem ex divino praecepto descendere, iuxta Concilii Tridentini doctrinam, cum idem Concilium disertissimis gravissimisque verbis edoceat, « praecepto divino mandatam esse omnibus, « quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre »¹. Notissimae quoque vobis sunt fel. rec. Benedicti XIV, Decessoris Nostri, Literae, die 19 Augusti anni 1744 datae, quibus de hac obligatione copiose sapienterque loquens, ac Tridentinorum Patrum mentem uberius explicans et confirmans, ad omnes controversias, quaestiones dubitationesque amovendas, clare aperteque declaravit et constituit, parochos aliosque omnes animarum curam

¹ Conc. Trid. Sess. 23, c. 1 de ref.

actu habentes debere Missae sacrificium pro populo sibi concredito peragere omnibus Dominicis aliisque de praecepto festis diebus, et illis etiam, quibus ipse in nonnullis dioecesibus dierum de praecepto festorum numerum imminuens permiserat populis in servilia opera incumbere, sed caverat tamen, ut ipsi populi obligationi de sacro audiendo satisfacere deberent².

4. Non mediocri certe iucunditate perfundimur, venerabiles Fratres, cum ex relationibus, quas de vestrarum dioecesium statu summa vestri nominis laude, ac pari animi Nostri gaudio ad Nos, et hanc Apostolicam Sedem, veluti officii vestri ratio postulat, mittendas curatis, agnoscamus, animarum curatores huiusmodi sui muneris obligationem diligenter implere Dominicis et aliis, qui adhuc ex praecepto servantur diebus, quibus Missae sacrificium pro populo sibi tradito celebrare haud omittunt. Sed minime ignoramus, pluribus in locis id a parochis iamdiu praetermitti solere aliis illis diebus, qui antea veluti festi de praecepto erant colendi iuxta Constitutionem felicis memoriae Urbani VIII, Decessoris pariter Nostri³, et quibus haec Apostolica Sedes, annuens variis sacrorum Antistitum postulationibus, ac prae oculis habens causas rationesque ab ipsis expositas, dum imminuit festos de praecepto dies, non solum permisit, ut populi servilibus operibus vacare possent, verum etiam indulisit, ut ipsi ab obligatione audiendi sacrum essent exempti. Ubi enim haec benigna Sanctae Sedis indulta in lucem prodierunt, statim, plurium regionum parochi existimantes, se hisce diebus ita reductis solutos esse ab obli-

¹ Bened. XIV. lit. encycl. « Cum semper oblatas » die 19 Augusti 1744.

² Urban. VIII. Constit. « Universa per orbem » Idib. Sept. 1642.

gatione peragendi sacrum pro populo, obligationem ipsam implere plane neglexerunt. Hinc porro invaluit consuetudo, ut earundem regionum parochi commemoratis diebus sacrosanctum Missae sacrificium pro populo applicare cessaverint; nec defuere, qui eiusmodi consuetudinem tueri ac defendere non dubitarunt.

Nos igitur de spirituali universi Dominici gregis nobis divinitus commissi bono vel maxime solliciti, ac non parum dolentes ex huiusmodi praetermissione fideles illorum locorum populos maximis spiritualibus fructibus privari, tanti momenti negotio occurrere statim, cum praesertim noscamus, hanc Apostolicam Sedem docuisse, parochos diebus festis etiam reductis debere sacrum pro populo celebrare. Et sane quamvis Romani Pontifices Decessores Nostri, enixis sacrorum Antistitum petitionibus ac variis pluribusque populorum indigentis, et gravibus rerum, temporum ac locorum rationibus permoti, festos de praecepto dies imminuendos censuerint, ac simul benigne concesserint, ut populi hisce diebus servilia opera libere exercerent, quin sacrum audire deberent, tamen iidem Praedecessores Nostri in hisce indultis tribuendis integram inviolatamque legem esse voluerunt, ut scilicet praedictis diebus nihil in ecclesiis unquam innovaretur quoad consuetum divinatorum officiorum ordinem et ritum, utque omnia eo prorsus modo peragentur, quo antea peragi solebant, cum enuntiata Urbani VIII Constitutio plene vigeret, qua festi de praecepto dies servandi fuerant praescripti. Ex quo parochi vel facile intelligere poterant, se illis diebus minime expeditos esse ab obligatione applicandi pro populo Missam, quae potissima ritus pars est, animo praesertim reputantes Pontificia Rescripta eo plane, quem prae se ferunt, sensu esse omnino

accipienda, et illa strictissimae esse interpretationis. Accedit etiam, ut haec Sancta Sedes in plurimis peculiaribus casibus de huiusmodi parochorum onere consulta, haud omiserit per suas praesertim Congregationes sive Concilii, sive Fidei Propagandae, sive Sac. Rituum, sive etiam per Sacram Poenitentiarum, saepissime respondere et edicere, parochos eidem oneri esse obnoxios applicandi pro populo Missam illis etiam diebus, qui de festorum ex praecepto dierum numero fuerant sublati.

5. Itaque rebus omnibus maturo examine perpensis, atque in Concilio adhibitis nonnullis venerabilibus Fratribus Nostriis S. R. E. Cardinalibus Nostrae Congreg. Tridentinis decretis tuendis interpretandisque praepositae, hanc vobis, venerabiles Fratres, encyclicam Epistolam scribendam esse censuimus, ut certam et constantem normam legemque constituamus ab omnibus parochis sedulo diligenterque observandam. Quamobrem hisce Literis declaramus, statuimus atque decernimus, parochos aliosque omnes animarum curam actu gerentes sacrosanctum Missae sacrificium pro populo sibi commissio celebrare et applicare debere tum omnibus Dominicis, aliisque diebus, qui ex praecepto adhuc servantur, tum illis etiam, qui ex huius Apostolicae Sedis indulgentia ex dierum de praecepto festorum numero sublati ac translati sunt, quemadmodum ipsi animarum curatores debebant, dum memorata Urbani VIII Constitutio in pleno suo robore vigeat, antequam festivi de praecepto dies imminuerentur et transferrentur. Quod vero attinet ad festos translatos dies, id unum excipimus, ut scilicet, quando una cum solemnitate divinum officium translato fuerit in Dominicum diem, una tantum Missa pro populo sit a pa-

rochis applicanda, quandoquidem Missa, quae praecipua divini officii pars est, una simul cum ipso officio translata existimari debet.

6. Nunc vero paterni animi Nostrī charitate illorum parochorum tranquillitati prospicere volentes, qui ob assertam consuetudinem memoratis diebus Missam pro populo applicare omiserunt, eosdem parochos ab omnibus quibusque praeteritis omissionibus auctoritate Nostrā Apostolica plenissime absolvimus. Et quoniam non desunt animarum curatores, qui peculiare aliquod reductionis, uti dicunt, indultum ab hac Apostolica Sede obtinere, concedimus, ut ipsi huiusce indulti beneficio perfrui pergant iuxta tamen conditiones in indulto expressas, et donec parochorum officium exercuerint in parocciis, quas in praesentiarum regunt et administrant.

7. Dum autem haec statuimus et indulgemus, in eam profecto spem erigimur fore, venerabiles Fratres, ut parochi maiore usque animarum studio et amore incensi huic obligationi applicandi Missam pro populo diligentissime ac religiosissime satisfacere gloriantur, serio considerantes uberrimam coelestium praesertim munerum ac bonorum copiam, quae ex hac incrementi divini sacrificii applicatione in christianam plebem eorum curae commissam abunde redundat. Cum vero nos minime lateat, peculiare casus contingere posse, in quibus pro re ac tempore aliqua huius obligationis remissio parochis sit tribuenda, sciatīs velimus, ab omnibus Nostram Concilii Congregationem unice esse adeundam ad huiusmodi obtinenda indulta, illis dumtaxat exceptis, qui a Nostrā Congregatione Fidei Propagandae praeposita pendent, cum opportunas utrique Congregationi contulerimus facultates.

8. Nihil plane dubitamus, venerabiles Fratres, quin pro eximia vestra episcopali sollicitudine omnibus et singulis vestrarum dioecesium parochis, nulla interposita mora, sedulo manifestare velitis, quae in hisce Nostris Literis de eorum obligatione applicandi pro populo sibi commisso sacrosanctum Missae sacrificium suprema Nostra auctoritate confirmamus ac denuo constituimus, volumus, praecipimus et mandamus. Ac persnasissimum quoque Nobis est vos maximam adhibitoros esse vigilantiam, ut animarum curatores hanc etiam sui muneris partem diligenter impleant, ac studiose observent quae a Nobis in hisce Literis statuta atque sancita sunt. Optamus autem, ut harum Literarum exemplar in tabulario episcopalis cuiusque vestrum curiae perpetuo asservetur.

9. Cum autem, ven. Fratres, probe noscatis, sacrosancto Missae sacrificio magnam fidelis populi contineri eruditionem, ne intermittatis unquam parochos praesertim aliosque divini verbi praecones et eos, quibus demandatum est munus erudiendi christianum populum, monere et hortari, ut fidelibus populis tam sancti tamque admirabilis sacrificii necessitatem, praestantiam, magnitudinem, finem, fructus, studiosissime et accuratissime exponant et explicent, ac simul fideles ipsos excitent, inflamment, quo eidem sacrificio ea, qua par est, fide, religione ac pietate frequentissime intersint, ut divinam misericordiam, et omne, quo indigent, beneficiorum genus sibi comparare queant. Neque desinatis omnem operam et industriam impendere, ut vestrarum dioecesium sacerdotes ea morum integritate, gravitate, eaque totius vitae innocentia, sanctitate emineant, quae illos omnino decet, quibus unis datum est divinam consecrare Hostiam, ac tam

sanctum tamque tremendum perficere sacrificium. Quocirca omnes sanctissimo sacerdotio initiatos etiam atque etiam monete, urgete, ut serio meditantes ministerium quod acceperunt a Domino, illud impleant, et continenter memores dignitatis ac coelestis potestatis, qua praediti sunt, virtutum omnium splendore ac salutaris doctrinae laude refulgeant, summaque animi contentione in divinum cultum divinasque res et animarum salutem incumbant, ac seipsos hostiam vivam et sanctam Domino exhibentes, et mortificationem Iesu in suo corpore semper circumferentes, puris manibus et mundo corde placationis Hostiam rite offerant Deo pro sua ac totius mundi salute.

10. Denique nihil Nobis gratius, venerabiles Fratres, quam hac etiam uti occasione, ut iterum testemur et confirmemus praecipuam, qua vos omnes in Domino prosequimur, benevolentiam; ac simul vobis addamus animos, ut maiore usque alacritate pergatis omnes gravissimi pastoralis vestri muneris partes strenue ac sedulo obire et intentissimo studio dilectarum ovium salutem incolumitatiue consulere.

11. Pro certo habete, Nos paratissimos esse ad ea omnia libentissime agenda, quae ad maiorem vestram ac dioecesium vestrarum utilitatem procurandam condicere posse noverimus. Interim vero coelestium omnium munerum auspem ac studiosissimae Nostrae in vos voluntatis testem accipite Apostolicam benedictionem, quam intimo cordis affectu vobis ipsis, venerabiles Fratres, cunctisque clericis laicisque fidelibus cuiusque vestrum vigilantiae commissis amantissime impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum die 3 Maii anno 1858, Pontificatus Nostri anno duodecimo.

XXI.

Card. Antonelli instructio ad omnes Archiepiscopos, Episcopos aliosque locorum Ordinarios, de dispensationibus super impedimento mixtae religionis quoad promiscua coniugia. — 15 Nov. 1858.

Etsi Sanctissimus Dominus Noster Pius IX Pontifex Maximus gravissimis causis impulsus aliquod immutandum esse censuerit in formula dispensationum, quae ab hac Apostolica Sede conceduntur ad mixta ineunda matrimonia, veluti Amplitudo Tua ex adiecta formula intelliget, tamen idem Summus Pontifex, de Universi Domini gregis salute, sibi divinitus commissa, vel maxime sollicitus, pro Apostolici Ministerii Sui munere non potest non summopere inculcare omnibus Archiepiscopis, Episcopis, aliisque Locorum Ordinariis, ut sanctissima Catholicae Ecclesiae de hisce Coniugiis documenta integra et inviolata religiosissime serventur. Omnes enim norunt, quid ipsa Catholica Ecclesia de huiusmodi Catholicos inter et A Catholicos nuptiis constanter senserit, cum illas semper improbaverit, ac tamquam illicitas, planeque perniciosas habuerit, tum ob flagitiosam in Divinis communionem, tum ob impendens catholico coniugi perversionis periculum, tum ob pravam sobolis institutionem. Atque huc omnino pertinent antiquissimi Canones ipsa mixta connubia severe interdicentes, ac recentiores Summorum Pontificum Sanctiones, de quibus Immortalis Memoriae Benedictus XIV loquitur in suis Encyclicis Litteris ad Poloniae Regni Episcopos, atque in celeberrimo opere, quod de Synodo Dioecessana inscribitur.

sanctum tamque tremendum perficere sacrificium. Quocirca omnes sanctissimo sacerdotio initiatos etiam atque etiam monete, urgete, ut serio meditantes ministerium quod acceperunt a Domino, illud impleant, et continenter memores dignitatis ac coelestis potestatis, qua praediti sunt, virtutum omnium splendore ac salutaris doctrinae laude refulgeant, summaque animi contentione in divinum cultum divinasque res et animarum salutem incumbant, ac seipsos hostiam vivam et sanctam Domino exhibentes, et mortificationem Iesu in suo corpore semper circumferentes, puris manibus et mundo corde placationis Hostiam rite offerant Deo pro sua ac totius mundi salute.

10. Denique nihil Nobis gratius, venerabiles Fratres, quam hac etiam uti occasione, ut iterum testemur et confirmemus praecipuam, qua vos omnes in Domino prosequimur, benevolentiam; ac simul vobis addamus animos, ut maiore usque alacritate pergatis omnes gravissimi pastoralis vestri muneris partes strenue ac sedulo obire et intentissimo studio dilectarum ovium salutem incolumitatisque consulere.

11. Pro certo habete, Nos paratissimos esse ad ea omnia libentissime agenda, quae ad maiorem vestram ac dioecesium vestrarum utilitatem procurandam condicere posse noverimus. Interim vero coelestium omnium munerum auspem ac studiosissimae Nostrae in vos voluntatis testem accipite Apostolicam benedictionem, quam intimo cordis affectu vobis ipsis, venerabiles Fratres, cunctisque clericis laicisque fidelibus cuiusque vestrum vigilantiae commissis amantissime impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum die 3 Maii anno 1858, Pontificatus Nostri anno duodecimo.

XXI.

Card. Antonelli instructio ad omnes Archiepiscopos, Episcopos aliosque locorum Ordinarios, de dispensationibus super impedimento mixtae religionis quoad promiscua coniugia. — 15 Nov. 1858.

Etsi Sanctissimus Dominus Noster Pius IX Pontifex Maximus gravissimis causis impulsus aliquod immutandum esse censuerit in formula dispensationum, quae ab hac Apostolica Sede conceduntur ad mixta ineunda matrimonia, veluti Amplitudo Tua ex adiecta formula intelliget, tamen idem Summus Pontifex, de Universi Domini gregis salute, sibi divinitus commissa, vel maxime sollicitus, pro Apostolici Ministerii Sui munere non potest non summopere inculcare omnibus Archiepiscopis, Episcopis, aliisque Locorum Ordinariis, ut sanctissima Catholicae Ecclesiae de hisce Coniugiis documenta integra et inviolata religiosissime serventur. Omnes enim norunt, quid ipsa Catholica Ecclesia de huiusmodi Catholicos inter et A Catholicos nuptiis constanter senserit, cum illas semper improbaverit, ac tamquam illicitas, planeque perniciosas habuerit, tum ob flagitiosam in Divinis communionem, tum ob impendens catholico coniugi perversionis periculum, tum ob pravam sobolis institutionem. Atque huc omnino pertinent antiquissimi Canones ipsa mixta connubia severe interdicentes, ac recentiores Summorum Pontificum Sanctiones, de quibus Immortalis Memoriae Benedictus XIV loquitur in suis Encyclicis Litteris ad Poloniae Regni Episcopos, atque in celeberrimo opere, quod de Synodo Dioecessana inscribitur.

Hinc porro evenit, ut haec Apostolica Sedes, ad quam unice spectat potestas dispensandi super huiusmodi mixtae Religionis impedimento, si de Canonum severitate aliquid remittens, mixta haec Coniugia quandoque permiserit, id gravibus dumtaxat de causis aegre admodum fecit, et nonnisi sub expressa semper conditione de praemittendis necessariis, opportunisque cautionibus, ut scilicet non solum catholicus coniux ab acatholico perverti non posset, quin imo catholicus ipse coniux teneri se sciat ad acatholicum pro viribus ab errore retrahendum: verum etiam, ut universa utriusque sexus proles ex mixtis hisce matrimoniis procreanda in Sanctitate Catholicae Religionis educari omnino deberet. Quae quidem cautiones remitti seu dispensari nunquam possunt, cum in ipsa naturali ac divina lege fundentur, quam Ecclesia et haec Sancta Sedes sartam tectamque tueri omni studio contendit, et contra quam sine ullo dubio gravissime peccant, qui promiscuis hisce nuptiis temere contrahendis se, ac prolem exinde suscipiendam perversionis periculo committunt. Insuper in tribuendis huiusmodi dispensationibus praeter enunciatas cautiones, quae praemitti semper debent, et super quibus dispensari nullo modo unquam potest, adiectae quoque fuere conditiones, ut haec mixta Coniugia extra Ecclesiam, et absque Parochi benedictione ulloque alio ecclesiastico ritu celebrari debeant. Quae quidem conditiones eo potissimum spectant, ut in Catholicorum animis nunquam obliteretur memoria tum Canonum, qui istiusmodi mixta Matrimonia detestantur, tum constantissimi illius studii, quo Sancta Mater Ecclesia nunquam destitit filios suos avertere, ac detertere ab iisdem mixtis coniugiis in eorum, et futurae prolis perniciem contrahendis.

Iam vero, quod attinet ad praedictas condiciones, de his nempe mixtis nuptiis extra Ecclesiam, et sine Parochi benedictione alioque sacro ritu celebrandis, cum conditiones ipsae in plurimis similium dispensationum Rescriptis clare aperteque fuerint enunciate, in aliis vero permultis Rescriptis haud explicitè expressae, quamvis iisdem Rescriptis implicite continerentur, idcirco Sanctissimus Dominus Noster pro summa ac singulari sua prudentia hanc formularum varietatem de medio tollendam existimavit, ac iussit in posterum, unam eandemque formulam esse adhibendam ab omnibus Congregationibus, per quas haec Apostolica Sedes dispensationes super hoc mixtae religionis impedimento concedere solet. Itaque, rebus omnibus maturo examine perpensis, temporumque ratione habita, et iis consideratis, quae a pluribus Episcopis exposita fuere, atque in consilium adhibitis nonnullis S. R. E. Cardinalibus, idem Sanctissimus Dominus Noster constituit, in harum dispensationum concessione utendam esse formulam illius Rescripti, quo etiamsi conditiones praedictae de mixtis hisce coniugiis extra Ecclesiam, et absque Parochi benedictione, alioque ecclesiastico ritu celebrandis haud aperte declarantur, tamen implicite continentur. Ac Sanctitas Sua omnes Archiepiscopos, Episcopos, aliosque Locorum Ordinarios vehementer in Domino monet, hortatur, et excitat, eisque mandat, ut cum Ipsi in posterum huius Rescripti formula ab hac Sancta Sede obtinuerint facultatem dispensandi super impedimento mixtae religionis, in eadem facultate exsequenda nunquam desistant omni cura studioque advigilare, ut sedulo quoque impleantur conditiones de mixtis hisce Matrimoniis extra Ecclesiam, et absque Parochi benedictione, alioque ecclesia-

stico ritu celebrandis. Quod si in aliquibus Locis Sacrorum Antistites cognoverint easdem conditiones impleri haud posse, quin graviora exinde oriantur damna ac mala, in hoc casu tantum Sanctitas Sua ad huiusmodi maiora damna ac mala vitanda, prudenti eorumdem Sacrorum Antistitum arbitrio committit, ut ipsi, salvis, firmisque semper, ac perdiligenter servatis cautionibus de perversionis periculo amovendo a Coniuge Catholico, de conversione Acaholici Coniugis ab ipso Coniuge Catholico pro viribus procuranda, deque universa utriusque sexus prole in Sanctitate Catholicae Religionis omnino educanda, iudicent quando commemoratae conditiones de contrahendis mixtis hisce nuptiis extra Ecclesiam, et absque Parochi benedictione impleri minime possint, et quando in promiscuis hisce coniugiis ineundis tolerari queat mos adhibendi ritum pro Matrimonio contrahendis in Dioecesano Rituali legitime praescriptum, exclusa tamen semper Missae celebratione, ac diligentissime perpensis omnibus rerum, locorum, ac personarum adiunctis, atque onerata ipsorum Antistitum conscientia super omnium circumstantiarum veritate et gravitate. Summopere autem exoptat Sanctitas Sua ut iidem Sacrorum Antistites huiusmodi indulgentiam seu potius tolerantiam eorum arbitrio et conscientiae omnino commissam, maiori, quo fieri potest, silentio, ac secreto servent. Cum vero contingere possit, ut iidem Antistites nondum fuerint exequuti illa similibus dispensationum Rescripta, quae ipsis ante hanc Instructionem concessa fuere, idcirco ad omnes dubitationes amovendas Sanctitas Sua declarandum esse iussit, eosdem Antistites hanc Instructionem sequi debere in commemoratis exsequendis Rescriptis.

Nihil vero dubitat Sanctissimus Dominus Noster,

quin omnes Sacrorum Antistites ob spectatam eorum religionem, pietatem, et pastoralis muneris officium, pergant flagrantiori usque zelo Catholicos sibi creditos a mixtis hisce coniugiis avertere, eosque accurate edocere Catholicae Ecclesiae doctrinam, legesque ad eadem Coniugia pertinentes; atque eidem Sanctissimo Domino Nostro persuasissimum est, ipsos Sacrorum Antistites prae oculis semper habituros Litteras et Instructiones, quae a suis felicis recordationis Praecessoribus, ac praesertim a Pio VI^o, Pio VII^o, Pio VIII^o et Gregorio XVI^o de hoc gravissimo sane argumento, maximeque momenti negotio, ad plures Catholici Orbis Episcopos scriptae fuerunt.

Haec Amplitudini Tuae erant significanda iussu ipsius Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae IX, cui nihil potius, nihil antiquius est, quam ut Catholicae Ecclesiae doctrina ac disciplina ubique illibata custodiatur, ac servetur.

Datum Romae die 15 Novembris 1858. — I. Card. Antonelli.

¹ *Epist. ad Archiep. Mechliniensem, Episcoposque Belgii — Exequendo nunc — die 15 Iulii 1785.*

² *Epist. ad Archiep. Moguntinum — Elsi Fraternalitatis Tuae — die 8 Octobris 1803.*

³ *Epist. ad Archiep. Colonensem, et Episcopos Tyroren., Monasterien., et Paderbornen. — Litteris altero abhinc anno — die 23 Martii 1830. Instructio ad eundem Archiep. et Episcop. die 27 Martii 1830.*

⁴ *Epist. ad Archiep. et Episcop. Bavariae — Summo ingulter studio — die 27 Maii 1832. Instructio ad eundem die 12 Septembris 1834.*

⁵ *Epist. ad Archiep. et Episcop. Hungariae — Quas vero — die 30 Aprilis 1841. Instructio die 30 Aprilis 1841. Instructio ad Archiep. et Episcop. Austriae Ditionis in foederatis Germaniae partibus die 22 Maii 1841.*

XXII.

Litterae Card. Antonelli, ad Episcopos Americae meridionalis super scutatum detrahendum ex eleemosynis pro dispensationibus, et Americano Urbis Seminario attribuendum. — 15 April. 1862.

Optimum sane fuit SS^mi Domini Nostri consilium erigendi in hac Alma Urbe Seminarium, quo praestantioris ingenii iuvenes Americae Meridionalis, Centralis et Mexicanae Reipublicae recipiantur, et humanioribus litteris, nec non philosophicis sacrisque disciplinis instituantur. Tu ipse, Ill^me ac R^me Praesul, probe intelligis quantae utilitati futurum sit Ecclesiae et religioni in istis regionibus huiusmodi institutum, et merito spe teneris habendi in tempore presbyteros, qui et docendi munus in Tuae dioeceseos seminariis laudabiliter obeant, et ecclesiastica iudicia exerceant, et in eiusdem Dioecesis procuratore adiutricem operam Tibi praestent. Nosti autem quemadmodum Sanctitas Sua, licet maxima aeraii difficultate laborans, haud exigua pecuniae vim ad eiusdem Seminarii erectionem, alumnisque necessaria suppeditanda contulerit: et magno quoque eiusdem Seminarii incremento auxilio fuerit Ioseph Eyzaguirre, Antistes Domesticus Sanctitatis Suae, qui ad ipsum iuvandum curis ac laboribus, propriaeque fortunae non peperit. Verum cum necesse sit providere in posterum stabili aliqua ratione sumptibus, qui crescente alumnorum numero, augentur, quumque aequum sit conferri in hunc finem aliquam pecuniae summam ab omnibus dioeceseibus, quae ex dicti Seminarii insti-

tutione utilitatem percipient, SS^mus Dominus statuere dignatus est id effici debere hoc modo. In qualibet dispensatione, quae in Archidioeceseibus, Dioeceseibus, et Vicariatibus Apostolicis regionum Americae Meridionalis, Centralis, et reipublicae Mexicanae concedetur vi omnium facultatum Apostolicarum, sive quae solitae appellantur, sive quaecumque aliae ipsae sint, scutatum unum (peso fuerte) iuxta monetam cuiusque regionis accipietur ex eleemosynis, quae imponi solent fidelibus quibuscum dispensatur, et commemorato Seminario assignabitur favore alumnorum praedictarum regionum in eodem Seminario commorantium. Pecunia autem hac ratione collecta in peculiari arca asservabitur, custode Ordinario Dioeceseo, qui bis in anno, idest exeunte mense Iunii et Decembris, quidquid pecuniae collegerit Seminarii Procuratori in unaquaque Dioecesi vel Provincia ecclesiastica per Praelatum a SS^mo D^{no} Seminario praepositum deputando, Romam mittendum tradet, ac eodem tempore sive per Nuntium, aut Delegatum Apostolicum, sive eo non existente, per aliam personam ad id expresse destinatum, rationem reddet Sanctitati Suae pecuniae collectae ac iam traditae praedicto Procuratori; mittens quoque duplex exemplar syngraphae, quam ei de accepta pecunia idem procurator exhibuit. Omnibus autem summis hac ratione collectis dissolvetur aes alienum quo Seminarium in praesenti gravatur, et sumptibus uniuscuiusque anni satisfiet. Aere autem alieno dissoluto, et dictis sumptibus peractis, residua pecunia, siqua fuerit, per praedii emptionem, aut censum, aut alia tuta et convenienti ratione fructifera reddetur, eiusque reditu Seminarii proprio impensis eiusdem Seminarii occurretur. Quod si proventus, qui ex fundo praedicta ratione effor-

mando obvenerint, tales fuerint, ut deductis omnibus expensis quae totius anni decursu sunt necessariae, aliqua pecuniae summa supererit, haec impendetur admittendis et alendis gratuito in eodem Seminario iis Americae Meridionalis, Centralis, et Reipublicae Mexicanae adolescentibus, qui pauperes sint, et illis ornentur dotibus quas praerquiri debere iudicabitur.

Haec Tibi, Illm̄e ac Rm̄e Domine, significanda per me erant, atque interim obsequentis animi sensus Tibi ipsi ultro volensque profiteor.

Romae e Secretaria Status die 15 Aprilis anni 1862.

— Addictissimus Famulus — Iacobus Card. Antonelli.

XXIII.

S. Congregationis Concilii responsa nonnullis dubiis propositis ab Episcopo Aturensi. — 14 Aug. 1863.

DUBIA

1^m An presbyter titularis cuiusdam beneficii non amplius pendeat ab Episcopo, utpote titularis, ex eo quod professio fidei Pii IV quam legit, die institutionis, promissionem obedientiae Summo Pontifici tantum includat, nulla facta mentione obedientiae Episcopo?

2^m Nemo negat quod iurisdictio parochi sit ordinaria. At quando Brevia S. Poenitentiariae simpliciter ferunt ut recurrat orator ad proprium Ordinarium, an intelligenda sunt haec verba de parochio recipiente responsum vel Episcopo dioecesis?

3^m An potestates ab Episcopo concessae vicariis et capellanis quoad sacramentorum administrationem sint

nulla aut saltem dubia, nisi veniant a parochio aut eas ratas habeat?

4^m An possit Episcopus cogere parochum ad assumendum sibi unum aut plures vicarios, prout id necessarium iudicaverit?

5^m An nominatio vicariorum, a fortiori capellano- rum, prout res nunc se habent in Gallia et eorum stipendia componuntur, exclusive pertineat ad parochum?

6^m An invalidum sit matrimonium contractum coram presbytero ab Episcopo specialiter deputato, ob congruentem causam, v. g. quia ille presbyter est amicus aut propinquus alterutrius sponsorum, morose re- nuente parochio?

7^m An liceat Episcopo conferre sacramentum Con- firmationis in capella publica, nulla ratione habita pa- rochi petentis quo iure id faciat?

8^m An parochio liceat inquietare capellanos, imo et mulieres in communitate religiosa viventes, ex eo quod illi impleant et hae recipiant ministerium ab Episcopo demandatum sine approbatione et contra voluntatem parochi?

9^m An audienda sit ab Episcopo conquestio parochi de promiscuitate in petitione et administratione sacra- mentorum, quia confessiones audjuntur et sacra com- munitio datur in capellis publicis, servata tamen com- munionem paschali quae fit a parochianis in ecclesia parochiali?

10^m An in dictis capellis celebrare liceat unam aut alteram missam, sive lectam, sive cantatam de consensu Episcopi, diebus dominicis et festivis? — Porro Episcopus licentiam concedit ut servetur regula cuiusque communitatis, et ne tardius ieiuni remaneant infirmi,

senes, adolescentes, mulieres religiosae ad sacram synaxim accedentes.

11^m An pro his missis — n. 10 — convocacionem facere liceat, pulsatione campanae, invito parochio et approbante Episcopo?

12^m An cogendi sint ab Episcopo parochiani ut peccata confiteantur parochio vel eius vicariis nullamque audiant missam, nullam faciant communionem, nisi in ecclesia parochiali?

13^m An dies natalis Domini, expositio 40 horarum, hebdomada sancta, sint tam strictè de iuribus parochialibus, ut nihil valeat Episcopus statuere circa ea in favorem communitatum?

14^m An ius habeat parochus curare de brevitae aut de solemnitate officiorum quae fiunt ex ordinatione Episcopi in capellis publicis?

15^m An diminutio, si qua fiat, laboris etiam oblationum de qua queritur parochus ratione frequentationis capellarum publicarum, necessitatem imponat Episcopo eas interdicendi parochianis?

16^m An Episcopus cogere possit parochum, quando id facile posse fieri videt, ut recipiat in presbyterio et nutriat, aequo pretio soluto, vicarios suos, ne obligentur hi pensionem suam sumere in domibus et familiis ubi sunt puellae, domesticae iuniores, mulieres et alia varia pericula?

17^m An liceat Episcopo restituere in capella publica missam suppressam a parochio, quam fideles ab Episcopo repetunt, utpote valde utilem pro adimplentione praecepti, quando urget, audiendi missam?

18^m An unitas et adunatio moralis parochiae in eo consistat ut omnes fideles adeant nullam praeter parochialem Ecclesiam, pro recipiendis sacramentis et

adimplendis actibus pietatis qui non sunt de iuribus mere parochialibus?

19^m Baptismata sine dubio pertinent ad parochum; et revera omnes parochianorum infantes baptizantur a parochio in ecclesia parochiali. Quo concesso et non obstante; an expediat abrogare usum iam diu usurpatum, quo infantes expositi baptizantur in xenodochiis? Is autem mos ab omnibus Episcopis approbatur.

20^m An in communitatibus mulierum religiosarum possit Episcopus permittere capellano ministrare viaticum et extremam unctionem personis internis quae eum habent in vita confessorem, et cupiunt eum habere salvatorem in articulo mortis? Is mos ubique in Gallia viget.

21^m An diversi parochi ius habeant reclamare suos quisque parochianos, qui decedunt in hospitali ubi est capellanus, licentiam habens ab Episcopo tumulandi ibi defunctos? — Ea licentia generaliter ab Episcopis conceditur ad bonum regimen hospitalium, ut patet, nullo, nisi uno; parochio reclamante, et approbantibus administratoribus hospitalium, qui aliud fieri probabilius non sinerent.

22^m An funeralia exequiarum, quae fiunt a capellano, pertineant ad parochum loci ubi situm est hospitali, sive defuncti sint sui parochiani, sive aliorum?

23^m An ius habeat parochus exigendi taxam exequiarum quibus functus est capellanus hospitalis, quasi peractae fuerint ab ipso in ecclesia parochiali?

24^m An oblationes et eleemosynae quae de more antiquo fiunt in capellis communitatum debeantur parochio? Et quatenus negative.

25^m An parochus habeat ius sese ingerendi in administratione harum pecuniae collectarum?

Die 14 Augusti an. 1863.

Sacra Congregatio, inhaerens resolutionibus alias in similibus editis, perpensisque peculiaribus rerum adiunctis, propositis quaestionibus taliter respondendum censet:

Ad I. Quemlibet presbyterum, etiamsi titularem, seu possessorem beneficii cum cura animarum, pendere a proprio Episcopo, tamquam sibi subditum, idque virtute hierarchiae ecclesisticae divina ordinatione institutae iuxta cap. IV et cann. VI et VII sess. 23 Conc. Trid., et formalis promissionis obedientiae ac reverentiae in actu s. ordinationis editae.

Ad II. Intelligi de Episcopo dioecesis, vel eius vicario generali, numquam vero de parochio.

Ad III. Negative in omnibus.

Ad IV. Affirmative, ad tramitem tamen cap. IV, sess. 21 de reformat. Conc. Trid.

Ad V. De iure spectare ad parochum cum approbatione Episcopi: attentis vero peculiaribus circumstantiis, servandum esse usum in ceteris Galliarum dioecesibus obtinentem, usque dum aliter fuerit a S. Sede declaratum.

Ad VI. Esse validum: ceterum curandum ne ob leves quaslibet causas huiusmodi deputationes fiant; salvis semper favore parochi emolumentis, si quae matrimonii occasione dari soleant.

Ad VII. Affirmative.

Ad VIII. Negative.

Ad IX. Negative.

Ad X. Affirmative.

Ad XI. Affirmative.

Ad XII. Negative.

Ad XIII. Negative.

Ad XIV. Negative.

Ad XV. Negative.

Ad XVI. De iure hortari tantum posse.

Ad XVII. Affirmative.

Ad XVIII. Prout iacet, negative.

Ad XIX. Negative, dummodo adsint in xenodochiis capellani specialiter ad id deputati.

Ad XX. De iure non posse, nisi prius legitime declarata exemptione communitatis a iurisdictione parochi. Attentis vero peculiaribus circumstantiis, servandum esse usum in aliis Galliarum dioecesibus obtinentem, usque dum aliter fuerit a S. Sede statutum.

Ad XXI. Negative, quatenus hospitalis exemptus fuerit legitime declaratus a iurisdictione parochiali.

Ad XXII. Spectare ad proprium cuiusque defuncti parochum, nisi constet de exemptione, ut supra, hospitalis.

Ad XXIII. Affirmative, nisi constet, ut supra, de exemptione hospitalis.

Ad XXIV. Negative.

Ad XXV. Negative.

Die 17 Augusti 1863.

SSm̄us supra relatas resolutiones S. C. benigne adprobare ac confirmare dignatus est.

XXIV.

*Pii IX Litt. « Quum non sine » ad Archiepiscopum
Friburgensem in Brisgovia, circa Ecclesiae iura in
institutione et educatione inventutis; et de damnis et
periculis scholarum ab Ecclesiae vigilantia sancunda-
rum. — 14 Iulii 1864.*

Quum non sine maxima animi Nostri aegritudine ex pluribus nunciis accepimus, in magno isto Badensi Ducatu de novo popularium scholarum regimine parari ordinationes, quae variis modis christianam inventutis institutionem et educationem in magnum adducunt discrimen, propterea quod illas a salutari catholicae Ecclesiae magisterio ac vigilantia quotidie magis amoveant, nihil dubitavimus, quin Tu, Venerabilis Frater, pro eximio Tuo in animarum salute curanda studio, ac pro perspecta Tua in Ecclesiae libertate, eiusque iuribus tuendis constantia, fortiter iis omnibus obstiteres, quae vel minimum animarum saluti damnum afferre, vel quovis modo episcopalis Tui ministerii liberam auctoritatem coarctare possent. Quod autem pro certo habebamus, id luculenter confirmarunt Tuae Litterae super hoc tanti momenti negotio ad Nos datae, et commentarius eisdem adiectus. Ac vehementer laetamur, cum videamus, Te, Venerabilis Frater, licet aetate gravem, pro Ecclesia strenue pugnare eadem illa fortitudine, qua in episcopalis Tui ministerii decursu summopere praestitisti, ac Nostras, et huius Sanctae Sedis laudes merito, optimoque iure Tibi comparasti, Equidem inter maximas, quibus affligimur,

acerbitates, summa utimur consolatione, noscentes quomodo dives in misericordia Deus Sacrorum Antistites eo maiore divinae suae gratiae auxilio roboret ad Christi Iesu gregem tuendum, quo graviora in ipsum gregem luctuosissimis hisce temporibus damna inimicorum hominum opera irruunt et invadunt.

Nemo certe ignorare potest tristissimam ac deplorandam conditionem, in quam hodierna societas magis in dies prolabitur, derivare ex tot funestissimis machinationibus, quae adhibentur, ut a publicis Institutionibus, ac domesticis familiis quotidie magis sanctissima Christi fides, religio, eiusque salutaris doctrina amoveatur, et saluberrima eius vis coangustetur, ac praepediatur. Quae perniciosissimae machinationes ex tot pravis doctrinis necessario originem habent, quas hac miserrima nostra aetate cum maximo christianae civilisque republicae damno undique maiorem in modum invalescere, et caput altius extollere vehementer dolemus. Et sane, cum veritates a Deo revelatae impudenter denegentur, vel humanae rationis examini subiiciantur, evenit, ut illa naturalium rerum plane tollatur subiectio, quae supernaturali ordini omnino debetur, utque homines ab aeterno suo fine arceantur, eorumque cogitationes actionesque ad materialium, fugaciumque huius mundi rerum limites redigantur. Et quoniam Ecclesia, quae columna et firmamentum veritatis a Divino suo Auctore fuit constituta, ut omnes homines divinam edoceat fidem, eiusque depositum sibi traditum integrum inviolatumque custodiat, ac homines, eorumque consortia et actiones ad morum honestatem, vitaeque integritatem iuxta revelatae doctrinae normam dirigat et fingat, idcirco pravarium doctrinarum fautores et propagatores omnia conantur,

ut ecclesiasticam potestatem sua erga humanam societatem auctoritate spolient. Quamobrem nihil intentatum, nihilque inexpertum relinquunt, ut omnem Ecclesiae potestatem, eiusque salutarem vim, quam ipsa Ecclesia ex divina sua institutione semper exercuit, et in humanae societatis Instituta exercere debet, vel magis in dies coarctent, vel ab eisdem Institutis arceant et ipsa Instituta pleno civilis politicaeque auctoritatis arbitrio subiciant ad imperantium placita, et ad volubilitatem aetatis opinionum rationem.

Nihil vero mirum si huiusmodi funestissimi sane conatus in publicam iuventutis institutionem educationemque in primis comparentur, nihilque dubitandum, quin humana societas gravissimis repleatur et vexetur damnis, ubi a publica et privata iuventutis institutione, qua rei cum sacrae, tum publicae felicitas tantopere continetur, fuerit moderatrix Ecclesiae auctoritas, eiusque salutifera vis amota. Hoc enim modo humana societas vero illo christiano spiritu sensim privatur, qui unus potest et publici ordinis tranquillitatisque fundamenta stabiliter servare, ac verum utilemque civilitatis progressum efficere ac moderari, et ea omnia hominibus praebere subsidia, quae ad ultimum suum post mortalis huiusce vitae stationem finem assequendum, scilicet ad aeternam salutem obtinendam sunt necessaria. Et sane institutio, quae non solum rerum dumtaxat naturalium scientiam, ac terrenae socialis vitae fines spectat, verum etiam a veritatibus a Deo revelatis decedit, in erroris, mendacisque spiritum prolabatur oportet, et educatio, quae sine christianae doctrinae morumque disciplinae auxilio teneras adolescentium mentes, eorumque cerea in vitium flecti corda informat, non potest non parere progeniem, quae

pravis cupiditatibus propriisque rationibus tantum per-mota et impulsu, maximas tum privatis familiis, tum reipublicae affert calamitates.

At vero cum huiusmodi perniciosissima docendi ratio seiuncta a catholica fide et ab Ecclesiae potestate maximo sit hominibus et societati damno, dum agitur de litteris severioribusque disciplinis tradendis ac de educatione curanda in scholis publicisque Institutis, quae honestioribus societatis classibus sunt destinata, equis non videt, multo graviora mala et damna ex hac methodo derivare, si eadem in populares inducatur scholas? Etenim in hisce potissimum scholis omnes cuiusque e populo classis pueri vel a teneris annis sanctissimae nostrae Religionis mysteriis, ac praeeptionibus sedulo sunt erudiendi, et ad pietatem, morumque honestatem, et ad religionem, civilemque vivendi rationem accurate formandi. Atque in eisdem scholis religiosa praesertim doctrina ita primum in institutione et educatione locum habere ac dominari debet, ut aliarum cognitiones, quibus iuventus ibi imbuatur, veluti adventiciae appareant. Quapropter iuventus maximis exponitur periculis, nisi eius in memoratis scholis institutio aretissimo cum religiosa doctrina vinculo consocietur. Cum igitur populares scholae ad populum religiose formandum, eiusque pietatem et christianam morum disciplinam fovendam sint praesertim statutae, idcirco omnem Ecclesiae curam, sollicitudinem, et vigilantiam praee ceteris educationis Institutis sibi merito, atque optimo iure semper vindicant. Ac propterea consilia, conatusque arcendi in popularibus scholis Ecclesiae potestatem proficiscuntur: ex animo eidem Ecclesiae summopere adverso, atque ex studio extinguendi in populis divinum sanctissimae

fidei nostrae lumen. Quocirca Ecclesia, quae easdem fundavit scholas, summa cura studioque eas semper est prosequuta, illasque veluti potiorem ecclesiasticae suae auctoritatis ac regiminis partem consideravit, et quaecumque earum ab Ecclesia seiunctio maximum eidem Ecclesiae, ipsisque scholis affert detrimentum. Si autem omnes, qui perperam contendunt, Ecclesiam debere salutarem suam moderatricem vim erga populares scholas, deponere, aut intermittere, iidem nihil aliud profecto vellent, quam ut Ecclesia contra divini sui Auctoris mandata ageret, et gravissimo officio curandi omnium hominum salutem, sibi divinitus commisso, deesset. Certe quidem ubi in quibusque locis regionibusque perniciosissimum huiusmodi vel susceperetur, vel ad exitum perduceretur, consilium expellendi a scholis Ecclesiae auctoritatem, et iuventus misere exponeretur damno circa fidem, tunc Ecclesia non solum deberet intentissimo studio omnia conari, nullisque curis unquam parcere, ut eadem iuventus necessariam christianam institutionem et educationem habeat, verum etiam cogeretur omnes fideles monere, disque declarare, eiusmodi scholas catholicae Ecclesiae adversas haud posse in conscientia frequentari.

Tibi autem, Venerabilis Frater, sumnoperè gratulamur, quod catholicae Ecclesiae doctrinae quoad iuventutis institutionem educationemque firmiter inhaerens, Tuo commentario omnibus opinionibus ordinationibusque sapienter et constanter obstitisti, quae ab isto Magno Badarum Ducatu propositae fuere circa popularium scholarum reformationem, quaeque maximam christianae educationi perniciem afferunt, et veneranda Ecclesiae in tanto negotio iura omnino destruunt. Ac persuasissimum Nobis est, Te nihil unquam

inexpertum esse relicturum, ut eiusdem Ecclesiae iura impavide defendas, utque ab adolescentium institutione et educatione diligentissime removeas quidquid fidei firmitatem vel leviter turbare, labefactare, aut religiosam eorumdem conscientiam corrumpere, morumque honestatem contaminare possit, quae unice a fide nostra sanctissima producitur, alitur, et augetur. Summa vero afficimur consolatione, cum istius Tuae Diocesis Clerus, suae vocationis et officii probe memor, una Tecum suam omnem in Ecclesiae, eiusque catholici populi iuribus tutandis operam impendat. Nec minori gaudio perfundimur, proptereaquod iste fidelis populus, optime sentiens de catholica suae prolis educatione, nihil antiquius habeat, quam ut eadem proles omnino instituatur in scholis, quae a catholica dirigantur Ecclesia. Jam vero levantes oculos Nostros ad Dominum Deum Nostrum, ab Ipso humiliter enixeque exposcimus, ut in abundantiam divinae suae gratiae Tibi, Venerabilis Frater, et isti Clero populoque fideli semper propitius adesse velit, quo omnes caelesti ope roborati pro Ecclesiae suae sanctae causa sub Tuo ductu strenue dimicare pergant. Atque superni huius praesidii auspicio, et peculiaris, qua Te in Domino complectimur, benevolentiae pignus, Apostolicam Benedictionem ex intimo corde profectam Tibi ipsi, Venerabilis Frater, cunctisque Clericis laicisque fidelibus Tuae vigilantiae concreditis peramanter impertimus. ®

Datum Romae apud Sanctum Petrum die 14 Iulii Anno 1864. Pontificatus Nostri anno decimonono.

XXV.

*Pii IX Encyclicæ « Quanta cura » de præcipuis
nostri temporis erroribus. — 8 Dec. 1864.*

Quanta cura ac pastorali vigilantia Romani Pontifices, Prædecessores Nostri exsequentes demandatum sibi ab ipso Christo Domino in persona Beatissimi Petri Apostolorum Principis officium, munusque pascendi agnos et oves, nunquam intermiserint universum Dominicum gregem sedulo enutrire verbis fidei, ac salutari doctrina imbuiere, eumque ab venenatis pasuis arcere, omnibus quidem ac Vobis præsertim compertum exploratumque est, Venerabiles Fratres. Et sane iidem Decessores Nostri augustæ catholicæ religionis, veritatis ac iustitiæ assertores et vindicæ, de animarum salute maxime solliciti, nihil potius unquam habuere, quam sapientissimis suis Litteris et Constitutionibus reterege et damnare omnes hæreses et errores qui Divinæ Fidei nostræ, catholicæ Ecclesiæ doctrinæ, morum honestati, ac sempiternæ hominum salutis adversi, graves frequenter excitantur tempestates, et christianam civilemque rempublicam miserandum in modum funestarent. Quocirca iidem Decessores Nostri Apostolica fortitudine continenter obstiterunt nefariis iniquorum hominum molitionibus, qui despumantes tanquam fluctus feri maris confusiones suas, ac libertatem promittentes, cum servi sint corruptionis, fallacibus suis opinionibus et perniciosissimis scriptis, catholicæ religionis civilisque societatis fundamenta convellere, omnemque virtutem ac iustitiam de medio tollere, omniumque

animos mentesque depravare, et incautos imperitamque præsertim iuventutem a recta morum disciplina avertere, eamque miserabiliter corrumpere, in erroris laqueos inducere, ac tandem ab Ecclesiæ catholicæ sinu avellere conati sunt.

Iam vero, uti Vobis, Venerabiles Fratres, apprime notum est, Nos vix dum arcano divinæ providentiæ consilio, nullis certe Nostris meritis, ad hanc Petri Cathedram evecti fuimus, cum videremus summo animi Nostri dolore horribilem sane procellam tot pravis opinionibus excitatam, et gravissima ac nunquam satis lugenda damna, quæ in christianum populum ex tot erroribus redundant, pro Apostolici Nostri Ministerii officio, illustria Prædecessorum Nostrorum vestigia sectantes, Nostram extulimus vocem, ac pluribus in vulgus editis Encyclicis Epistolis et Allocutionibus in Consistorio habitis, aliisque Apostolicis Litteris præcipuos tristissimæ nostræ ætatis errores damnavimus, eximiamque vestram episcopalem vigilantiam excitavimus, et universos catholicæ Ecclesiæ Nobis carissimos filios etiam atque etiam monuimus et exhortati sumus, ut tam diræ contagia pestis omnino horrerent et devitarent. Ac præsertim Nostra prima Encyclicæ Epistola die 9 novembris anno 1846 Vobis scripta, binisque Allocutionibus, quarum altera die 9 decembris anno 1854, altera vero 9 iunii anno 1862 in Consistorio a Nobis habita fuit, monstruosa opinionum portenta damnavimus, quæ hæc potissimum ætate cum maximo animarum damno, et civilis ipsius societatis detrimento dominantur, quæque non solum catholicæ Ecclesiæ, eiusque salutari doctrinæ ac venerandis iuribus, verum etiam sempiternæ naturali legi a Deo in omnium cordibus insculptæ rectæque rationi maxime adversantur,

et ex quibus alii prope omnes originem habent errores.

Etsi autem haud omiserimus potissimos huiusmodi errores saepe proscribere et reprobare, tamen catholicae Ecclesiae causa, animarumque salus Nobis divinitus commissa, atque ipsius humanae societatis bonum omnino postulant, ut iterum pastorem vestram sollicitudinem excitemus ad alias pravas profligandas opiniones, quae ex eisdem erroribus, veluti ex fontibus erumpunt. Quae falsae ac perversae opiniones eo magis detestandae sunt, quod eo potissimum spectant, ut impediatur et amoveatur salutaris illa vis, quam catholica Ecclesia ex divini sui Auctoris institutione et mandato libere exercere debet usque ad consummationem saeculi, non minus erga singulos homines, quam erga nationes, populos, summosque eorum Principes, utque de medio tollatur mutua illa inter Sacerdotium et Imperium consiliorum societas et concordia, quae rei cum sacrae tum civili fausta semper extitit ac salutaris¹. Etenim probe noscitis, Venerabiles Fratres, hoc tempore non paucos reperiri, qui civili consortio impium absurdumque *naturalismi*, uti vocant, principium applicantes audent docere, « optimam societatis publicae rationem, civilemque progressum omnino requirere, ut humana societas constituatur et gubernetur, nullo habito ad religionem respectu, ac si ea non existeret, vel saltem nullo facto veram inter falsasque religiones discrimine ». Atque contra sacrarum Litterarum, Ecclesiae, sanctorumque Patrum doctrinam, asserere non dubitant, « optimam esse conditionem societatis, in qua Imperio non agnoscitur officium coercendi sanctis poenis vio-

¹ Gregorii XVI epist. encycl. *Mirari*, 15 Augusti 1832.

latores catholicae religionis, nisi quatenus pax publica postulet ». Ex qua omnino falsa socialis regiminis idea haud timent erroneam illam fovere opinionem catholicae Ecclesiae animarumque saluti maxime exitialem, a rec. mem. Gregorio XVI Praedecessore Nostro *deltamentum* appellatam¹, nimirum « libertatem conscientiae et cultuum esse proprium cuiuscumque hominis ius, quod lege proclamari, et asserti debet in omni recte constituta societate, et ius civibus inesse ad omnimodam libertatem nulla vel ecclesiastica, vel civili auctoritate coarctandam, quo suos conceptus quoscumque sive voce, sive typis, sive alia ratione palam publiceque manifestare ac declarare valeant ». Dum vero id temere affirmant, haud cogitant et considerant, quod *libertatem perditionis*² praedicant, et quod « si humanis « persuasionibus semper disceptare sit liberum, nunquam deesse poterunt, qui veritati audeant resultare, « et de humanae sapientiae loquacitate confidere, cum « hanc nocentissimam vanitatem quantum debeat fides « et sapientia christiana vitare, ex ipsa Domini Nostri « Iesu Christi institutione cognoscat »³.

Et quoniam ubi a civili societate fuit amota religio, ac repudiata divinae revelationis doctrina et auctoritas, vel ipsa germana iustitiae humanique iuris notio tenebris obscuratur et amittitur, atque in verae iustitiae legitimique iuris locum materialis substituitur vis, inde liquet cur nonnulli, certissimis sanae rationis principiis penitus neglectis posthabitisque, audeant conclamare, « voluntatem populi, publica, quam dicunt, opinione vel alia ratione manifestatam, constituere supremam

¹ Eadem encycl. *Mirari*.

² S. August. epist. 105, al. 166.

³ S. Leo epist. 14, al. 153, § 2, edit. Ball.

legem ab omni divino humanoque iure solutam, et in ordine politico facta consummata, eo ipso quod consummata sunt, vim iuris habere». Verum equis non videt, planeque sentit, hominum societatem religionis ac verae iustitiae vinculis solutam nullum aliud profecto propositum habere posse, nisi scopum comparandi, cumulandique opes, nullamque aliam in suis actionibus legem sequi, nisi indomitam animi cupiditatem inserviendi propriis voluptatibus et commodis? Eapropter huiusmodi homines acerbo sane odio insectantur Religiosas Familias, quamvis de re christiana, civili, ac litteraria summopere meritas, et blaterant, easdem nullam habere legitimam existendi rationem, atque ita haereticorum commentis plaudunt. Nam, ut sapientissime rec. mem. Pius VI Decessor noster docebat, « regularium abolitio laedit statum publicae professionis consiliorum evangelicorum, laedit vivendi rationem in Ecclesia commendatam tamquam Apostolicae doctrinae consentaneam, laedit ipsos insignes fundatores, quos super altaribus veneramus, qui non nisi a Deo inspirati eas constituerunt societates »¹. Atque etiam impie pronuntiant, auferendam esse civibus et Ecclesiae facultatem « qua eleemosynas christianae charitatis causa palam erogare valeant », ac de medio tollendam legem « qua certis aliquibus diebus opera servilia propter Dei cultum prohibentur », fallacissime praetextentes, commemoratam facultatem et legem optimaе publicae oeconomiae principiis obsistere. Neque contenti amovere religionem a publica societate, volunt religionem ipsam a privatis etiam arcere familiis. Etenim, funestissimum *Communismi* et *Socialismi*

¹ Epist. ad card. de la Rochefoucault, 10 martii 1791.

docentes ac profitentes errorem, asserunt « societatem domesticam seu familiam totam suae existitiae rationem a iure dumtaxat civili mutuari; proindeque ex lege tantum civili dimanare ac pendere iura omnia parentum in filios, cum primis vero, ius institutionis educationisque curandae ». Quibus impiis opinionibus machinationibusque in id praecipue intendunt fallacissimi isti homines, ut salutifera catholicae Ecclesiae doctrina ac vis a iuventutis institutione et educatione prorsus eliminetur, ac teneri flexibilesque iuvenum animi perniciosis quibusque erroribus, vitiisque misere inficiantur ac depraventur. Siquidem omnes, qui rem tum sacram, tum publicam perturbare, ac rectum societatis ordinem evertere, et iura omnia divina et humana delere sunt conati, omnia nefaria sua consilia, studia, et operam, in improvidam praesertim iuventutem decipiendam ac depravandam, ut supra inuimus, semper contulerunt, omnemque spem in ipsius iuventutis corruptela collocarunt. Quocirca nunquam cessant utrumque Clerum, ex quo, veluti certissima historiae monumenta splendide testantur, tot magna in christianam, civilem, et litterariam rempublicam commoda redundarunt, quibuscumque infandis modis divexare; et edicere ipsum Clerum, « utpote vero utilique scientiae et civilitatis progressui inimicum, ab omni iuventutis instituendae educandaeque cura et officio esse amovendum ».

At vero alii, instaurantes prava ac toties damnata novatorum commenta, insigni impudentia audent Ecclesiae et huius Apostolicae Sedis supremam auctoritatem, a Christo Domino ei tributam, civilis auctoritatis arbitrio subicere, et omnia eiusdem Ecclesiae et Sedis iura denegare circa ea quae ad exteriorem ordinem per-

tinent. Namque ipsos minime pudet affirmare « Ecclesiae leges non obligare in conscientia, nisi cum promulgantur a civili potestate; acta et decreta Romanorum Pontificum ad religionem et Ecclesiam spectantia indigere sanctione et approbatione, vel minimum assensu potestatis civilis; Constitutiones Apostolicas¹, quibus damnantur clandestinae societates, sive in eis exigatur sive non exigatur iuramentum de secreto servando, earumque asseclae et fautores anathemate mulctantur, nullam habere vim in illis orbis regionibus ubi eiusmodi aggregationes tolerantur a civili Gubernio; excommunicationem a Concilio Tridentino et Romanis Pontificibus latam in eos, qui iura possessionesque Ecclesiae invadunt, et usurpant, niti confusione ordinis spiritualis ordinisque civilis ac politici ad mundanum dumtaxat bonum prosequendum; Ecclesiam nihil debere decernere, quod obstringere possit fidelium conscientias in ordine ad usum rerum temporalium; Ecclesiae ius non competere violatores legum suarum poenis temporalibus coercendi; conforme esse sacrae theologiae, iurisque publici principis, bonorum proprietatem, quae ab Ecclesiis, a Familiis religiosis, aliisque locis piis possidentur, civili Gubernio asserere, et vindicare ». Neque erubescunt palam publiceque profiteri haeticorum effatum et principium, ex quo tot perversae oriuntur sententiae atque errores. Dicitant enim « Ecclesiasticam potestatem non esse iure divino distinctam et independentem a potestate civili, neque eiusmodi distinctionem et independentiam servari posse, quin ab Ecclesia invadantur et usurpentur essentialia iura potestatis civilis ». Atque silentio praeterire non possumus eorum audaciam, qui

¹ Clementis XII, *In eminenti*; Benedicti XIV, *Providas Romanorum*; Pii VII, *Eccelesiam*; Leonis XII, *Quo graviora*.

sanam non sustinentes doctrinam contendunt « illis Apostolicae Sedis iudiciis et decretis, quorum obiectum ad bonum generale Ecclesiae, eiusdemque iura, ac disciplinam spectare declaratur, dummodo fidei morumque dogmata non attingat, posse assensum et obedientiam detrectari, et absque peccato, et absque ulla catholicae professionis iactura ». Quod quidem quantopere adversetur catholico dogmati plenae potestatis Romano Pontifici ab ipso Christo Domino divinitus collatae universalem pascendi, regendi, et gubernandi Ecclesiam, nemo est qui non clare aperteque videat et intelligat.

In tanta igitur depravatum opinionum perversitate. Nos Apostolici Nostri officii probe memores, ac de sanctissima nostra religione, de sana doctrina et animarum salute Nobis divinitus commissa, ac de ipsius humanae societatis bono maxime solliciti, Apostolicam Nostram vocem iterum extollere existimavimus. Itaque omnes et singulas pravas opiniones ac doctrinas, singillatim hisce Litteris commemoratas, auctoritate Nostra Apostolica reprobamus, proscribimus atque damnamus; easque ab omnibus catholicae Ecclesiae filiis veluti reprobatas, proscriptas atque damnatas omnino haberi volumus et mandamus.

Ac praeter ea, optime scitis, Venerabiles Fratres, hisce temporibus omnis veritatis iustitiaeque osores, et acerrimos nostrae religionis hostes, per pestiferos libros, libellos, et ephemerides toto terrarum orbe dispersas populis illudentes, ac malitiose mentientes, alias impias quasque disseminare doctrinas. Neque ignoratis, hac etiam nostra aetate, nonnullos reperiri, qui, satanae spiritu permoti et incitati, eo impietatis devencrunt, ut Dominatorem Dominum nostrum Iesum Chri-

stum negare, eiusque Divinitatem scelerata proacitate oppugnare non paveant. Hic vero haud possumus, quin maximis meritisque laudibus Vos efferamus, Venerabiles Fratres, qui episcopalem vestram vocem contra tantam impietatem omni zelo attollere minime omisistis.

Itaque hisce Nostris Litteris Vos iterum amantissime alloquimur, qui in sollicitudinis Nostrae partem vocati summo Nobis inter maximas Nostras acerbitates solatio, laetitiae et consolationi estis propter egregiam qua praestatis religionem, pietatem, ac propter mirum illum amorem, fidem et observantiam, qua Nobis et huic Apostolicae Sedi concordissimis animis obstricti gravissimum episcopale vestrum ministerium strenue ac sedulo implere contenditis. Etenim ab eximio vestro pastorali zelo expectamus, ut assumentes gladium spiritus, quod est verbum Dei, et confortati in gratia Domini Nostri Iesu Christi velitis ingeminatis studiis quotidie magis prospicere, ut fideles curae vestrae concediti « abstineant ab herbis noxiis, quas Iesus Christus non colit, quia non sunt plantatio Patris »¹. Atque eisdem fidelibus inculcare nunquam desinite, omnem veram felicitatem in homines ex augusta nostra religione eiusque doctrina et exercitio redundare, ac beatum esse populum, cuius Dominus Deus eius². Docete « catholicae Fidei fundamento regna subsistere »³, et « nihil tam mortiferum, tam praeceps ad casum, tam « expositum ad omnia pericula, si hoc solum nobis « putantes posse sufficere, quod liberum arbitrium, cum « nasceremur, accepimus, ultra iam a Domino nihil « quaeramus, idest, auctoris nostri obliti, eius poten-

¹ S. Ignatius mart. ad Philadelph. 3.

² Psal. 145.

³ S. Caelest. epist. 22, ad synod. Ephes. apud Coust. pag. 7200

« tiam, ut nos ostendamus liberos, abiuremus »¹. Atque « etiam ne omittatis docere regiam potestatem non ad « solum mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiae prae- « sidium esse collatam »²; et nihil esse quod civitatum « Principibus et Regibus maiori fructui gloriaeque esse « possit, quam si, ut sapientissimus fortissimusque alter « Praedecessor Noster S. Felix Zenoni Imperatori per- « scribebat, Ecclesiam catholicam... sinant uti legibus « suis, nec libertati eius quemquam permittant obsi- « stere.... Certum est enim, hoc rebus suis esse salu- « tare, ut, cum de causis Dei agatur, iuxta ipsius « constitutum regiam voluntatem Sacerdotibus Christi « studeant subdere, non praeferre »³.

Sed si semper, Venerabiles Fratres, nunc potissimum in tantis Ecclesiae civilisque societatis calamitatibus, in tanta adversariorum contra rem catholicam et hanc Apostolicam Sedem conspiratione, tantaque errorum congerie, necesse omnino est, ut aedemus cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Quocirca omnium fidelium pietatem excitare existimavimus, ut una Nobiscum Vobisque clementissimum lumen et misericordiarum Patrem ferventissimis humillimisque precibus sine intermissione orent et obsecrent, et plenitudine fidei semper contugiant ad Dominum Nostrum Iesum Christum, qui redemit nos Deo in sanguine suo. Eiusque dulcissimum Cor flagrantissimae erga nos charitatis victimam enixe iugiterque exorent, ut amoris sui vinculis omnia ad seipsum trahat, utque omnes homines sanctissimo suo amore inflammati secundum Cor Eius

¹ S. Innoc. I epist. 29, ad Episc. conc. Carthag., apud Coust. p. 897.

² S. Leo, epist. 156, al. 125.

³ Phil. VII. epist. encycl. *Dieu salutis*, 75 Mali 1800.

ambulent digne Deo per omnia placentes, in omni bono opere fructificantes. Cum autem sine dubio gratiores sint Deo hominum preces, si animis ab omni labe puris ad ipsum accedant, ideo caelestes Ecclesiae thesauros dispensationi Nostrae commissos Christifidelibus Apostolica liberalitate reserare censuimus, ut iidem fideles ad veram pietatem vehementius incensi, ac per Poenitentiae Sacramentum a peccatorum maculis expiati, fidentius suas preces ad Deum effundant, eiusque misericordiam et gratiam consequantur.

Hisce igitur Litteris, auctoritate Nostra Apostolica, omnibus et singulis utriusque sexus catholici orbis fidelibus Plenariam Indulgentiam ad instar Iubilaei concedimus intra unius tantum mensis spatium usque ad totum futurum annum 1865 et non ultra, a Vobis, Venerabiles Fratres, aliisque legitimis locorum Ordinariis statuendum, eodem prorsus modo et forma, qua ab initio supremi Nostri Pontificatus concessimus per Apostolicas Nostras Litteras in forma Brevis die 20 mensis novembris anno 1846 datas, et ad universum episcopalem vestrum Ordinem missas, quarum initium « Arcano Divinae Providentiae consilio », et cum omnibus eisdem facultatibus, quae per ipsas Litteras a Nobis datae fuerunt. Volumus tamen, ut ea omnia serventur, quae in commemoratis Litteris praescripta sunt, et ea excipiantur, quae excepta esse declaravimus. Atque id concedimus, non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque, etiam speciali et individua mentione ac derogatione dignis. Ut autem omnis dubitatio et difficultas amoveatur, earundem Litterarum exemplar ad Vos perferri iussimus.

« Rogemus, Venerabiles Fratres, de intimo corde et de tota mente misericordiam Dei, quia et ipse

« addidit dicens: Misericordiam autem meam non dispergam ab eis. Petamus et accipimus, et si accipiendi « mora et tarditas fuerit, quoniam graviter offendimus, « pulsemus, quia et pulsanti aperiatur, si modo pulsent ostium preces, gemitus et lacrymae nostrae, quibus insistere et immorari oportet, et si sit unanimitas « oratio... unusquisque oret Deum non pro se tantum, « sed pro omnibus fratribus, sicut Dominus orare nos « docuit »¹. Quo vero facilius Deus Nostris, Vestrisque, et omnium fidelium precibus votisque annuat, cum omni fiducia deprecatricem apud Eum adhibeamus Immaculatam sanctissimamque Deiparam Virginem Mariam, quae cunctas haereses interemit in universo mundo, quaeque omnium nostrum amatissima Mater « tota sua « vis est... ac plena misericordiae,... omnibus sese « exorabilem, omnibus clementissimam praebet, omnium « necessitates amplissimo quodam miseratur affectu »², atque utpote Regina adstant a dextris Unigeniti Filii sui Domini Nostri Iesu Christi in vestitu deaurato, circumamicta varietate, nihil est, quod ab Eo impetrare non valeat. Suffragia quoque petamus Beatissimi Petri Apostolorum Principis, et Coapostoli eius Pauli, omniumque Sanctorum Caelitum, qui facti iam amici Dei pervenerunt ad caelestia regna, et coronati possident palmam, ac de sua immortalitate securi, de nostra sunt salute solliciti.

Denique caelestium omnium donorum copiam Vobis a Deo ex animo adprecantes singularis Nostrae in Vos charitatis pignus Apostolicam Benedictionem ex intimo corde profectam Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, cun-

¹ S. Cyprian. epist. 11.

² S. Bernard. serm. de duodecim praerogativis B. Mariae Virg. ex verbis Apocalypsis.

ctisque Clericis, Laicisque fidelibus curae vestrae commissis peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die VIII Decembris anno 1864, decimo a Dogmatica Definitione Immaculatae Conceptionis Deiparae Virginis Mariae, Pontificatus Nostri Anno Decimonono. — Pius PP. IX.

XXXVI.

Syllabus complectens praecipuos nostrae aelatis errores, qui notantur in allocutionibus consistorialibus, in encyclicis aliisque apostolicis litteris Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae IX. — 8 Dec. 1864.

§ I.

Pantheismus, Naturalismus et Rationalismus absolutus.

I. Nullum supremum, sapientissimum, providentissimumque Numen divinum existit ab hac rerum universitate distinctum, et Deus idem est ac rerum natura, et ideoque immutationibus obnoxius, Deusque reapse fit in homine et mundo, atque omnia Deus sunt et ipsissimam Dei habent substantiam; ac una eademque res est Deus cum mundo, et proinde spiritus cum materia, necessitas cum libertate, verum cum falso, bonum cum malo, et iustum cum iniusto.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 iunii 1862.

II. Neganda est omnis Dei actio in homines et mundum.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 iunii 1862.

III. Humana ratio, nullo prorsus Dei respectu habito, unicus est veri et falsi, boni et mali arbiter, sibi ipsi est lex et naturalibus suis viribus ad hominum ac populorum bonum curandum sufficit.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 iunii 1862.

IV. Omnes religionis veritates ex nativa humanae rationis vi derivant; hinc ratio est princeps norma qua homo cognitionem omnium cuiuscumque generis veritatum assequi possit ac debeat.

Epist. Encycl. *Qui pluribus*, 9 novembris 1846.

Epist. Encycl. *Singularis quidem*, 17 martii 1856.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 iunii 1862.

V. Divina revelatio est imperfecta, et ideoque subiecta continuo et indefinito progressui qui humanae rationis progressioni respondeat.

Epist. Encycl. *Qui pluribus*, 9 novembris 1846.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 iunii 1862.

VI. Christi fides humanae refragatur rationi; divinaque revelatio non solum nihil prodest, verum etiam nocet hominis perfectioni.

Epist. Encycl. *Qui pluribus*, 9 novembris 1846.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 iunii 1862.

VII. Prophetiae, et miracula, in sacris Litteris exposita et narrata, sunt poetarum commenta, et christianae fidei mysteria philosophicarum investigationum summa; et utriusque Testamenti libris mythica continentur inventa; ipseque Iesus Christus est mythica fictio.

Epist. Encycl. *Qui pluribus*, 9 novembris 1846.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 iunii 1862.

§ II.

Rationalismus moderatus.

VIII. Quum ratio humana ipsi religioni aequiparetur, ideoque theologicae disciplinae perinde ac philosophicae tractandae sunt.

Alloc. *Singulari quadam perfusi*, 9 decemb. 1854.

IX. Omnia indiscriminatim dogmata religionis christianae sunt obiectum naturalis scientiae seu philoso-

ctisque Clericis, Laicisque fidelibus curae vestrae commissis peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die VIII Decembris anno 1864, decimo a Dogmatica Definitione Immaculatae Conceptionis Deiparae Virginis Mariae, Pontificatus Nostri Anno Decimonono. — Pius PP. IX.

XXXVI.

Syllabus complectens praecipuos nostrae aelatis errores, qui notantur in allocutionibus consistorialibus, in encyclicis aliisque apostolicis litteris Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae IX. — 8 Dec. 1864.

§ I.

Pantheismus, Naturalismus et Rationalismus absolutus.

I. Nullum supremum, sapientissimum, providentissimumque Numen divinum existit ab hac rerum universitate distinctum, et Deus idem est ac rerum natura, et ideoque immutationibus obnoxius, Deusque reapse fit in homine et mundo, atque omnia Deus sunt et ipsissimam Dei habent substantiam; ac una eademque res est Deus cum mundo, et proinde spiritus cum materia, necessitas cum libertate, verum cum falso, bonum cum malo, et iustum cum iniusto.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 iunii 1862.

II. Neganda est omnis Dei actio in homines et mundum.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 iunii 1862.

III. Humana ratio, nullo prorsus Dei respectu habito, unicus est veri et falsi, boni et mali arbiter, sibi ipsi est lex et naturalibus suis viribus ad hominum ac populorum bonum curandum sufficit.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 iunii 1862.

IV. Omnes religionis veritates ex nativa humanae rationis vi derivant; hinc ratio est princeps norma qua homo cognitionem omnium cuiuscumque generis veritatum assequi possit ac debeat.

Epist. Encycl. *Qui pluribus*, 9 novembris 1846.

Epist. Encycl. *Singularis quidem*, 17 martii 1856.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 iunii 1862.

V. Divina revelatio est imperfecta, et ideoque subiecta continuo et indefinito progressui qui humanae rationis progressioni respondeat.

Epist. Encycl. *Qui pluribus*, 9 novembris 1846.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 iunii 1862.

VI. Christi fides humanae refragatur rationi; divinaque revelatio non solum nihil prodest, verum etiam nocet hominis perfectioni.

Epist. Encycl. *Qui pluribus*, 9 novembris 1846.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 iunii 1862.

VII. Prophetiae, et miracula, in sacris Litteris exposita et narrata, sunt poetarum commenta, et christianae fidei mysteria philosophicarum investigationum summa; et utriusque Testamenti libris mythica continentur inventa; ipseque Iesus Christus est mythica fictio.

Epist. Encycl. *Qui pluribus*, 9 novembris 1846.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 iunii 1862.

§ II.

Rationalismus moderatus.

VIII. Quum ratio humana ipsi religioni aequiparetur, ideoque theologicae disciplinae perinde ac philosophicae tractandae sunt.

Alloc. *Singulari quadam perfusi*, 9 decemb. 1854.

IX. Omnia indiscriminatim dogmata religionis christianae sunt obiectum naturalis scientiae seu philoso-

phiae; et humana ratio historice tantum exulta potest ex suis naturalibus viribus et principiis ad veram de omnibus etiam reconditoribus dogmatibus scientiam pervenire, modo haec dogmata ipsi rationi tamquam obiectum proposita fuerint.

Epist. ad Archiep. Frising. *Gravissimas*, 11 decembris 1862.

Epist. ad eundem *Tuas libenter*, 21 decemb. 1863.

X. Quum aliud sit philosophus, aliud philosophia, ille ius et officium habet se submittendi auctoritati, quam veram ipse probaverit; at philosophia neque potest neque debet ulli sese submittere auctoritati.

Epist. ad Archiep. Frising. *Gravissimas*, 11 decembris 1862.

Epist. ad eundem *Tuas libenter*, 21 decemb. 1863.

XI. Ecclesia non solum non debet in philosophiam unquam animadvertere, verum etiam debet ipsius philosophiae tolerare errores, eique relinquere ut ipsa se corrigat.

Epist. ad Archiep. Frising. *Gravissimas*, 11 decembris 1862.

XII. Apostolicae Sedis Romanarumque Congregationum decreta liberum scientiae progressum impediunt.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter*, 21 decembris 1863.

XIII. Methodus et principia, quibus antiqui Doctores scholastici theologiam excoluerunt, temporum nostrorum necessitatibus scientiarumque progressui minime congruunt.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter*, 21 decembris 1863.

XIV. Philosophia tractanda est, nulla supernaturalis revelationis habita ratione.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter*, 21 decembris 1863.

N. B. Cum rationalismi systemate cohaerent maximam partem errores Antonii Günther, qui damnantur in Epist. ad Card. Archiepisc. Coloniensem *Eximiam tuam*, 15 iunii 1847, et in Epist. ad Episc. Wratislaviensem *Dolore haud mediocri*, 30 aprilis 1860.

§ III.

Indifferentismus, Latitudinarismus.

XV. Liberum cuique homini est eam amplecti et profiteri religionem, quam rationis lumine quis ductus veram putaverit.

Litt. Apost. *Multiplices inter*, 10 iunii 1851.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 iunii 1862.

XVI. Homines in cuiusvis religionis cultu viam aeternae salutis reperire aeternamque salutem assequi possunt.

Epist. Encycl. *Qui pluribus*, 9 novembris 1846.

Alloc. *Ubi primum*, 17 decembris 1847.

Epist. Encycl. *Singulari quidem*, 17 martii 1856.

XVII. Saltem bene sperandum est de aeterna illorum omnium salute, qui in vera Christi Ecclesia nequaquam versantur.

Alloc. *Singulari quadam*, 9 decembris 1854.

Epist. Encycl. *Quanto conficiamur*, 17 augusti 1863.

XVIII. Protestantismus non aliud est quam diversa verae eiusdem christianae religionis forma, in qua aequae ac in Ecclesia catholica Deo placere datum est.

Epist. Encycl. *Noscitis et Nobiscum*, 8 decembris 1849.

§ IV.

Socialismus, Communismus, Societates clandestinae, Societates biblicae, Societates clerico-liberales.

Eiusmodi pestes, saepe, gravissimisque verborum formulis reprobantur in Epist. Encycl. *Qui pluribus*, 9 novembris 1846; in Alloc. *Quibus quantisque*, 20 aprilis 1849; in Epist. Encycl. *Noscitis et Nobiscum*, 8 decembris 1849; in Alloc. *Singulari quadam*, 9 decembris 1854; in Epist. Encycl. *Quanto conficiamur coerere*, 10 augusti 1863.

§ V.

Erroris de Ecclesia eiusque iuribus.

XIX. Ecclesia non est vera perfectaue societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus iuribus sibi a divino suo fundatore collatis; sed civilis potestatis est definire quae sint Ecclesiae iura ac limites, intra quos eadem iura exercere queat.

Alloc. *Singulari quadam*, 9 decembris 1854.

Alloc. *Mullis gravibusque*, 17 decembris 1860.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 iunii 1862.

XX. Ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere non debet absque civili Gubernii venia et assensu.

Alloc. *Meminit unusquisque*, 30 septembris 1861.

XXI. Ecclesia non habet potestatem dogmatice definiendi religionem Catholicae Ecclesiae esse unice veram Religionem.

Litt. Apost. *Multiplices inter*, 10 iunii 1851.

XXII. Obligatio, qua catholici magistri et scriptores omnino adstringuntur, coarctatur in iis tantum, quae

ab infallibili Ecclesiae iudicio veluti fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur.

Epist. ad Archiepisc. Frising. *Tuas libenter*, 21 decembris 1863.

XXIII. Romani Pontifices et Concilia oecumenica a limitibus suae potestatis recesserunt, iura Principum usurparunt, atque etiam in rebus fidei et morum definiendis errarunt.

Litt. Apost. *Multiplices inter*, 10 iunii 1851.

XXIV. Ecclesia vis inferendae potestatem non habet, neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam.

Litt. Apost. *Ad Apostolicas*, 22 augusti 1851.

XXV. Praeter potestatem episcopatus inhaerentem, alia est attributa temporalis potestas a civili imperio vel expresse vel tacite concessa, revocanda propterea, cum libuerit, a civili imperio.

Litt. Apost. *Ad Apostolicas*, 22 augusti 1851.

XXVI. Ecclesia non habet nativum ac legitimum ius acquirendi ac possidendi.

Alloc. *Nunquam fore*, 15 decembris 1856.

Epist. Encyc. *Incredibili*, 17 septembris 1863.

XXVII. Sacri Ecclesiae ministri Romanusque Pontifex ab omni rerum temporalium cura ac dominio sunt omnino excludendi.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 iunii 1862.

XXVIII. Episcopis, sine Gubernii venia, fas non est vel ipsas Apostolicas Litteras promulgare.

Alloc. *Nunquam fore*, 13 decembris 1856.

XXIX. Gratiae a Romano Pontifice concessae existimari debent tanquam irritae, nisi per Gubernium fuerint imploratae.

Alloc. *Nunquam fore*, 15 decembris 1856.

XXX. Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitas a iure civili ortum habuit.

Litt. Apost. *Multiplices inter*, 10 iunii 1851.

XXXI. Ecclesiasticum forum pro temporalibus clericorum causis sive civilibus sive criminalibus omnino de medio tollendum est, etiam inconsulta et reclamante Apostolica Sede.

Alloc. *Acerbissimum*, 27 septembris 1852.

Alloc. *Nunquam fore*, 15 decembris 1856.

XXXII. Absque ulla naturalis iuris et aequitatis violatione potest abrogari personalis immunitas, qua clerici ab onere subeundae exercendaeque militiae eximuntur; hanc vero abrogationem postulat civilis progressus, maxime in societate ad formam liberioris regiminis constituta.

Epist. ad Episc. Montisregal. *Singularis Nobisque*, 29 septembris 1864.

XXXIII. Non pertinet unice ad ecclesiasticam iurisdictionis potestatem proprio ac nativo iure dirigere theologiarum rerum doctrinam.

Epist. ad Archiepisc. Frising. *Tuas libenter*, 21 decembris 1863.

XXXIV. Doctrina comparantium Romanum Pontificem Principi libero, et agenti in universa Ecclesia, doctrina est quae medio aevo praevaluit.

Litterae Apostolicae *Ad Apostolicas*, 22 augusti 1851.

XXXV. Nihil vetat, alicuius Concilii generalis sententia aut universorum populorum facto, summum Pontificatum ab Romano Episcopo atque Urbe ad alium Episcopum aliamque civitatem transferri.

Litt. Apost. *Ad Apostolicas*, 22 augusti 1851.

XXXVI. Nationalis Concilii definitio nullam aliam

admittit disputationem, civilisque administratio rem ad hosce terminos exigere potest.

Litt. Apost. *Ad Apostolicas*, 22 augusti 1851.

XXXVII. Institui possunt nationales Ecclesiae ab auctoritate Romani Pontificis subductae planeque divisae.

Alloc. *Multis gravibusque*, 17 decembris 1860.

Alloc. *Iamdudum cernimus*, 18 martii 1861.

XXXVIII. Divisioni Ecclesiae in orientalem atque occidentalem nimia Romanorum Pontificum arbitria contulerunt.

Litt. Apost. *Ad Apostolicas*, 22 augusti 1851.

§ VI.

Errores de societate civili tum in se, tum in suis ad Ecclesiam relationibus spectata.

XXXIX. Reipublicae status, utpote omnium iurium origo et fons, iure quodam pollet nullis circumscripto limitibus.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 iunii 1862.

XL. Catholicae Ecclesiae doctrina humanae societatis bono et commodis adversatur.

Epist. Encycl. *Qui pluribus*, 9 novembris 1846.

Alloc. *Quibus quantisque*, 20 aprilis 1849.

XLI. Civili potestati, vel ab infideli imperante exercitae, competit potestas indirecta negativa in sacra; eidem proinde competit nedum ius quod vocant *Exequatur*, sed etiam ius *appellationis*, quam nuncupant, *ab abusu*.

Litt. Apost. *Ad Apostolicas*, 22 augusti 1851.

XLII. In conflictu legum utriusque potestatis, ius civile praevalet.

Litt. Apost. *Ad Apostolicas*, 22 augusti 1851.

XLIII. Laica potestas auctoritatem habet rescindendi, declarandi ac faciendi irritas solemnes conventiones (vulgo *Concordata*) super usu iurium ad ecclesiasticam immunitatem pertinentium cum Sede Apostolica initas, sine huius consensu, immo et ea reclamante.

Alloc. *In Consistoriali*, 4 novembris 1850.

Alloc. *Multis gratibusque*, 17 decembris 1860.

XLIV. Civilis auctoritas potest se immiscere rebus quae ad religionem, mores et regimen spirituale pertinent. Hinc potest de instructionibus iudicare, quas Ecclesiae pastores ad conscientiarum normam pro suo munere edunt, quin etiam potest de divinorum sacramentorum administratione et dispositionibus ad ea suscipienda necessariis decernere.

Alloc. *In Consistoriali*, 1 novembris 1850.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 iunii 1862.

XLV. Totum scholarum publicarum regimen, in quibus iuventus christianae alicuius reipublicae instituitur, episcopalibus dumtaxat seminariis aliqua ratione exceptis, potest ac debet attribui auctoritati civili, et ita quidem attribui, ut nullum alii cuiquam auctoritati recognoscatur ius immiscendi se in disciplina scholarum, in regimine studiorum, in graduum collatione, in delectu aut approbatione magistrorum.

Alloc. *In Consistoriali*, 1 novembris 1850.

Alloc. *Quibus luctuosissimis*, 5 septembris 1851.

XLVI. Immo in ipsis clericorum seminariis methodus studiorum adhibenda civili auctoritati subiecitur.

Alloc. *Nunquam fore*, 15 decembris 1856.

XLVII. Postulat optima civilis societatis ratio, ut populares scholae, quae patent omnibus cuiusque e populo classis pueris, ac publica universim Instituta, quae litteris severioribusque disciplinis tradendis et edu-

cationi iuventutis curandae sunt destinata, eximantur ab omni Ecclesiae auctoritate, moderatrice vi, et ingerentia, plenoque civilis ac politicae auctoritatis arbitrio subiciantur, ad imperantium placita et ad communium aetatis opinionum amussim.

Epist. ad Archiepisc. Friburg. *Quum non sine*, 14 iulii 1864.

XLVIII. Catholicis viris probari potest ea iuventutis instituendae ratio, quae sit a catholica fide et ab Ecclesiae potestate seiuncta, quaeque rerum dumtaxat naturalium scientiam ac terrenae socialis vitae fines tantummodo, vel saltem primario spectet.

Epist. ad Archiepisc. Friburg. *Quum non sine*, 14 iulii 1864.

XLIX. Civilis auctoritas potest impedire quominus sacrorum Antistites et fideles populi cum Romano Pontifice libere ac mutuo communicent.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 iunii 1862.

L. Laica auctoritas habet per se ius praesentandi Episcopos, et potest ab illis exigere ut ineant dioecesium procuracionem, antequam ipsi canonicam a S. Sede institutionem et Apostolicas litteras accipiant.

Alloc. *Nunquam fore*, 15 decembris 1856.

LI. Immo laicum Gubernium habet ius deponendi ab exercitio pastoralis ministerii Episcopos, neque tenetur obedire Romano Pontifici in iis quae episcoporum respiciunt institutionem.

Litt. Apost. *Multiplices inter*, 10 iunii 1851.

Alloc. *Acerbissimum*, 27 septembris 1852.

LII. Gubernium potest suo iure immutare aetatem ab Ecclesia praescriptam pro religiosa tam mulierum quam virorum professione, omnibusque religiosiis familiis

indicere, ut neminem sine suo permissu ad solemnia vota nuncupanda admittant.

Alloc. *Nunquam fore*, 15 decembris 1856.

LIII. Abrogandae sunt leges quae ad religiosarum familiarum statum tutandum, earumque iura et officia pertinent; immo potest civile Gubernium iis omnibus auxilium praestare, qui a suscepto religiosae vitae instituto deficere ac solemnia vota frangere velint; pariterque potest, religiosas easdem familias perinde ac collegiatis Ecclesias et beneficia simplicia, etiam iuris patronatus, penitus extinguere, illorumque bona et redditus civilis potestatis administrationi et arbitrio subicere et vindicare.

Alloc. *Acerbissimum*, 27 septembris 1852.

Alloc. *Probe meminertis*, 22 ianuarii 1855.

Alloc. *Cum saepe*, 26 iulii 1855.

LIV. Reges et Principes non solum ab Ecclesiae iurisdictione eximuntur, verum etiam in quaestionibus iurisdictionis dirimendis superiores sunt Ecclesia.

Litt. Apost. *Multiplies inter*, 10 iunii 1851.

LV. Ecclesia a Statu, Statusque ab Ecclesia seimpendus est.

Alloc. *Acerbissimum*, 27 septembris 1852.

§ VII.

Errores de Ethica naturali et christiana.

LVI. Morum leges divina haud egent sanctione, minimeque opus est ut humanae leges et naturae ius conformentur, aut obligandi vim a Deo accipiant.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 iunii 1862.

LVII. Philosophicarum rerum morumque scientia,

itemque civiles leges possunt et debent a divina et ecclesiastica auctoritate declinare.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 iunii 1862.

LVIII. Aliae vires non sunt agnoscendae nisi illae quae in materia positae sunt, et omnis morum disciplina honestasque collocari debet in cumulandis et augendis quovis modo divitiis ac in voluptatibus expleendis.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 iunii 1862.

Epist. encycl. *Quanto conficiamur*, 10 augusti 1863.

LIX. Ius in materiali facto consistit, et omnia hominum officia sunt nomen inane, et omnia humana facta iuris vim habent.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 iunii 1862.

LX. Auctoritas nihil aliud est nisi numeri et materialium virium summa.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 iunii 1862.

LXI. Fortunata facti iniustitia nullum iuris sanctitati detrimentum avertit.

Alloc. *Tandem cernimus*, 18 martii 1861.

LXII. Proclamandum est et observandum principium quod vocant de *non-interventu*.

Alloc. *Novos et ante*, 28 septembris 1860.

LXIII. Legitimis Principibus obedientiam detrectare, immo et rebellare licet.

Epist. encycl. *Qui pluribus*, 9 novembris 1846.

Alloc. *Quisque vestrum*, 4 octobris 1847.

Epist. encycl. *Nescitis et Nobiscum*, 8 decembris 1847.

Litt. Apost. *Cum catholica*, 26 martii 1860.

LXIV. Tum cuiusque sanctissimi iuramenti violatio, tum quaelibet scelestae flagitiosaque actio sempiternae

legi repugnans, non solum haud est improbanda, verum etiam omnino licita, summisque laudibus efferenda, quando id pro patriae amore agatur.

Alloc. *Quibus quantisque*, 20 aprilis 1849.

§ VIII.

Errores de Matrimonio christiano.

LXV. Nulla ratione ferri potest, Christum evexisse matrimonium ad dignitatem sacramenti.

Litt. Apost. *Ad Apostolicæ*, 22 augusti 1851.

LXVI. Matrimonii sacramentum non est nisi quid contractui accessorium ab eoque separabile, ipsumque sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm est.

Litt. Apost. *Ad Apostolicæ*, 22 augusti 1851.

LXVII. Jure naturæ matrimonii vinculum non est indissolubile, et in variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest.

Litt. Apost. *Ad Apostolicæ*, 22 augusti 1851.

Alloc. *Acerbissimum*, 27 septembris 1852.

LXVIII. Ecclesia non habet potestatem impedimenta matrimonium dirimentia inducendi, sed ea potestas civili auctoritati competit, a qua impedimenta existentia tollenda sunt.

Litt. Apost. *Multiplies inter*, 10 iunii 1851.

LXIX. Ecclesia sequioribus saeculis dirimentia impedimenta inducere coepit, non iure proprio, sed illo iure usa, quod a civili potestate mutuata erat.

Litt. Apost. *Ad Apostolicæ*, 22 augusti 1851.

LXX. Tridentini canones qui anathematis censuram illis inferunt qui facultatem impedimenta dirimentia inducendi Ecclesiae negare audeant, vel non

sunt dogmatici, vel de hac mutuata potestate intelligendi sunt.

Litt. Apost. *Ad Apostolicæ*, 22 augusti 1851.

LXXI. Tridentini forma sub infirmitatis poena non obligat, ubi lex civilis aliam formam praestituat, et velit hac nova forma interveniente matrimonium valere.

Litt. Apost. *Ad Apostolicæ*, 22 augusti 1851.

LXXII. Bonifacius VIII votum castitatis in Ordinatione emissum nuptias nullas reddere primus asseruit.

Litt. Apost. *Ad Apostolicæ*, 22 augusti 1851.

LXXIII. Vi contractus mere civilis potest inter christianos constare veri nominis matrimonium; falsumque est, aut contractum matrimonii inter christianos semper esse sacramentum, aut nullum esse contractum, si sacramentum excludatur.

Litt. Apost. *Ad Apostolicæ*, 22 augusti 1851.

Lettera di S. S. PIO IX, al Re di Sardegna, 9 settembre 1852.

Alloc. *Acerbissimum*, 27 septembris 1852.

Alloc. *Multis gravibusque*, 17 decembris 1860.

LXXIV. Causae matrimoniales et sponsalia suapte natura ad forum civile pertinent.

Litt. Apost. *Ad Apostolicæ*, 22 augusti 1851.

Alloc. *Acerbissimum*, 27 septembris 1852.

IV. B. Huc facere possunt duo alii errores de clericorum coelibatu abolendo et de statu matrimonii statui virginitatis antefereendo. Confodiuntur, prior in epist. enycl. *Qui pluribus*, 9 novembris 1846, posterior in litteris apost. *Multiplies inter*, 10 iunii 1851.

§ IX.

Errores de civili Romani Pontificis Principatu.

LXXXV. De temporalis regni cum spirituali compatibilitate disputant inter se christianae et catholicae Ecclesiae filii.

Litt. Apost. *Ad Apostolicam*, 22 augusti 1851.

LXXXVI. Abrogatio civilis imperii, quo Apostolica Sedes potitur, ad Ecclesiae libertatem felicitatemque vel maxime conduceret.

Alloc. *Quibus quantisque*, 20 aprilis 1849.

N. B. Praeter hos errores explicite notatos, alii complures implicite reprobantur proposita et asserta doctrina, quam catholici omnes firmissime retinere debeant, de civili Romani Pontificis principatu. Eiusmodi doctrina luculenter traditur in Alloc. *Quibus quantisque*, 20 aprilis 1849; in Alloc. *Si semper antea*, 20 maii 1850; in Litt. Apost. *Cum catholica Ecclesia*, 26 martii 1860; in Alloc. *Novae*, 28 septembris 1860; in Alloc. *Iamdudum*, 18 martii 1861; in Alloc. *Maxima quidem*, 9 iunii 1862.

§ X.

Errores qui ad liberalismum hodiernum referuntur.

LXXXVII. Aetate hac nostra non amplius expedit religionem catholicam haberi tamquam unicam Status religionem, ceteris quibuscumque cultibus exclusis.

Alloc. *Nemo vestrum*, 26 iulii 1855.

LXXXVIII. Hinc laudabiliter in quibusdam catholici nominis regionibus lege cautum est ut hominibus

illuc immigrantibus liceat publicum proprii cuiusque cultus exercitium habere.

Alloc. *Acerbissimum*, 27 septembris 1852.

LXXIX. Eumvero falsum est, civilem cuiusque cultus libertatem, itemque plenam potestatem omnibus attributam quaslibet opiniones cogitationesque palam publiceque manifestandi conducere ad populorum mores animosque facilius corrumpendos, ac indifferentismi pestem propagandam.

Alloc. *Nunquam fore*, 15 decembris 1856.

LXXX. Romanus Pontifex potest ac debet cum progressu, cum liberalismo, et cum recenti civilitate sese reconciliare et componere.

Alloc. *Iamdudum corvinus*, 18 martii 1861.

XXVII.

Epistola Pii IX « Meridionali Americae » ad Episcopos Americae Meridionalis de Collegio Pio Latino Americano. — 30 Sept. 1865.

Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Meridionali Americae, tot undique calamitatibus oppressae, non sine peculiari animi Nostri solatio laetissimam spem affulgere videmus ex indigena illo adolescente Clero, quem solida pietate sanisque doctrinis apud Nos imbuendum curamus. Vos certe non latet quanto molimur Collegium ei excipiendum instituendoque parari voluerimus, et quam alacriter, non obstante rerum Nostrarum angustia, studuerimus necessaria tantae rei conferre subsidia. Scilicet agebatur de comparandis idoneis Ecclesiae ministris, de

procuranda per eos istis in regionibus animarum salute, ac etiam de novo Clero per ipsos in patriam reversos informando. At, cum tenuitatem Nostrarum virium imparem prorsus experiamur oneri ferendo, ac vereamur idcirco, ne opus tanto nisu excitatum et adeo faustis initum auspiciis, mole ipsa sua corruat; haud ingratum Vobis futurum esse arbitrati sumus, si, ad omen avertendum, illud pastoralis Vestrae caritatis officii commendaremus. Nam etsi apprime intelligamus, nec excitatione nec stimulis indigere zelum Vestrum in negotio, ubi agitur de accurata Cleri indigenae institutione, seu de praecipua spe et emolumento gregis Vobis concediti? Vos tamen non inopportuno ducturos censimus, illud Vobis obverti, quorum animadversionem tot inter perturbationes, angores, sollicitudines, res a conspectu remota, utut gravissima, eflugere posset aliis oblitterata curis. Nos sacro huic Ephebeo, quod paterna complectimur charitate, pro viribus certe non deerimus; dum vero amplissima ei ominamur incrementa, Vobis, Venerabiles Fratres, constantiam, caelestem opem ac solamen omne adprecamur, cuius auspiciem simulque praecipuae benevolentiae Nostrae testem esse volumus Apostolicam Benedictionem, quam Vobis et Clero ac populo unicuique Vestrum commisso peramanter impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die 30 Septembris 1865, Pontificatus Nostri Anno Vigesimo. - Pius PP. IX.

XXVIII.

S. Officii instructio ad Episcopos Helvetiae de scholis acatholicis et mixtis. — 26 Martii 1866.

Iampridem ad Sacram hanc Congregationem quaestio de scholis mixtis, quae per totam fere Helvetiam perniciem rei catholicae minitantur, delata est, tribus propositis dubiis, quorum duo omnibus communia haberi possunt: 1. *An sacerdoti liceat scholarum, de quibus agitur, alumnis catholicis sive intra earum septa, sive alio, uti in Ecclesiam, ad id convocatis fidei christianae documenta speciatim tradere, aut pro eis capellani (aumônier) quovis munere fungi?* 2. *An parentibus liceat liberos suos huiusmodi scholis instituendos committere:* tertium ad hurae incolae Bernensis Reipublicae adiectos pertinet, nimirum: *An catholicis Iurassensibus liceat nuntium remittere iuri suo pactis publicis innixto, cuius nefas est, quomquam in publicis eorum scholis docendi munus obire, qui religionem catholicam non profiteatur.* Quemadmodum in re gravissima oportuit, tum diligentem circa rei veritatem ac statum ab Episcopis notitiam conquiri, tum mature agitari conferrique consilia, S. Congregatio curavit. Quibus rebus praemissis, de eadem denique dirimenda egit Feria IV, die 17 Ianuarii huius anni 1866.

Porro praecipuum et capitale dubium, quod secundo loco proponebatur, visum est: — *An liceat parentibus liberos suos huiusmodi scholis instituendos committere;* quo in excutiendo vehementer Eños PP. commoverunt tum intrinsecum rei periculum, tum ea, quae ad eos ab ipsis

Episcopis relata sunt. Itaque omni ope curandum esse censuerunt, ut omnibus patribus familias persuadeatur, se nihil peius de prole sua, de patria, de re catholica universa mereri posse, quam ut natos suos in extremam hanc aleam immittant. Cum enim puerilis aetas, pro sua ipsa ingenuitate ac simplicitate, vafrorum hominum seductionibus, nisi diligenter custodiatur, tota patet, tum vero maxime si iis implicetur rerum adiunctis, in quibus eam versari in eiusmodi scholis necesse est. Auctoritas quippe praeceptorum, quae maxime in adolescentium animis valet, ad ea omnia approbanda, quae in iis videntur ex iisve audiunt, naturali quadam vi eos rapit: quo fit, ut illorum erga religionem indifferentia, errores ipsi haereticae, catholicaeque religionis contemptus venenato quodam halitu tenella pectora inficiat, extinctoque calore omni pietatis penitus corrumpat. Cui pesti haud minus lethifera accedit haereticorum condiscipulorum contagio, quorum corrupti mores, indita ex sectario dogmate indocilitas, quaeque pueriles animos vehementissime movet, in catholicam fidem, atque Ecclesiae praecepta mordax dicacitas, si quid incorruptum aut firmum in ipsis manserit, labefactant, ac perdant necesse est. Quae sane per se gravissima graviorem etiam in molem assurgere Enim Patres perspiciebant ea considerantes, quae ab Amplitudine Vestra aperiuntur, eo consilio eiusmodi scholas institutas esse, ut catholica Religio e vestris regionibus exstirpetur: eo enim praefixo scopo, nihil industriae, nihil fraudum, nihil adversarum virium praetermissum iri ad contraditam eis iuventutem pervertendam, nemo non videt.

Neque vero illud quisquam sibi persuadeat, immunes ab hac pernicie scholas illas fore, quae mate-

riam a religione discretam, atque profanam habent. — Etenim praeterquamquod eadem in illis ab haereticorum sive praeceptorum, sive discipulorum vitae ratione ac familiaritate scandala impendent, novus profecto in humanis rebus sit oportet, qui non sentiat, etiam in eiusmodi scholis aditum haereticis magistris undequaque aperiri, ut puerilem simplicitatem opportune et importune, data et non data occasione, circumveniat, et in laqueos inducat, cuius, quo magis inopinatae atque occultae sunt artes, eo magis sunt ad perendum efficaces. Itaque non tantum quae sacris, sed etiam quae profanis disciplinis, non tantum quae metaphysicae aut ethicae, sed etiam quae mathesi, aut physicae, aut historicae, aut humanis litteris, aut linguis, aut artibus quibusvis tradendis institutae sunt, periculi atque exitii plenas eiusmodi scholas esse nulla ratione est dubitandum.

Quae sane cum ita se habere apprime nosset Enim Patres, non illud tamen eos praeteribat, peculiarium quaedam rerum adiuncta id efficere posse, ut easdem adire aliquando cogat necessitas; ubi scilicet ea tyrannide opprimantur catholici, ut ad scholas proprias, id est catholicas adeundas nulla iam illis aut pateat via, aut suppetat facultas; ideoque in ea sint optio, ut vel necessaria domui suae studiorum subsidia deserant, publicumque ipsum regimen heterodoxis totum relinquunt, aut scholas mixtas utut invitissimi subeant. At vero licet id Patribus persuaserit, non posse absoluto atque indefinito iudicio aditum ad scholas mixtas omnino improbari, remque potius singulorum Episcoporum prudenti arbitrio, religiosaeque conscientiae esse relinquendam, nihilominus, ne in re gravissima quisque sese decipiat, duo voluerunt serio

moneri, quae, cum agitur de subeunda occasione proxima peccandi, quae necessaria sit, omnes movent Theologi: *primo* ut videant Episcopi, ne fucata, aut proprie talis non sit, ea, quae obicitur, necessitas —; *secundo* ut ab iis, ad quorum officium id spectat, remedia omnia studiose adhibeantur, quae ad avertendum perversionis periculum efficacia sint. Et ad primum quod attinet, animadverterunt, frustra quempiam necessitatem cansari, si ad alias scholas, quae sint mere catholicae, licet in extraneis regionibus sitae, *possit liberos suos sine notabili damno mittere*; ad alterum vero quod pertinet, moneri voluerunt plurimum ad hanc rem conferre, planeque esse necessariam unanimum, sinceramque concordiam sive laicorum cum clero, sive minoris cleri cum Episcopis, sive omnium inter se; ut, dum Episcopi, sive coniuncti de opportunis adhibendis remediis in Synodis provincialibus agunt, sive singuli gregem suum qua voce, qua litteris pastoralibus instruant, et confirmant, a supremis vero Reipublicae moderatoribus sive per se, sive gravibus interpositis viris, ut meliorem in dies rerum ordinem, et conditiones aequiores impetrent, constanter studioseque curant; dum Clerus minor, ac praesertim Parochi in catechesibus, ac praecipue in iis exponendis veritatibus sive fidei sive morum, quae magis ab incredulis atque heterodoxis impetuntur, diligentem operam ponunt, expositamque tot periculis iuventutem magis magisque qua frequenti Sacramentorum usu, qua pietate in Beatam Virginem communire student, et ad religionem firmiter tenendam excitant, in omnibus vero iustum ac vehementis desiderium, ut eiusmodi religionis ac pietatis offendentia, cuiusmodi certe scholae mixtae sunt, removeantur, prudenter quidem, sed assidue, alunt; dum

singuli genitores, quive eorum loco sunt, liberis suis sollicitè invigilant, ac vel ipsi per se, vel, si minus idonei ipsi sint, per alios de lectionibus auditis eos interrogant, libros iisdem traditos recognoscunt, et si quid noxium in illis deprehenderint, antidota praebent, a familiaritate vero et consortio haereticorum condiscipulorum omnino arcet et prohibent, omnium simul hac ratione coniunctae et consociatae vires efficaciusque adolescentium salutem tueantur, omnemque pestem ab eorum animis avertant. Itaque ad dictum dubium: — *An liceat parentibus liberos suos huiusmodi scholis instituendos committere* —, responderunt: — *Generatim loquendo non licere; sed in casibus particularibus iudicio et conscientiae Ordinarii id esse relinquendum; cuius tamen erit officii diligenter curare, ut non modo a se, et a parochis, verum etiam a singulis genitoribus opportuna remedia adhibeantur, quibus periculum perversionis ab alumnis removeatur, simulque eniti apud magistratus ac praesides, ne vis inferatur conscientiae catholicorum, adhibendo libros, qui Religioni catholicae sint infensi, ac denique assidue et instanter monere et hortari omnes, atque eos praesertim, quibus facultas est, ut liberos suos in alias regiones mittant, ubi catholice educantur.*

Ex hisce autem, quae de hoc dubio considerata sunt, facile ad alterum patuit responsio, quod primo loco hisce verbis proponebatur: — *An sacerdoti liceat scholarum, de quibus agitur, alumnis catholicis sive intra eorum septa, sive alio, ut in Ecclesia, ad id convocatis, fidei christianae documenta spectatim tradere, aut pro eis capellani (aumônier) quocvis munere fungi.* — Ex quo enim constat, gravissima ac plane extrema iuventuti catholicae in eiusmodi scholis versanti instare pericula,

neque profecto culpam dubitare licet, in extremo gregis periculo teneri vi muneris proprii Episcopos in subsidium accurrere, et Sacerdotes ab eo evocatos, ac praesertim parochos omni studio opem suam conferre, cui tandem veniat in mentem, infelices illos adolescentulos in mortis faucibus haerentes negligi ac deseri posse? Qui sane si culpa propria eo devenissent, eripiendi tamen essent; nunc autem, cum non sua sed aliorum culpa eo fuerint perducti, quanto magis aequum est, ut sacerdotali cura suscipiantur? Neque vero quidquam movit Eñios Patres aut obiecta desperatio fructus, aut concepta spes ex desertione eorum, qui eas scholas adeunt, ceteros ab iis deterrendi, aut formidata scandali species, ne si populus videat docendi munus in iisdem scholis a sacerdotibus suscipi, eas ab Ecclesia approbari, liciteque ac libere adiri posse existimet. Cum enim agatur de obligatione, quae officio sacerdotali inest, palam est, non in ea exequenda scandalum timendum esse (quod sane pharisaicum foret), sed potius in eadem negligenda; neque bonum quodvis (pro quo obtinendo facienda mala non sunt) ex eius violatione esse quaerendum, neque denique ob desperationem fructus, quem divinae Bonitati committere decet, deseri illam debere. — Quicumque enim *speculatores domui Israel dati sunt*, retinere non sine metu in auribus debent, quae Dominus per Ezechielem monuit, nimirum: *Si locuti ipsi non fuerint, ut se custodiat impius a via sua, fore ut impius in iniquitate sua moriatur*; at simul *Sanguis eius de manu eorum requiratur*; quod si, curantibus illis impii salutem, nullus ex eorum labore fructus succedat, *impium quidem in iniquitate sua periturum, sed illos animam suam omnino liberasse*.

Itaque praedicto dubio: — *An liceat Sacerdoti in praedictis scholis fidei christianae documenta tradere, aut capellani munere fungi*. — respondendum censuerunt: « *Afirmative, et ad mentem*; mens est, ut non modo fidei christianae tradendae, verum etiam disciplinarum scholis, quotquot fieri potest, praefici sacerdotes, aut honestos perspectaque religionis laicos curandum sit: quo vero omnis cesset scandali formido, monendum esse populum, id fieri, ut mala, quae ex huiusmodi scholis dimanant, quantum fieri potest, avertantur; idque proinde nemini excusationi esse debere, quominus liberos suos mittat ad scholas mere catholicas, in quibus eorum fides ac mores nullo modo periclitentur ».

Restat tertium dubium, quod pertinet ad incolas Montis Iurae Bernensi Republicae addictos, quodque ita propositum fuit: *Etiamsi illae (scholae mixtae) utcumque possint tolerari, an catholicis Iurassensibus liceat nuntium remittere iuri suo pacis publicis innixo, vitius nefas est, quemquam in publicis eorum scholis docendi munus obire, qui religionem catholicam non profiteatur*. Cui dubio absque ulla haesitatione Eñi Patres respondendum esse censuerunt: « *Negative, sive agatur de expressa, sive etiam de tacita cessione ex silentio ac tolerantia culpabili* ». Itaque, licet cavendum sit, ne quid imprudenter agatur, quo ad graviora mala inferenda adversariorum excitetur ferocitas, nihil tamen de industria, deque constantia remittendum est, quominus media omnia legitima, quae in catholicorum potestate sint, adhibeantur ad praedictum ius una cum foederis sanctitate, et Catholicae Religionis indemnitate recuperandum. Qua in re cum de zelo sive Antistitis, cuius iurisdictioni regio illa subiecta est, sive utriusque ordinis, clericalis scilicet et laicalis, Eñi Patres minime

dubitant, quippe qui praeclara de eodem monumenta habent, tum illud commendare non desinunt, ut mutua concordia quam maxime retineatur, quae nisi vigeat, nihil unquam succedere feliciter poterit. — 26 Martii 1866.

XXIX.

S. Officii instructio ad omnes Archiepiscopos, Episcopos aliosque locorum Ordinarios, circa observantiam Constitutionis S. M. Benedicti XIV quae incipit « Sacramentum Poenitentiae ». — 20 Febr. 1867.

Quae Supremus Pontifex gl. mem. Benedictus XIV, in Constitutione die 1 Junii anno 1741 edita, cuius initium est *Sacramentum poenitentiae*, confirmavit ac decrevit, ea ad haec quatuor maxime capita reducuntur. In primis, quemadmodum iam antea sancitum fuerat, praesertim a Gregorio XV, Constitutione quae, sub die 30 augusti anno 1622 data, incipit *Universi*, omnes locorum Ordinarii aequae ac Inquisitores deputantur iudices ad inquirendum et procedendum et condignis poenis animadvertendum contra sollicitantes ad turpia in confessione, quamvis ab ordinaria iurisdictione quomodolibet exemptos. Itidem omnes sacerdotes ad audiendas sacras confessiones constituti, sicut antea quoque praescriptum erat, obligantur monere suos poenitentes, ut sollicitantes huiusmodi quamprimum poterunt Inquisitoribus aut locorum Ordinariis deferant; eosdemque poenitentes non absolvere, qui huic adimplendo muneri parere recusent. Praeterea tertio loco Apostolicae Sedi reservatur, excepto mortis articulo, eorum casus qui

innoxios sacerdotes apud ecclesiasticos iudices falso sollicitationis insimulant, vel sceleste procurant ut id ab aliis fiat. Quarto denique sacerdoti cuilibet omnis facultas et iurisdiclio ad sacramentales confessiones personae complicitis in peccato turpi contra sextum decalogi praeceptum commisso excipiendas adimitur, nisi extrema prorsus urgeat necessitas, nimirum si in ipsius mortis articulo alter sacerdos desit, qui confessorii munere fungatur, vel sine gravi aliqua exortura infamia vel scandalo vocari aut accedere nequeat¹. Et Apostolicae Sedi reservatur eorum confessoriorum casus, qui complicem in peccato turpi absolvere ausi fuerint.

Nullum sane dubium est, quin hae praescriptiones, prohibitiones, reservationes omnes et singulae in cunctas nationes universim vires suas extendant, et ubique terrarum *inconcusse ac inviolabiliter* observandae sint. Quod quidem vel legenti Gregorii XV et Benedicti XIV Constitutiones evidentissime patet; et id ipsum consequentium Pontificum suffragio, prout se dedit occasio, ad hanc usque diem confirmatum est. Et re quidem vera Vicario apostolico Cocincinae sciscitanti: 1. *An constitutio Benedicti XIV adversus sollicitantes obliget etiam missionarios franciscanos, qui ministerium exercent in Cocincina?* 2. *An eadem constitutio restringi possit ac moderari in aliquo casu ob magnam confessoriorum penuriam in eodem regno Cocincinae?* iussu Pii VI, anno 1775 opportuna instructione responsum fuit: *ad 1^m affirmative: ad 2^m negative.* Et proxime SS^{ms} D. N. Pius Papa IX, decreto huius supre-

¹ Const. eiusdem S. P. Bened. XIV, *Apostolici muneris*, die 8 Februarii 1745.

mae Inquisitionis sub feria IV, die 27 iunii anno 1866, edixit, in facultatibus quibus Episcopi alique locorum Ordinarii ex concessione Apostolica pollent absolventi ab omnibus casibus Apostolicae Sedi reservatis excipiendos semper in posterum, et exceptos habendos esse casus reser-
vatos in Bulla Benedicti XIV quae incipit « Sacramentum poenitentiae ». Hoc decretum vero omnibus ubique terrarum Ordinariis praedicta absolventi facultate donatis absque ulla exceptione significandum mandavit.

Quamobrem omnibus locorum Ordinariis entendum summopere est, ne eorum vigor, quae in praedicta constitutione salubriter providentur, paulatim uspiam elanguat. At Emi PP. Cardinales supremi Inquisitores nuper cognoverunt, eandem constitutionem non ubique, sicuti par esset, executioni tradi, atque in aliquibus locis nonnullos tum in denunciationis onere adimplendo, tum in iudicio contra sollicitantes instituendo irrepsisse abusus, qui sine iustitiae ac providae severitatis discrimine tolerari minime possent. Itaque neque inopportunum neque ipsis locorum Ordinariis ingratum fore iudicaverunt, si quae contra eosdem abusus ab hac suprema Congregatione ad tramites sacrorum canonum decreta fuerunt, in unum collecta prae oculis habeantur. Ad quem effectum praesentem instructionem edi mandarunt.

1. Personae sive mares sive feminae, quaecumque illae sint, ad turpia sollicitatae in confessione, vel occasione aut praetextu confessionis, quemadmodum enucleate in memorata constitutione praecipitur, rem ad Sanctam Sedem vel ad loci Ordinarium deferre debent.

2. Denunciare oportet quemcumque sacerdotem etiam iurisdictione carentem, sollicitantem in confessione vel etiam poenitentis sollicitationi consentientem,

quamvis statim dissentientem de turpi materia loqui, illius complementum ad aliud tempus differentem et non praebentem absolutionem poenitenti¹.

3. Huiusmodi denunciations a nemine absque culpa letali omitti possunt. Qua de re poenitentes debent admoneri, neque ab iis admonendis instruendisque eorum bona fides excusat.

4. Sacerdotes ad sacras audiendas confessiones constituti, qui de hac obligatione poenitentes suos non admo-
nent, debent puniri².

5. Poenitentes admoniti et omnino renuentes nequeunt absolvi: qui vero ob iustam causam denunciationem differre debent, eamque quo citius poterunt faciendam spondent serioque promittunt, possunt absolvi.

6. Denunciations anonymae contra sollicitantes ad turpia nullam vim habent: denunciations enim fieri debent in iudicio, nempe coram Episcopo eiusve delegato cum interventu ecclesiastici viri, qui notarii partes teneat, et cum iuramento et cum expressione et subscriptione sui nominis: nec sufficit si fiat per apochas vel per litteras sine nomine et cognomine auctoris³. Ceterum prohibetur, ne recipiendis denunciationibus praeter iudicem et notarium, virum utrumque ecclesiasticum, speciali et scripto exarata Episcopi deputazione munitum, testes intersint. Cavendum quoque ne ex denunciationibus quaeratur, num sollicitationi consenserint: et convenientissimum foret, si de huius-

¹ Ex declar. diei 11 Febr. 1661 confirmata in const. *Sacramentum poenitentiae*.

² Ex declar. sub diebus 20 Martii 1624 et 1 Octob. 1626 penes Allit. De inconst. in fide cap. 35, num. 17.

³ Allit. loc. cit. n. 21.

modi consensu quantumvis sponte manifestato nihil notetur in tabulis¹.

7. Denunciationis onus est personale, et ab ipsa persona sollicitata adimplendum. Verum si gravissimis difficultatibus impediatur, quominus hoc perficere ipsa possit, tunc vel per se, vel per epistolam, vel per aliam personam sibi benevisam suum adeat Ordinarium vel Sanctam Sedem per sacram Poenitentiarum, vel etiam per hanc supremam Inquisitionem, expositis omnibus circumstantiis, et deinde se gerat iuxta instructionem quam erit acceptura. Si vero necessitas urgeat, se gerat iuxta consilia et monita sui confessarii. Ast si nullo impedimento detenta denunciationem omnino renuat, in hoc casu alisque supra memoratis laudandus est confessarius, qui operam suam poenitentem non denegaverit, et vel Ordinarium vel Sanctam Sedem pro opportunis providentiis consuluerit, suppresso tamen poenitentis nomine. Formulas autem hisce in casibus adhibendas tradunt probati auctores, quos inter Pignatelli consult. 104, Carena, Albitius etc.

8. Non infrequenter occurrit casus, ut confessarius aliusve ecclesiasticus vir ab Episcopis (quorum utique haec potestas est) deputetur ad denunciationses recipiendas in re ad sollicitationis crimen spectante, absque interventu notarii. Hinc instructioni folium adiectur circa modum, quo hisce in casibus confici denuntiatio debet. Qui enim ad hoc gravissimum munus viri maxime idonei destinantur, de actu denunciationis iudiciaria ratione assumendo instrui debent, ac moneri, ut statim a recepta denunciatione eam continuo ad ipsum Episcopum a quo fuerunt deputati caute transmittant, neque con-

¹ Ex declar. Urbani VIII, sub fer. V die 17 April. 1624.

fecti actus exemplum vel vestigium aliquod sibi retineant. Atque in hunc fere modum haud difficulter denunciandi munus adimpletur. Profecto a locorum Ordinariis efficiendum est, ne ad loca suae iurisdictioni subiecta applicare oporteat quod pro missionibus Pernambuci in America die 22 Ianuarii an. 1627 declaratum fuit: *Mulieres videlicet sollicitatas non teneri ad denunciationem si ministri Inquisitionis et vicarii Episcopi in longinquis regionibus degentes sine gravi incommodo adiri nequeant.*

9. Si in denunciationibus, quod non raro contingit, aliae indicantur personae forte pariter sollicitatae, vel quae de hoc crimine testimonium ferre aliqua ratione possint, hae quoque omnes et seorsim iudiciaria forma superius enunciata examinandae sunt: et primo per *generalia*, deinde per gradus, quoad ita res ferat, ad *particularia* deveniendi, interrogari debent, utrum et quomodo revera fuerint ipsae sollicitatae, vel alias personas fuisse sollicitatas viderint vel audierint.

10. Accepta denunciatione, non illico proceditur, sed a superiore ecclesiastico inquiri sedulo debet, utrum persona denuncians sit fide digna. Sollicitationis crimen ut plurimum secreto perpetratur; hinc privilegium est, ut in causis, quae contra hoc crimen instituuntur, ad plenam probationem faciendam attestations etiam singulares admittantur. At in memoratis summorum Pontificum constitutionibus praescribitur, ne cum testibus singularibus procedatur, nisi praesumptiones, indicia et alia adminicula concurrant. Pondus igitur cuiusque denunciationis, qualitates et circumstantiae serio accurate perpendendae sunt; et antequam contra denunciatum procedatur, perspectum exploratumque iudici esse debet, quod mulieres vel viri denuntiantes sint

boni nominis, neque ad accusandum vel inimicitia vel alio humano affectu adduceantur. Oportet enim, ut testes huiusmodi singulares ab omnibus privatis affectionibus sint immunes, ut ipsis integra fides haberi possit¹.

11. Ea est huius supremæ Inquisitionis consuetudo, ut post unam alteramve denunciationem rescribatur, quod denunciatus *observatur*, ita videlicet super delato crimine suspectus habeatur, ut quum primum per novas denunciations res explorata erit, in iudicium vocandus sit. Ut plurimum non nisi a tertia denunciatione procedi solet. Ad formale examen vocantur parochi vel probatæ fidei spectataque virtutis viri præsertim ecclesiastici, qui cum iuramento de veritate dicenda et de secreto servando super qualitatibus denunciantium et denunciati, et super mutuis corum odiis et inimiciis examinentur. Hisce peractis diligentius, reus in iudicium adducitur, et coram iudice cum intervenia ecclesiastici viri, qui notarii partes agat, super singulis cuiusque denunciationis et examinis adiunctis, iuramento dicendæ veritatis obstrictus respondere debet. Cavetur solertissime, ne denunciantium nomina reo manifestentur, et ne sacramentale sigillum quoquo modo violetur.

12. Quando perspecta evaserit patrati criminis veritas, reo ad defensionem, prout iura exposcunt, admissio, deveniendum erit ad illi interdicens in perpetuum, ne confessiones excipiat, subtrahendo omnes et quas-cumque facultates ad id muneris eidem etiam per quodcumque privilegium vel ab ipsa Sancta Sede impertitas. Huiusmodi sententiam Episcopus ipse et non alius ab eo delegatus proferat: et pro modo culpæ, atque omni-

¹ Ex instruct. inssu Pii VI, anno 1775, ad Vicar. apost. Cochincinae data.

bus attentis circumstantiis caeteras quoque poenas reo irroget quæ in suprascriptis pontificiis constitutionibus decernuntur. Præterea si reus in iudicio crimen confessus fuerit, congruam debet emittere abiurationem, ut se ita purget ab ea, quam incurrit, hæresis suspicione: et hæc quoque poena in ipsa sententia multetur. Notandum est, poenas huiusmodi omnes et ipsam inhabilitatem ad sacrosanctum Missæ sacrificium celebrandum in decreto Benedicti XIV, die 5 Augusti anno 1745 præscriptam, esse tantum *ferendæ sententiæ*. Abstinentium tamen erit ab infligenda degradatione et traditione brachio saeculari. Id nimirum a Gregorio XV statutum fuit: ceterum *ad terrorem* potius impositum haberi debet quam ut executioni mandetur¹.

13. Qui nullis omnino super hoc crimine præventi denunciationsibus, conscientia victi, Ordinario loci eiusve delegato se sistant, patrata a se sollicitationis flagitia sponte confitentur et veniam petunt, dimitti debent cum congrua abiuratione et poenitentis dumtaxat salutaribus, adiecto consilio vel præcepto, ut ab excipiendis personarum sollicitatarum sacris confessionibus se abstinant: nec coeteris poenis antea dictis, accedentibus licet postmodum denunciationsibus, afficiantur. Qui vero iudicialia forma iam præventi, sed nondum citati, sua sponte se sistunt; et ii pariter quos, veritatem non integram sed diminutam in spontanea apparitione confessos esse Ordinarius loci ex acceptis postea denunciationsibus deprehenderit, beneficio impunitatis non gaudent, verumtamen pro ipsius Ordinarii prudentia mitius puniantur.

¹ Altit. op. cit. cap. 15 n. 13: et Benedict. XIV, in privata epistola die 11 Novembr. anno 1743 data ad Emmanuelem de Azevedo S. I. presbyterum.

14. Quod in hisce causis vel ex commissione apostolica vel ex iure episcoporum proprio tractandis maiorem in modum curari et observari debet illud est, ut eadem causae utpote ad fidem attinentes secretissime peragantur, et postquam fuerint definitae et executioni iam traditae perpetuo silentio omnino premantur. Omnes curiae ecclesiasticae administri, et quicumque alii ad has pertractandas vel patroni ad defendendas causas assumuntur, iusiurandum de secreto servando debent emittere, et ipsi Episcopi alique locorum Ordinarii ad servandum secretum obstringuntur, prout in iure cautum est cap. *Statuta* fin. de haeret. in 6, et Clementina *Multorum* § *Porro* de haereticis. Qui vero denunciationis oneri satisfaciunt, quique in hisce causis examini subiiciuntur, iuramentum ab initio de veritate dicenda, et actu expleto, de secreto servando, tactis sacrosanctis Dei evangelii, etiamsi sint sacerdotes, praestare tenentur. Haec si caute sancteque teneantur, nullum invidiae infamiaeque vel aliud quodvis periculum timeri potest, quod vel testes a dicenda veritate, vel competentes iudices ab investigando et condignis poenis animadvertendo sollicitationis crimine contineat.

15. Indultum fuit a Pio VI in instructione, de qua antea dictum est, anno 1775 ad vicarium apostolicum Cocincinae data, ut cum difficillimum sit in illis tam dissitis ac disparatis regionibus ea omnia adamussim servare, quae in hisce causis servanda sunt; et cum si aliqua ex his omittantur, iustitia non patiatur, ut poenae infligantur adversus reos, de quorum crimine iudiciaria ratione adhuc sufficienter non constat, tunc consultius fortasse esset si extra iudicii ordinem procedatur ad occurrendum tanto malo mediis et modis magis facilibus et expeditis, quos in casibus particularibus Vicarii apo-

stolici prudentia cum animarum zelo coniuncta suggeret. Iam vero quisque videt hanc indulgentiam pro locis adeo dissitis ac disparatis factam, neque omnibus esse communem, neque absque Apostolicae Sedis auctoritate iure posse abivis induci.

16. Ceterum si locorum Ordinarii in conficiendis processibus, vel etiam, confecto processu, in proferenda sententia contra sollicitantes ad turpia in confessione gravioribus involvantur difficultatibus, rem, transmissis actis, deferre poterunt ad hanc supremam Congregationem, quae peculiare instructiones singulis casibus accommodatas, ut saepe fit, tradet, ac definitivam sententiam, si expediens fuerit, ipsa proferet.

Haec sunt quae ad praedictam pontificiam constitutionem caute recteque exequendam conducunt, quaeque, utpote ubique locorum observata facilia, sacra haec Congregatio supremae et universalis Inquisitionis pastoralis Ordinariorum zelo ac sollicitudini vehementer commendat.

Datum Romae die 20 Februarii an. 1867. - C. Card. Patrizi.

XXX.

S. Officii instructio ad probandum obitum alicuius coniugis. — An. 1868.

Matrimonii vinculo duos tantummodo, « Christo ita docente, copulari, et coniungi posse; alterutro vero coniuge vita functo, secundas, imo et posteriores nuptias licitas esse, dogmatica Ecclesiae Catholicae doctrina est ».

Verum ad secundas, et posteriores nuptias quod at-

14. Quod in hisce causis vel ex commissione apostolica vel ex iure episcoporum proprio tractandis maiorem in modum curari et observari debet illud est, ut eadem causae utpote ad fidem attinentes secretissime peragantur, et postquam fuerint definitae et executioni iam traditae perpetuo silentio omnino premantur. Omnes curiae ecclesiasticae administri, et quicumque alii ad has pertractandas vel patroni ad defendendas causas assumuntur, iusiurandum de secreto servando debent emittere, et ipsi Episcopi alique locorum Ordinarii ad servandum secretum obstringuntur, prout in iure cautum est cap. *Statuta* fin. de haeret. in 6, et Clementina *Multorum* § *Porro* de haereticis. Qui vero denunciationis oneri satisfaciunt, quique in hisce causis examini subiiciuntur, iuramentum ab initio de veritate dicenda, et actu expleto, de secreto servando, tactis sacrosanctis Dei evangelii, etiamsi sint sacerdotes, praestare tenentur. Haec si caute sancteque teneantur, nullum invidiae infamiaeque vel aliud quodvis periculum timeri potest, quod vel testes a dicenda veritate, vel competentes iudices ab investigando et condignis poenis animadvertendo sollicitationis crimine contineat.

15. Indultum fuit a Pio VI in instructione, de qua antea dictum est, anno 1775 ad vicarium apostolicum Cocincinae data, ut cum difficillimum sit in illis tam dissitis ac disparatis regionibus ea omnia adamussim servare, quae in hisce causis servanda sunt; et cum si aliqua ex his omittantur, iustitia non patiatur, ut poenae infligantur adversus reos, de quorum crimine iudiciaria ratione adhuc sufficienter non constat, tunc consultius fortasse esset si extra iudicii ordinem procedatur ad occurrendum tanto malo mediis et modis magis facilibus et expeditis, quos in casibus particularibus Vicarii apo-

stolici prudentia cum animarum zelo coniuncta suggeret. Iam vero quisque videt hanc indulgentiam pro locis adeo dissitis ac disparatis factam, neque omnibus esse communem, neque absque Apostolicae Sedis auctoritate iure posse abivis induci.

16. Ceterum si locorum Ordinarii in conficiendis processibus, vel etiam, confecto processu, in proferenda sententia contra sollicitantes ad turpia in confessione gravioribus involvantur difficultatibus, rem, transmissis actis, deferre poterunt ad hanc supremam Congregationem, quae peculiare instructiones singulis casibus accommodatas, ut saepe fit, tradet, ac definitivam sententiam, si expediens fuerit, ipsa proferet.

Haec sunt quae ad praedictam pontificiam constitutionem caute recteque exequendam conducunt, quaeque, utpote ubique locorum observata facilia, sacra haec Congregatio supremae et universalis Inquisitionis pastoralis Ordinariorum zelo ac sollicitudini vehementer commendat.

Datum Romae die 20 Februarii an. 1867. - C. Card. Patrizi.

XXX.

S. Officii instructio ad probandum obitum alicuius coniugis. — An. 1868.

Matrimonii vinculo duos tantummodo, « Christo ita docente, copulari, et coniungi posse; alterutro vero coniuge vita functo, secundas, imo et posteriores nuptias licitas esse, dogmatica Ecclesiae Catholicae doctrina est ».

Verum ad secundas, et posteriores nuptias quod at-

tinet, cum de re agatur, quae difficultatibus, ac fraudibus haud raro est obnoxia, hinc Sancta Sedes sedulo curavit modo Constitutionibus generalibus, saepius autem responsis in casibus particularibus datis, ut libertas novas nuptias ineundi ita cuique salva esset, ut praedicta matrimonij unitas in discrimen non adduceretur.

Inde constituta Sacrorum Canonum, quibus, ut quis possit licite ad alia vota transire, exigitur quod de morte coniugis certo constet, uti cap. *Dominus, De secundis nuptiis*, vel quod de ipsa morte recipiatur certum nuptium, uti cap. *In praesentia, De sponsalibus, et matrimoniis*. Inde etiam ea quae explanatius traduntur in Instructione « *Cum alias* », 21 Augusti 1670 a Clemente X sancita, et in Bullario Romano inserta super examine testium pro matrimoniis contrahendis in Curia Eñi Vicarii Urbis, et coetereorum Ordinariorum. Maxime vero quae propius ad rem facientia ibi habentur nn. 12. et 13.

Et haec quidem abunde sufficerent si in eiusmodi causis peragendis, omnimoda, et absoluta certitudo de alterius Coniugis obitu haberi semper posset; sed cum id non sinant casuum propemodum infinitae vices (quod sapienter animadversum est in laudata Instructione his verbis: *Si tamen huiusmodi testimonia haberi non possunt, Sacra Congregatio non intendit excludere alias probationes, quae de iure communi possunt admitti, dummodo legitimae sint, et sufficientes*), sequitur, quod, stantibus licet principis generalibus praesentibus, haud raro casus eveniunt, in quibus Ecclesiasticorum Praesidum iudicia haerere solent in vera iustaque probatione dignoscenda, ac statuenda, imo pro summa illa facilitate, quae aetate nostra facta est remotissimas quasque regiones atleundi, ita ut in omnes fere orbis partes homines

divagentur, eiusmodi casuum multitudo adeo succrevit, ut frequentissimi haec de re ad Supremam hanc Congregationem habeantur recursus, non sine parvo partium incommodo, quibus inter informationes, atque instructiones, quas pro re nata, ut aiunt, peti, mittique necesse est, plurimum defluit temporis, quin possint ad optata vota convolare.

Quapropter Sacra eadem Congregatio huiusmodi necessitatibus occurrere percipiens, simulque perpendens, in dissitis praesertim missionum locis, Ecclesiasticos praesides opportunis destitui subsidiis, quibus ex gravibus difficultatibus extricare se valeant, e re esse censuit uberiorem edere Instructionem, in qua, iis, quae iam tradita sunt, nullo pacto abrogatis, regulae indigentur, quas in eiusmodi casibus haec ipsa S. Congregatio sequi solet, ut illarum ope, vel absque necessitate recursus ad Sanctam Sedem, possint iudicia ferri, vel certe, si recurrendum sit, status quaestionis ita dilucide exponatur, ut impediri longiori mora sententia non debeat. Itaque:

1. — Cum de coniugis morte quaestio instituitur, notandum primo loco, quod argumentum a sola ipsius absentia quantacumque (licet a legibus civilibus fere ubique admittatur) a Sacris Canonibus minime sufficiens ad iustam probationem habetur. Unde sa. me. Pius VI ad Archiepiscopum Pragensem die 11 Iulii 1789 rescripsit, solam coniugis absentiam, atque omnimodum eiusdem silentium *satis argumentum non esse ad mortem comprobendam*, ne tum quidem cum edicto regio coniux absens evocatus (idemque porro dicendum est, si per publicas ephemerides id factum sit) nullum suimet indicium dederit. *Quod enim non comparuerit, idem ait Pontifex, non magis mors in causa esse potuit, quam eius contumacia.*

2. — Hinc ad praescriptum eorundem sacrorum Canonum, documentum authenticum obitus diligenti studio exquiri omnino debet; exaratum scilicet ex registis Paroeciae, vel Xenodochii, vel militiae, vel etiam, si haberi nequeat ab auctoritate ecclesiastica, a Gubernio civili loci in quo, ut supponitur, persona obierit.

3. — Porro quandoque hoc documentum haberi nequit; quo casu testium depositionibus supplendum erit, Testes vero duo saltem esse debent, iurati, fide digni, et qui de facto proprio deponant, defunctum cognoverint, ac sint inter se concordēs quoad locum, et causam obitus, aliasque substantiales circumstantias. Qui insuper, si defuncti propinqui sint, aut socii itineris, industriae, vel etiam militiae, eo magis plurimi faciendum erit illorum testimonium.

4. — Interdum unus tantum testis examinandus reperitur, et licet ab omni iure testimonium unius ad plene probandum non admittatur, attamen ne coniux alias nuptias inire peroptans, vitam coelibem agere cogatur, etiam unius testimonium absolute non respuit Suprema Congregatio in dirimendis huiusmodi casibus, dummodo ille testis recensitis conditionibus sit praeditus, nulli exceptioni obnoxius, ac praeterea eius depositio alijs gravibusque adminiculis fulcatur; sique alia extrinseca adminicula colligi omnino nequeant, hoc tamen certum sit, nihil in eius testimonio reperiri, quod non sit congruum atque omnino verisimile.

5. — Contingit etiam ut testes omnimoda fide digni testificentur se tempore non suspecto mortem coniugis ex aliorum attestatione audivisse, isti autem vel quia absentes, vel quia obierint, vel aliam ob quamcumque rationabilem causam examinari nequeunt; tunc dicta ex alieno ore, quatenus omnibus aliis in casu concurrentibus

circumstantiis, aut saltem urgentioribus respondeant, satis esse censentur pro sequutae mortis prudenti iudicio.

6. — Verum, haud semel experientia compertum habetur, quod nec unus quidem reperitur testis qualis supra adstruitur. Hoc in casu probatio obitus ex coniecturis, praesumptionibus, indiciiis, et adiunctis quibuscumque, sedula certe et admodum cauta investigatione curanda erit; ita nimirum, ut pluribus hinc inde collectis, eorumque natura perpensa, prout scilicet urgentiora, vel leviora sunt, seu propiore vel remotiore nexu cum veritate mortis coniungantur, inde prudentis viri iudicium ad eandem mortem affirmandam probabilitate maxima, seu morali certitudine permoveri possit. Quapropter quandonam in singulis casibus habeatur ex huiusmodi coniecturis simul coniunctis iusta probatio, id prudenti relinquendum est iudicis arbitrio; heic tamen non abs re erit plures indicare fontes ex quibus illae sive urgentiores, sive etiam leviores colligi, et haberi possint.

7. — Itaque in primis illae praesumptiones investigandae erunt quae personam ipsius asserti defuncti respiciunt, quaeque profecto facile haberi poterunt a coniunctis, amicis, vicinis, et quoquo modo notis utriusque coniugis. In quorum examine requiratur *ex. gr.*

An ille, de cuius obitu est sermo, bonis moribus imbutus esset; pie, religioseque viveret; uxoremque diligeret; nullam sese occultandi causam haberet; utrum bona stabilia possideret, vel alia a suis propinquis, aut aliunde sperare posset.

An discesserit, annuentibus uxore et coniunctis; quae tunc eius aetas, et valetudo esset.

An aliquando, et quo loco scripserit, et num suam voluntatem quamprimum redeundi aperuerit, aliaque huius generis indicia colligantur.

Alia ex rerum adiunctis pro varia absentiae causa colligi indicia sic poterunt:

Si ob militiam abierit, a duce militum requiratur quid de eo sciat; utrum alicui pugnae interfuerit; utrum ab hostibus fuerit captus; num castra deseruerit, aut destinationes periculosas habuerit etc.

Si negotiationis causa iter susceperit, inquiratur utrum, tempore itineris, gravia pericula fuerint ipsi superanda; num solus profectus fuerit, vel pluribus comitatus; utrum in regionem ad quam se contulit supervenerint seditiones, bella, fames, et pestilentiae etc. etc.

Si maritimum iter fuerit aggressus, sedula investigatio fiat a quo portu discesserit; quinam fuerint itineris socii; quo se contulerit; quod nomen navis quam conscendit; quis eiusdem navis gubernator; an naufragium fecerit; an societas quae navis cautionem forsan dedit, pretium eius solverit; aliaeque circumstantiae, si quae sint, diligenter perpendantur.

8. - Fama quoque aliis adiuta adminiculis argumentum de obitu constituit, hisce tamen conditionibus, nimirum; quod a duobus saltem testibus fide dignis, et iuratis comprobetur; qui deponant de rationabili causa ipsius famae; an eam acceperint a maiori et saniori parte populi, et an ipsi de eadem fama recte sentiant; nec sit dubium illam fuisse concitatum ab illis, in quorum commodum inquiritur.

9. - Tandem, si opus fuerit, praetereunda non erit investigatio per publicas ephemerides, datis Directori omnibus necessariis personae iudicis, nisi ob speciales circumstantias saniori ac prudentiori consilio aliter censeatur.

10. - Haec omnia pro opportunitate casuum Sacra haec Congregatio diligenter expendere solet; cumque

de re gravissima agatur, cunctis aequa lance libratis, atque insuper auditis plurium Theologorum, et iurisprudendum suffragiis, denique suum iudicium pronunciat, an de tali obitu satis constet, et nihil obstet quominus petenti transitus ad alias nuptias concedi possit.

11. - Ex his omnibus Ecclesiastici Praesides certam desumere possunt normam quam in huiusmodi iudiciis sequantur. Quod si non obstantibus regulis hucusque notatis res adhuc incerta et implexa illis videatur, ad Sanctam Sedem recurrere debebunt, actis omnibus cum ipso recurso transmissis, aut saltem diligenter expositis.

XXXI.

S. C. de Prob. Fide Litt. encycl. de matrimoniis mixtis.
— 11 Martii 1868.

Post editam Instructionem ad omnes Archiepiscopos, Episcopos aliosque locorum Ordinarios de dispensationibus super impedimento mixtae religionis quoad promiscua coniugia, cui sub die 15 Nov. 1858 subscripsit Emiss ac Rmiss D. Cardinalis Antonelli eae ad S. Congregationem pervenerunt notitiae, non solum circa auctam nonnullis in locis facilitatem mixta coniugia absque iusta et gravi causa contrahendi, verum etiam circa dispensationes quae pro connubiis illis delegata potestate conceduntur, ut plane perspicuum sit laudatam instructionem, non ubique locorum recte interpretari, sed potius ad erroneum sensum eiusdem literae ac spiritui contrarium alicubi detorqueri. Illa enim instructio expresse commemorat quid catholica Ecclesia de huiusmodi catholicis inter atque acatholicos

nuptiis constanter senserit, cum explicite tradat Ecclesiam eas semper improbasse, ac tamquam illicitas ac perniciosas habuisse, tum ob flagitiosam in divinis communionem, tum ob impendens catholico coniugi perversionis periculum, tum ob pravam sobolis institutionem: deia vero in Ordinariorum memoriam revocat antiquissimos canones, nec non recentiores Summorum Pontificum sanctiones quibus, etsi aliquid de severitate canonum remissum sit, adeo ut mixta coniugia quandoque permittantur, id tamen gravibus dumtaxat de causis atque aegre admodum fit, ac nonnisi sub expressa conditione de praemittendis necessariis opportunisque cautionibus in naturali atque divino iure fundatis, ut scilicet non solum catholicus coniux ab acatholico perverti non possit, quin imo catholicus ipse coniux teneri se sciat ad acatholicum pro viribus ab errore retrahendum, verum etiam ut universa utriusque sexus proles ex mixtis matrimoniis procreanda in sanctitate catholicae religionis educari omnino debeat.

Quae cum ita sint, mirari omnino debuit Sacra haec Congregatio, quod nonnullis videri potuerit praedicta instructione principiis, quae semper Sancta Sedes circa mixta connubia tenuit ac docuit, aliquo modo derogari. Ac ne forte ex perperam intellecta instructione illa, quae tamen luculentissima est, commissus tibi populus quidquam detrimenti capiat, sollicitudinem tuam enixe adhortor in Domino, ut clero ac fidelibus tuae subditis iurisdictioni, data occasione, veram Ecclesiae doctrinam ac praxim circa matrimonia mixta tradere ac inculcare studeas. Porro quemadmodum probe cognoscis, ad matrimonium mixtum permittendum, minime sufficit ut sponsi cautiones, de quibus supra, admittere parati sint, nec non ceteras clausu-

las in rescriptis Apostolicae Sedis adherere solitas, sed omnino *iustae gravesque* requiruntur causae ut facultas dispensandi super mixtae communionis impedimento licite executioni mandetur. Cautiones enim illae ideo naturali divinoque iure exiguntur atque exigi debent, ut pericula intrinseca quae mixtis insunt matrimoniis removeantur; at vero ut gravibus fidei ac morum periculis etiam sub opportunis cautionibus fideles se exponere permittantur, grave aliquod incommodum ceteroquin haud devitandum immineat necesse est. Quod si aliquando in memorata instructione mos adhibendi ritum pro matrimoniis contrahendis in dioecessano Rituali legitime praescriptum, exclusa tamen semper missae celebratione, in mixtis coniugiis contrahendis tolerari posse perhibetur, id tamen nonnisi per modum exceptionis indulgetur ac sub conditione *ut omnia rerum locorum ac personarum adiuncta diligentissime perpendantur, atque onerata Episcoporum conscientia super omnium circumstantiarum veritate ac gravitate*. Tantum abest ut inibi principiis, quae Sedes Apostolica circa mixta connubia quovis tempore professa est, vel minimum detrabatur!

Quamobrem enixe peto a charitate tua ut quantum cum Domino poteris fideles tibi commissos a mixtis matrimoniis contrahendis arcere satagas atque contendas, quo gravissima, quae in iis continentur, pericula praecaveantur ac devitentur. Id autem facilius assequeris, si eos opportune instruendos curaveris circa peculiarem qua tenentur obligationem Ecclesiae vocem hac in re audiendi, nec non obsequendi praepositis suis, qui strictissimam aeterno Pastorum Principi rationem essent reddituri, si matrimonia mixta non tantum ob gravissimas causas aliquando permitterent,

verum etiam facile atque ad potentium libitum a fidelibus contrahi cum acatholicis tolerarent.

XXXII.

S. Officii instructio ad Archiepiscopum S. Jacobi de Chile super matrimoniis hæreticorum. — 17 Maii 1869.

Acceptis tuis litteris datis die 1 Julii 1867 quibus Supremæ huic S. O. Congregationi novas suppeditalias notitias a te pridem requisitas de hæreticorum coniugiis prout in ista Chilena republica contrahi solent, et hac occasione plura addebas de sensu quem tribuendum existimas civilibus legibus anno 1844 circa eadem coniugia ibidem latis, tam grave Em̃is Patribus visum est argumentum ut in eo discutendo et quaquaversus examinando iterum iterumque commorari voluerint. Verum attente consideratis, hinc quidem singulis memoratarum legum articulis coniugia hæreticorum respicientibus, inde autem tua ad parochum Valparadisiensem SS. XII Apostolorum instructione circa eadem coniugia, Em̃i Patres iudicarunt istiusmodi instructionem minime approbari posse. Certum enim exploratumque omnibus est cum agitur de parochi nuptiali contrahentium consensui adistente, quamcumque eius sive renuentiam, sive contradictionem, sive etiam artificium quo simulet personam se esse a parochi diversam, efficere minime posse ut in eo actu desinat esse verus contrahentium parochus, seu testis ille qualificatus et auctorizabilis ad expiendum contrahentium consensum ab Ecclesia constitutus. Quod vero spectat impedimenta, sat est ut animo recolas quæ die 13 Aprilis 1867 S. C. tibi scribebat, nimirum < hæreticos

quoque et schismaticos subici impedimentis matrimonialibus iure canonico statutis, ideoque impedimenta huiusmodi, quamvis a civili lege pro effectibus civilibus, uti fas est, recognita, non tamquam civilia sed principaliter tamquam canonica haberi debere, et super iis non nisi spirituali ecclesiae potestate dispensari posse ».

Hoc tamen dum Em̃i Patres de tua instructione proferre coacti sunt iudicium, dissimulare sibi non potuerunt gravissima mala quæ religioni in ista Chilena republica imminet, si clerus contra usum viginti abhinc annis invectum renueret modo hæreticorum coniugiis sese immiscere, suaque agendi ratione gubernium induceret ad eadem coniugia aliter moderanda ac cautum fuit per civiles leges anni 1844. Quapropter S. hæc Congregatio, omnibus et locorum et temporum circumstantiis mature perpensis, censuit clerum Chilenum in gravi qua premitur necessitate obscundandi legibus nunc vigentibus de hæreticorum coniugiis, iustam excusationem habere si a rigida SS. Canonum observantia, in rebus tamen et sub cautionibus infra exponendis, eximatur. Cumque tria potissimum sint quæ in coniugiis prædictis difficultatem facessere videntur; scilicet assistentia quam parochi exhibere nupturientibus debent, bannorum publicatio et relaxatio ab impedimentis, si quæ forte inter sponsos occurrant, Em̃i Patres, attentis rationibus superius allatis iisque perdurantibus, hæc tolerari posse iudicarunt.

In primis tolerari posse dixerunt quod in republica Chilena parochi catholici alique sacerdotes parochorum vice fungentes matrimonii hæreticorum tamquam meri testes qualificati et auctorizabiles assistant, his tamen sub conditionibus: 1. si nullum subsit scandalum periculum: 2. si constet sufficienter contrahentes nullo deti-

neri sive divini, sive etiam ecclesiastici iuris impedimento: 3. si parochi materialem tantum praesentiam exhibeant, ita scilicet ut nullo adhibito ecclesiastico ritu, ideoque sine vestibus sacris, sine ullis precibus et benedictionibus, atque extra locum sacrum satis habeant utriusque sponsi consensum audire et actum valide gestum deinceps pro suo officio in matrimoniorum librum referre ¹.

Tolerari item posse definiunt ut a parochis consuetae proclamationes fiant, at extra locum sacrum, omnique praetermissa mentione circa religionem illorum qui nuptias sint contracturi, nec non ut ab iisdem parochis de peractis haece proclamationibus literae mere testimoniales concedantur, in quibus (dummodo nullum adsit dirimens impedimentum) unice enunciatur matrimonio conciliando nullum obstare huiusmodi impedimentum ².

Denique de re multo difficiliore agi senserunt ubi sermo sit de dispensatione haereticis indulgenda ab ecclesiasticis impedimentis.

Cum enim haeretici quamdiu in sua rebellione contra Ecclesiam persistunt indigni prorsus sint quibuscumque Ecclesiae ipsius favoribus et gratiis, hinc S. Sedes adeo semper abhorruit a canonica impedimentorum matrimonialium disciplina pro haereticis nondum conversis relaxanda ut induci numquam potuerit ad eiusmodi dispensationes illis concedendas, et quando scivit alicubi per episcopos ex praesumpta ipsius venia

¹ Desumpta haec fuere ex instructione Card. Lambruschini ad Primum et Episcopos Hungariae (Vid. Roskovany, De matrim. mixt. tom. 2. p. 818 et 819).

² Desumpta haec fuere tum ex scripto Pii VI ad Archiep. Mechlin. dato die 31 Maii 1783, tum ex praedicta instr. Card. Lambr. (Vid. cit. op. tom. 2. p. 2. pag. 72 et 819).

gravi urgente necessitate concessas, positivo actu eas approbare numquam voluerit. Qua attenta S. Sedis iustissima severitate, iam intelligit Amplitudo Tua quomodo gerere se debeat cum haereticis in tua dioecesi commorantibus, si illorum nuptiis aliquod obesse viderit canonicum impedimentum. Cum in republica Chilena quaevis impedimenta canonica ob adiunctam eis a legibus civilem sanctionem non modo coram Deo et ecclesia, sed etiam civiliter obligent, facile erit A. Tuae praedictis haereticis; iis praesertim qui vel dispensari minime postulant vel petitionis suae nullam proferunt iustam causam, civilem dispositionem opponere, atque a dispensatione concedenda abstinere. Quod si in aliquo peculiari casu haereticis ad te pro dispensatione confugientibus, eiusmodi circumstantias concurrere perspexeris, ut vel dispensatio ad religionis bonum et animarum salutem non parum conferre posse tibi videatur, vel ea denegata dispensatione non leves in ecclesiam molestias ex parte praesertim gubernii derivaturas praesentias, hisce in casibus tuum erit cuncta mature considerare, et implorato in re tanti momenti Spiritus Sancti lumine, id consilii capere quod magis in Domino expedire censueris. Si vero adiunctorum gravitate per-motus ab impedimento quod nuptiarum validitati obesse constat (dummodo sit ex illis quae continentur in facultatibus tibi a S. Sede favore catholicorum concessis) dispensandum putaveris, scias Summum Pontificem nullo unquam suo actu id esse probaturum, toleraturum tamen invito quidem sed patienti animo, et hanc S. Sedis tolerantiam sufficere tibi debere ut tuta conscientia agere possis.

Nihilominus illud etiam scias oportet mentem esse Sanctitatis Suae ne hac tolerantia uti valeas nisi ad

tempus quo tibi perduraverint praedictae facultates pro catholicis eisdemque legibus in ista Chilena republica quoad haereticorum coniugia persistentibus, atque insuper ut termino dictarum facultatum elapso si eas tibi ad aliud tempus prorogari obtinueris, non idcirco tolerantia haec prorogata intelligi debeat, nisi ipsa quoque novo actu verbisque expressis fuerit repetita¹.

Hisce omnibus A. Tua tutam habet normam iuxta quam se gerere valeat in gravissimo de quo agitur negotio. Ne autem contingat ut inter te ac tuos istius reipublicae Chilenaе suffraganeos ulla oriatur in re tanti momenti agendi diversitas, quod certe in religionis dedecus et damnum cedere posset, tui muneris erit praesentem instructionem nomine huius S. Congregationis praedictis episcopis communicare, ut et ipsi eadem sese adamussim conforment.

Datum ex S. O. Fer. IV die 17 Maii 1869.

XXXIII.

Pii IX Constitutio, qua ecclesiasticae censurae latae sententiae limitantur. — 12 Oct. 1869.

Apostolicae Sedis moderationi convenit, quae salubriter veterum Canonum auctoritate constituta sunt, sic retinere, ut, si temporum rerumque mutatio quidpiam esse temperandum prudenti dispensatione suadeat, eadem Apostolica Sedes congruum supremae suae potestatis remedium ac providentiam impendat. Quamobrem, cum animo Nostro iampridem revolve-

¹ Haec desumpta fuerunt ex instructione Cardinalis Albani ad Archiepiscopum Coloniensem ei data die 27 Martii 1830 (Vil. op. cit. tom. 2. pag. 243).

remus, ecclesiasticas censuras, quae per modum latae sententiae, ipsoque facto incurrendae ad incolumitatem ac disciplinam ipsius Ecclesiae tutandam, effraenemque improborum licentiam coercendam et emendandam, sancte per singulas aetates indictae ac promulgatae sunt, magnum ad numerum sensim exerevise; quasdam etiam, temporibus moribusque mutatis, a fine atque causis, ob quas impositae fuerant, vel a pristina utilitate atque opportunitate excidisse; eamque ob rem non infrequentes oriri sive in iis, quibus animarum cura commissa est, sive in ipsis fidelibus dubietates, anxietates, angoresque conscientiae; Nos, eiusmodi incommodis occurrere volentes, plenam earundem recensionem fieri Nobisque proponi iussimus, ut, diligenti adhibita consideratione, statueremus, quasnam ex illis servare ac retinere oporteret, quas vero moderari, aut abrogare congrueret. Ea igitur recensione peracta, ac Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, in negotiis Fidei Generalibus Inquisitoribus per universam Christianam Rempublicam deputatis, in consilium adscitis, reque diu ac mature perpensa, motu proprio, certa scientia, matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, hac perpetuo valitura Constitutione decernimus, ut ex quibuscumque censuris sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, quae per modum latae sententiae, ipsoque facto incurrendae hactenus impositae sunt, non nisi illae, quas in hac ipsa Constitutione inserimus, eoque modo quo inserimus, robur exinde habeant; simul declarantes, easdem, non modo ex veterum canonum auctoritate, quatenus cum hac Nostra Constitutione conveniunt, verum etiam ex hac ipsa Constitutione

Nostra, non secus ac si primum editae ab ea fuerint, vim suam prorsus accipere debere.

Excommunicationes latae sententiae, speciali modo Romano Pontifici reservatae.

Itaque excommunicationi latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatae subiaccere declaramus:

1. Omnes a christiana fide apostatas, et omnes ac singulos haereticos, quocumque nomine censeantur, et cuiuscumque sectae existant, eisque credentes, eorumque receptores, fautores, ac generaliter quoslibet illorum defensores.

2. Omnes et singulos scienter legentes, sine auctoritate Sedis Apostolicae, libros eorumdem apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes; nec non libros cuiusvis auctoris per Apostolicas Litteras nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes, et quomodolibet defendentes.

3. Schismaticos, et eos qui a Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter se subtrahunt, vel recedunt.

4. Omnes et singulos, cuiuscumque status, gradus, seu conditionis fuerint, ab ordinationibus seu mandatis Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad universale futurum Concilium appellantes, nec non eos, quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuerit.

5. Omnes interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicae Legatos vel Nuncios, aut eos a suis Dioccesibus, Territoriis, Terris,

seu Dominiis, efficientes, nec non ea mandantes, vel rata habentes, seu praestantes in eis auxilium, consilium vel favorem.

6. Impedientes directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesasticae sive interni sive externi fori, et ad hoc recurrentes ad forum saeculare eiusque mandata procurantes, edentes, aut auxilium, consilium, vel favorem praestantes.

7. Cogentes, sive directe sive indirecte, iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas Ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones: item edentes leges vel decreta contra libertatem aut iura Ecclesiae.

8. Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas Litteras vel acta quaelibet a Sede Apostolica, vel ab eiusdem Legatis aut Delegatis quibuscumque profecta, eorumque promulgationem vel executionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive ipsas partes, sive alios laedentes, vel perterreficientes.

9. Omnes falsarios Litterarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis, ac supplicationum gratiam vel iustitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vice-Cancellarios seu Gerentes vices eorum, aut de mandato eiusdem Romani Pontificis signatarum; nec non falso publicantes Litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis, et etiam falso signantes supplicationes huiusmodi sub nomine Romani Pontificis, seu Vice-Cancellarii aut Gerentis vices praedictorum.

10. Absolventes complicem in peccato turpi etiam in mortis articulo, si alius Sacerdos licet non adprobatus ad confessiones, sine gravi aliqua exortura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem.

11. Usurpantes aut sequestrantes iurisdictionem,

bona, reditus ad personas ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum aut beneficiorum pertinentes.

12. Invadentes, destruentes, detinentes per se vel per alios Civitates, Terras, loca aut iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia; vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam iurisdictionem in eis; nec non ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebentes.

A quibus omnibus excommunicationibus huc usque recensitis absolutionem Romano Pontifici pro tempore speciali modo reservatam esse et reservari; et pro ea generalem concessionem absolventi a casibus et censuris, sive excommunicationibus Romano Pontifici reservatis nullo pacto sufficere declaramus, revocatis insuper eorumdem respectu quibuscumque indultis concessis sub quavis forma et quibusvis personis etiam Regularibus cuiuscumque Ordinis, Congregationis, Societatis et Instituti, etiam speciali mentione dignis et in quavis dignitate constitutis. Absolvere autem praesumentes sine debita facultate, etiam quovis praetextu, excommunicationis vinculo Romano Pontifici reservatae innotatos se sciant, dummodo non agatur de mortis articulo, in quo tamen firma sit quoad absolutos obligatio standi mandatis Ecclesiae, si convaluerint.

Excommunicationes latae sententiae Romano Pontifici reservatae.

Excommunicationi latae sententiae Romano Pontifici reservatae subiacere declaramus:

1. Docentes vel defendentes, sive publice, sive privatim, propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub excommunicationis poena latae sententiae; item do-

centes vel defendentes tanquam licitam praxim inquirendi a poenitente nomen complicitis, prouti damnata est a Benedicto XIV in Const. *Suprema* 7 Iulii 1745, *Ubi primum* 2 Iulii 1746, *Ad eradicandum* 28 Septembris 1746.

2. Violentas manus, suadente diabolo, iniicientes in Clericos, vel utriusque sexus Monachos, exceptis, quoad reservationem, casibus et personis, de quibus iure vel privilegio permittitur, ut Episcopus aut alius absolvat.

3. Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes, et quoslibet complices, vel qualemcumque operam aut favorem praebentes, nec non de industria spectantes, illudque permitentes, vel quantum in illis est non prohibentes, cuiuscumque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis.

4. Nomen dantes sectae *Massenicae*, aut *Carbonariae*, aut aliis eiusdem generis sectis, quae contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam, seu clandestine machinantur; nec non iisdem sectis favorem qualemcumque praestantes; earumve occultos coriphaeos ac duces non denunciantes, donec non denunciaverint.

5. Immunitatem asyli ecclesiastici, ausu temerario, violare iubentes aut viplantes.

6. Violantes clausuram Monialium, cuiuscumque generis aut conditionis, sexus vel aetatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo; pariterque eos introducentes vel admittentes; itemque Moniales ab illa exeuntes extra casus ac formam a S. Pio V. in Constit. *Decori* praescriptam.

7. Mulieres violantes Regularium virorum clausuram, et Superiores aliosve eas admittentes.

8. Reos simoniae realis in beneficiis quibuscumque, eorumque complices.

9. Reos simoniae confidentialis in beneficiis quibuslibet, cuiuscumque sint dignitatis.

10. Reos simoniae realis ob ingressum in Religionem.

11. Omnes, qui quaestum facientes ex indulgentiis aliisque gratis spiritualibus, excommunicationis censura plectuntur Constitutione S. Pii V. *Quam plenum* 2 Ianuarii 1554.

12. Colligentes elemosynas maioris pretii pro missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent.

13. Omnes qui excommunicatione mulctantur in Constitutionibus S. Pii V. *Admonet nos* quarto Kalendas Aprilis 1567, Innocentii IX. *Quae ab hac Sede* pridie nonas Novembris 1591, Clementis VIII. *Ad Romani Pontificis curam* 26 Iunii 1592, et Alexandri VII. *Inter ceteras* nono Kalendas Novembris 1660, alienationem et infeudationem Civitatum et Locorum S. R. E. respicientibus.

14. Religiosos praesumentes clericis aut laicis extra casum necessitatis Sacramentum Extremae Unctionis, aut Eucharistiae per viaticum ministrare absque Parochi licentia.

15. Extrahentes absque legitima venia reliquias ex sacris Coemeteriis sive Catacumbis Urbis Romae eiusque territorii, eisque auxilium vel favorem praebentes.

16. Communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in crimine criminoso, ei scilicet impendendo auxilium vel favorem.

17. Clericos scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a Romano Pontifice nominatim excommunicatis, et ipsos in officiis recipientes.

Excommunicationes latae sententiae Episcopis sive Ordinariis reservatae.

Excommunicationi latae sententiae Episcopis sive Ordinariis reservatae subiacere declaramus:

1. Clericos in Sacris constitutos, vel Regulares aut Moniales post votum solenne castitatis, matrimonium contrahere praesumentes; nec non omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium contrahere praesumentes.

2. Procurantes abortum, effectu sequuto.

3. Litteris Apostolicis falsis scienter utentes, vel crimini ea in re cooperantes.

Excommunicationes latae sententiae nemini reservatae.

Excommunicationi latae sententiae nemini reservatae subiacere declaramus:

1. Mandantes seu cogentes tradi Ecclesiasticae Sepulturae haereticos notorios, aut nominatim excommunicatos vel interdictos.

2. Lacerantes aut perterrefacientes Inquisitores, denuntiantes, testes, aliosve ministros S. Officii; eiusve Sacri Tribunalis scripturas diripientes, aut comburentes; vel praedictis quibuslibet auxilium, consilium, favorem praestantes.

3. Alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica absque Beneplacito Apostolico, ad formam Extravagantis *Ambitiosae* de Reb. Ecc. non alienandis.

4. Negligentes, sive culpabiliter omittentes, denunciare infra mensem Confessarios sive Sacerdotes a quibus sollicitati fuerint ad turpia, in quibuslibet casibus expressis a Praedecessoribus Nostris Gregorio XV Constit. *Universi* 20 Augusti 1622, et Benedicto XIV Constit. *Sacramentum poenitentiae* 1 Junii 1741.

Praeter hos hactenus recensitos, eos quoque quos Sacrosanctum Concilium Tridentinum, sive reservata Summo Pontifici aut Ordinariis absolute, sive absque ulla reservatione excommunicavit, Nos pariter ita excommunicatos esse declaramus; excepta anathematis poena in Decreto Sess. IV *De editione et usu Sacrorum Librorum* constituta, cui illos tantum subiacere volumus, qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt, aut imprimi faciunt.

Suspensiones latae sententiae Summo Pontifici reservatae.

1. Suspensionem ipso facto incurrunt a suorum Beneficiorum perceptione, ad beneplacitum S. Sedis, Capitulo et Conventus Ecclesiarum et Monasteriorum, alique omnes, qui ad illarum seu illorum regimen et administrationem recipiunt Episcopos aliosve Praelatos de praedictis Ecclesiis seu Monasteriis apud eandem S. Sedem quovis modo provisos, antequam ipsi exhibuerint Litteras Apostolicas de sua promotione.

2. Suspensionem per triennium a collatione Ordinum ipso iure incurrunt aliquem ordinantes absque titulo beneficii, vel patrimonii, cum pacto ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta.

3. Suspensionem per annum ab Ordinum admini-

stratione ipso iure incurrunt ordinantes alienum subditum etiam sub praetextu beneficii statim conferendi, aut iam collati, sed minime sufficientis, absque eius Episcopi litteris dimissorialibus; vel etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii eius loci litteris testimonialibus.

4. Suspensionem per annum a collatione Ordinum ipso iure incurrunt, qui, excepto casu legitimi privilegii, Ordinem Sacrum contulerit absque titulo beneficii vel patrimonii clerico in aliqua Congregatione viventi, in qua sollemnis professio non emittitur, vel etiam religioso nondum professo.

5. Suspensionem perpetuam ab exercitio Ordinum ipso iure incurrunt Religiosi eieci, extra Religionem degentes.

6. Suspensionem ab Ordine suscepto ipso iure incurrunt, qui eundem Ordinem recipere praesumpserunt ab excommunicato vel suspensio, vel interdicto, nominatim denunciatis, aut ab haeretico vel schismatico notorio: eum vero qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere Ordinis sic suscepti, donec dispensetur, declaramus.

7. Clerici saeculares exteri, ultra quatuor menses in Urbe commorantes, ordinati ab alio quam ab ipso suo Ordinario absque licentia Card. Urbis Vicarii, vel absque praevio examine coram eodem peracto, vel etiam a proprio Ordinario posteaquam in praedicto examine reiecti fuerint; nec non clerici pertinentes ad aliquem e sex Episcopatibus suburbicariis, si ordinantur extra suam dioecesim, dimissorialibus sui Ordinarii ad alium directis quam ad Card. Urbis Vicarium; vel non praemissis ante Ordinem Sacrum suscipiendum

exercitiis spiritualibus per decem dies in domo urbana Sacerdotum a Missione nuncupatorum, suspensionem ab Ordinibus sic susceptis, ad beneplacitum S. Sedis, ipso iure incurrunt: Episcopi vero ordinantes ab usu Pontificalium per annum.

Interdicta latae sententiae reservata.

1. Interdictum Romano Pontifici speciali modo reservatum ipso iure incurrunt Universitates, Collegia et Capitula, quocumque nomine nuncupentur, ab ordinationibus seu mandatis eiusdem Romani Pontificis pro tempore existentis ad universale futurum Concilium appellantia.

2. Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis ab Ordinario, vel delegato Iudice, vel a iure interdictis; aut nominatim excommunicatos ad divina officia, seu ecclesiastica Sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam admittentes, interdictum ab ingressu Ecclesiae ipso iure incurrunt, donec ad arbitrium eius, cuius sententiam contempserunt, competenter satisfecerint.

Denique quoscumque alios Sacrosanctum Concilium Tridentinum suspensos aut interdictos ipso iure esse decrevit, Nos pari modo suspensioni vel interdicto eosdem obnoxios esse volumus et declaramus.

Quae vero censurae sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, Nostris, aut Praedecessorum Nostrorum Constitutionibus, aut sacris Canonibus, praeter eas, quas recensuimus, latae sunt, atque hactenus in suo vigore persisterunt, sive pro Romani Pontificis electione, sive pro interno regimine quorum-

cumque Ordinum et Institutorum Regularium, nec non quorumcumque Collegiorum, Congregationum, Coetuum Locorumque piorum, cuiuscumque nominis, aut generis sint, eas omnes firmas esse, et in suo robore permanere volumus et declaramus.

Caeterum decernimus, in novis quibuscumque concessionibus ac privilegiis, quae ab Apostolica Sede concedi cuivis contigerit, nullo modo ac ratione intelligi unquam debere, aut posse comprehendi facultatem absolvendi a casibus et censuris quibuslibet Romano Pontifici reservatis, nisi de iis formalis, explicita ac individua mentio facta fuerit: quae vero privilegia aut facultates, sive a Praedecessoribus Nostris, sive etiam a Nobis cuilibet Coetui, Ordini, Congregationi, Societati, et Instituto, etiam regulari cuiusvis speciei, etsi titulo peculiari praedito, atque etiam speciali mentione digno, a quovis unquam tempore huc usque concessae fuerint, ea omnia, easque omnes Nostra hac Constitutione revocatas, suppressas, et abolitas esse volumus, prout reapse revocamus, supprimimus, et abolemus; minime refragantibus aut obstantibus privilegiis quibuscumque, etiam specialibus, comprehensis, vel non, in Corpore iuris, aut Apostolicis Constitutionibus, et quavis confirmatione Apostolica, vel immemorabili etiam consuetudine, aut alia quacumque firmitate roboratis, quibuslibet etiam formis ac tenoribus, et cum quibusvis derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, quibus omnibus, quatenus opus sit, derogare intendimus, et derogamus.

Firmam tamen esse volumus absolvendi facultatem a Tridentina Synodo Episcopis concessam *Sess. XXIV, cap. VI, de reform.* in quibuscumque censuris Apostolicae Sedi hac Nostra Constitutione reservatis, iis tan-

tum exceptis, quas eidem Apostolicae Sedi speciali modo reservatas declaravimus.

Decernentes has Litteras, atque omnia et singula, quae in eis constituta ac decreta sunt, omnesque et singulas, quae in eisdem factae sunt ex anterioribus Constitutionibus Praedecessorum Nostrorum, atque etiam Nostris, aut ex aliis sacris Canonibus quibuscumque, etiam Conciliorum Generalium, et ipsius Tridentini, mutationes, derogationes, suppressiones atque abrogationes, ratas et firmas, ac respective rata atque firma esse et fore, suosque plenarios et integros effectus obtinere debere, ac reapse obtinere; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque Iudices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, ac Apostolicae Sedis Nuntios, ac quosvis alios quacumque praeceminentia, ac potestate fungentes et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, et irritum atque inane esse ac fore quidquid super his a quoquam quavis auctoritate, etiam praetextu cuiuslibet privilegii aut consuetudinis inductae vel inducendae, quam abusum esse declaramus, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus praemissis, aliisque quibuslibet ordinationibus, constitutionibus, privilegiis, etiam speciali et individua mentione dignis, nec non consuetudinibus quibusvis, etiam immemorabilibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae Constitutionis, Ordinationis, limitationis, suppressionis, derogationis, voluntatis, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare

praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli, Apostolorum eius, se noverit incursum.

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo sexagesimo nono, quarto Idus Octobris, Pontificatus nostri anno vicesimo quarto.

XXXIV.

S. Congregationis Fidei Propagandae praepositae instructio de sacrosancto Missae sacrificio bis in die celebrando, cum annexa instructione S. R. C. 11 Martii 1858 de Sacerdote bis Missam eadem die celebrante. - 24 Maii 1870.

1. Facultas bis in die Missam celebrandi, qua Missionum Ordinarios solet Sancta Sedes insignire, ut et ipsi Missionariis suis eam communicent, non pauca dubia excitavit, quae Sacrae huic Congregationi ab iisdem sunt proposita. Huiusmodi dubiorum ratio ex ipso clausularum rigore petitur, quae Alexandri VII iussu Formularum articulo, qui de hac agit facultate, adiectae sunt¹. Quamobrem opportunum visum est,

¹ En dictus articulus ut praestat in facultatum Formularum a S. C. Congreg. solitis: «Celebrandi bis in die, si necessitas urgeat, ita tamen ut in prima Missa non sumpserit abluentem . . . Caveat vero, ne praedicta facultate seu dispensatione celebrandi bis in die aliter quam ex gravissimis causis et rarissime utatur, in quo graviter eius conscientia oneratur. Quod si hanc eandem facultatem alteri Sacerdoti iuxta potestatem inferius apponendam communicare, aut causas ea utendi alicui, qui a S. Sede hanc dumtaxat obtulerit, approbare visum fuerit, serio ipsius conscientiae iniungitur, ut paucis dumtaxat, lisque maturioris prudentiae ac zeli, et qui absolute necessarii sunt, nec pro quolibet loco, sed ubi gravis necessitas tulerit et ad breve tempus eandem communit, aut respective causas approbet.»

tum exceptis, quas eidem Apostolicae Sedi speciali modo reservatas declaravimus.

Decernentes has Litteras, atque omnia et singula, quae in eis constituta ac decreta sunt, omnesque et singulas, quae in eisdem factae sunt ex anterioribus Constitutionibus Praedecessorum Nostrorum, atque etiam Nostris, aut ex aliis sacris Canonibus quibuscumque, etiam Conciliorum Generalium, et ipsius Tridentini, mutationes, derogationes, suppressiones atque abrogationes, ratas et firmas, ac respective rata atque firma esse et fore, suosque plenarios et integros effectus obtinere debere, ac reapse obtinere; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque Iudices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, ac Apostolicae Sedis Nuntios, ac quosvis alios quacumque praeceminentia, ac potestate fungentes et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, et irritum atque inane esse ac fore quidquid super his a quoquam quavis auctoritate, etiam praetextu cuiuslibet privilegii aut consuetudinis inductae vel inducendae, quam abusum esse declaramus, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus praemissis, aliisque quibuslibet ordinationibus, constitutionibus, privilegiis, etiam speciali et individua mentione dignis, nec non consuetudinibus quibusvis, etiam immemorabilibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae Constitutionis, Ordinationis, limitationis, suppressionis, derogationis, voluntatis, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare

praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli, Apostolorum eius, se noverit incursum.

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo sexagesimo nono, quarto Idus Octobris, Pontificatus nostri anno vicesimo quarto.

XXXIV.

S. Congregationis Fidei Propagandae praepositae instructio de sacrosancto Missae sacrificio bis in die celebrando, cum annexa instructione S. R. C. 11 Martii 1858 de Sacerdote bis Missam eadem die celebrante. - 24 Maii 1870.

1. Facultas bis in die Missam celebrandi, qua Missionum Ordinarios solet Sancta Sedes insignire, ut et ipsi Missionariis suis eam communicent, non pauca dubia excitavit, quae Sacrae huic Congregationi ab iisdem sunt proposita. Huiusmodi dubiorum ratio ex ipso clausularum rigore petitur, quae Alexandri VII iussu Formularum articulo, qui de hac agit facultate, adiectae sunt¹. Quamobrem opportunum visum est,

¹ En dictus articulus ut praestat in facultatum Formularum a S. C. Congregati solitis: «Celebrandi bis in die, si necessitas urgeat, ita tamen ut in prima Missa non sumpserit abluentem . . . Caveat vero, ne praedicta facultate seu dispensatione celebrandi bis in die aliter quam ex gravissimis causis et rarissime utatur, in quo graviter eius conscientia oneratur. Quod si hanc eandem facultatem alteri Sacerdoti iuxta potestatem inferius apponendam communicare, aut causas ea utendi alicui, qui a S. Sede hanc dumtaxat obtulerit, approbare visum fuerit, serio ipsius conscientiae iniungitur, ut paucis dumtaxat, lisque maturioris prudentiae ac zeli, et qui absolute necessarii sunt, nec pro quolibet loco, sed ubi gravis necessitas tulerit et ad breve tempus eandem communit, aut respective causas approbet.»

in praesenti hac Instructione colligere communiore regulas ac principia, quae in memoratae facultatis usu prae oculis sunt habenda.

2. Nemo ignorat, ex regula generali iuxta vigentem Ecclesiae disciplinam, licere Sacerdotibus semel tantum in die S. Sacrificium litare. Sic statuit Innocentius III¹: « Respondemus, quod excepto die Nativitatis Dominicae, nisi causa necessitatis suadeat, sufficit Sacerdoti semel in die unam Missam solummodo celebrare ».

3. In casu ergo necessitatis permittitur Sacerdotibus Missae iteratio eodem die. Id tamen debet intelligi, uti ex ipsis Formularum verbis dignoscitur, de venia celebrandi duas tantum Missas, quamvis graves concurrerent causae, quae maiorem numerum celebrare suaderent. Postulavit olim Praefectus Missionis Capucinorum Tuneti, an uno eodemque die, si necessitas urgeat, plures quam duas Missas celebrare potuisset, propterea quod omnes eius Missionarii in carceres coniecti erant. Atque S. Congregatio generalis Fidei propagandae praeposita, die 7 Augusti 1684, respondit: *non posse rigore facultatum celebrare ultra duas Missas. Quod iampridem responsum fuerat in generali Congregatione habita coram Sanctissimo die 17 Februarii 1648; namque exposito abusu, qui invaluerat inter Sacerdotes captivitate detentos in Algeria, celebrandi tres Missas, « SSimus... iussit per dictum Praefectum (Algeriae) praecipui nomine Sanctitatis Suae Sacerdotibus... quod cum Sedes Apostolica in facultatibus Missionariorum potestatem seu licentiam concesserit celebrandi bis in die, ubi necessitas id exegerit, ne deinceps*

¹ Cap. *Consultiis de celebratione Missarum.*

ultra duas Missas celebrent ». Idem fuit repetitum annis 1818 et 1820 Praefecto Apostolico Tuneti.

4. Necessitas ergo est unicus titulus ex quo facultas Sacerdotibus fit duas dicendi Missas. Imprimis tamen expedit cum Verricelli¹ animadvertere, quod « haec necessitas non est desumenda ex parte inopiae Sacerdotum, sed ex parte necessitatis spiritualis populi, et raritate Sacerdotum ». Quo posito principio, facile est quasdam negativas regulas eruere de usu facultatis, de qua agitur.

5. Ac primo quidem evidens est, haud recte sentire qui diceret, posse Missam iterari diebus festis suppressis, in quibus populus Missam audire non tenetur, quemadmodum monuit S. Congregatio, anno 1837, hisce verbis: « *Re mature perpensa, ex ipsius formulae verbis satis clare patuit, non posse facultates ad abrogatas festivitates extendi. Cum enim in memorata formula declaratur, facultatem valere si necessitas urgeat, sequitur, ex eo unice titulo, quod dies illi festi olim fuerint, non posse Missam bis ab eodem Sacerdote celebrari.* »

6. Secundo. Pariter interdicta est Missae iteratio in eorum commodum, qui vellent praecepto audiendi Missam satisfacere in suis privatis capellis. Enarraverat anno 1842 Vicarius Apostolicus Limburgensis consuetudinem in suo Vicariatu inolitam permittendi Missae iterationem *in castris magnatorum*; quum autem non putaret, his in adiunctis eam necessitatem esse, quae a Formulis exigitur, petit, tum ratione consuetudinis, tum moralis utilitatis, quae inde proveniebat, ut sibi auctoritas fieret id permittendi. At S. Congregatio In-

¹ De Apost. Missionibus Tit. iv, Quaest. 98, Dub. 18, n. 201.

quisitionis iudicavit, *iuxta exposita non expedire*. Quamque subiunxisset Vicarius Apostolicus, nonnullos Sacerdotes ex praehabita facultate ab eius Praedecessore iterationem Missae prosequi, Suprema S. Congregatio decrevit, *facultatem esse revocandam, quatenus Vicarius Apostolicus Limburgensis prudenter id fieri posse existimet*.

7. *Tertio*. Ex huiusmodi Resolutionibus inferitur, consuetudinem non esse titulum sufficientem, ut idem Sacerdos offerre bis possit uno eodemque die S. Sacrificium. Quod etiam consonat cum eo quod docuit Benedictus XIV, in Const. *Declarasti Nobis*, data die 16 Martii 1746, ad Episcopum Oscensem in Aragonia. « *Solum inguimus, Pontifex ait, utrum ea consuetudo rationem praescriptionis aut praesumptionis sibi comparavit, et utrumque falsum et abominum iudicamus* ». Et ad praescriptionem quod attinet, inquit: « *Si etenim iuxta cunctas leges sanctae res praescribi non possunt, absonum undique est, asserere, fuisse per praescriptionem aliquid obtentum vel requisitum, quod adversetur sanctionibus universalibus Ecclesiae, quarum observantiam S. Concilium Trid. in Missorum celebratione Sacerdotibus omnibus praecipit* ». De praesumptione autem subiungit: « *Sed, ceteris praetermissis, subtilius, haec intelligi posse de illis privilegiis, quae impetrari potuissent a Sede Apostolica, si quis ea postulasset; non vero de iis, quae cum postulatur, negari omnino consueverunt, ne praesumptio plus habeat roboris et momenti quam veritas* ». Inde est, quod S. Congregatio, quum cognoverit aliquo in loco inolevisse consuetudinem iterandi Missam sine necessitate, non omisit eiusmodi reprobare consuetudinem tamquam abusum, zelum Episcoporum excitans ad eam eliminandam.

8. *Quarto*. Nec etiam Presbyterorum paupertas Missae iterationem, ut ex Verricelli¹ indicatum est, valet probare. Quidam Hiberniae Archiepiscopus anno 1688 petiit: « *Num ex sola paupertatis causa possint Regulares duas Missas diebus festis celebrare in privatis domibus, quamquam omnes parociae et conventus proprias ecclesias et capellas habeant* ». S. Congregationis Responsum negativum fuit: quumque relatum esset in particularibus Congregationibus de Propaganda Fide habitis, tum die 7 Martii 1743, tum die 28 Iulii 1750, eiusmodi abusum in Hibernia adhuc vigere, quia multi Sacerdotes utebantur facultate iterandi Missam non alia de causa nisi ut pinguiores elemosynas perciperent, atque inde commodius se sustentarent, Emi Patres decreverunt: « *Graviter monentur Sacerdotes, ne facultate celebrandi bis in die abutantur, ut stipendium largius et pinguis habeant* ». Et a Benedicto XIV² appellatur abusus intolerabilis facultas alicui Sacerdoti facta iterandi Missam *eum in finem, ut duplici elemosyna decentius se sustentaret*. Solum ut aliquo modo consuleret pauperibus Religiosis eius Regni, qui conquesti fuerant de simili prohibitione facta a Synodo provinciali Tuamensi anno 1817, ob damnum inde proveniens, sublata ipsis elemosyna, quam Missae occasione percipere solebant ad ecclesiae januis, cum ipsi viverent ex fidelium oblationibus, S. Congregatio voluit, ut monerentur Episcopi, ut « *in imperitenda de auctoritate Apostolica, Sacerdotibus licentia celebrandi diebus festis de praeepto duas Missas ob causas necessitatis ab Apostolicis Constitutionibus approbatas, rationem habeant Sacerdotum Regularium, ac*

¹ Loc. cit.

² Const. *Apostolicum ministerium*, 30 Maii 1753, § 11.

praesertim illorum, qui in pauperibus coenubiis moram trahunt». Ceterum cum declaraverit S. Congregatio Concilii, « ex praxi generali Presbyteris non concedi eleemosynam recipere pro secunda Missa, etiamsi de illis agatur, qui parochiali munere instructi ideo stipendium pro prima Missa nequeunt obtinere, quod eam pro populo applicare teneantur », uti notificatum est per Litteras circulares S. Congregationis de Propaganda Fide die 15 Octobris 1863; Ordinariis Missionum, quilibet iam praetextus abusu iterandi Missam intuitu stipendii sublatus est. Habita tamen peculiarium quarundam Missionum circumstantiarum ratione, SS^{us} Pater dignatus est auctoritatem facere, ut constat ex dictis Litteris circularibus, earum Ordinariis permittendi, « ut, iusta et gravi causa intercedente, Sacerdotes sibi subditi etiam pro secunda Missa in eadem die celebranda stipendium percipere possint ac valeant ».

9. Quinto. Necessè tandem non est adnotare, interdiciam esse Sacerdoti Missae iterationem, quoties alius haberi possit Sacerdos, qui populi necessitati valeat satisfacere, ceu expresse docet Benedictus XIV in citata Constit. *Declarasti Nobis*. Atque hinc est, ut, priusquam admittatur Missae iteratio, videndum sit, num aliquid e remedii a iure constitutis suppetat ad prospiciendum spirituali populi necessitati; atque imprimis tenetur ipse Parochus stipendium alteri Sacerdoti suppetitare; posita autem eius impotentia, tenetur populus; et denique si neque populus ob paupertatem ad id compelli posset, Ordinarius supplere teneretur.

10. Hactenus de casibus, in quibus prohibita est Missae iteratio. Ad casus quod attinet, in quibus ad

¹ Ben. XIV, loc. cit. *Votum Card. Zelada Thesaur. resolutionum*, Tom. 37, in causa Derthussen. 26 Augusti 1768.

hoc requisita necessitas concurrat, expositi isti in Constit. *Declarasti Nobis* inveniuntur. Hac in Constitutione consideratur in primis, iuxta unanimum Theologorum consensum permitti iterationem Missae Sacerdoti, « qui duas parochias obtineat, vel duos populos adeo seimotos, ut alter ipsorum Parocho celebranti per dies festos adesse nullo modo possit ob locorum maximam distantiam ». Atque hic est primus et communior casus: alter, qui ibidem recensetur, est, « quando una tantum sit ecclesia, in qua Missa celebratur, et ad quam insimul universus populus convenire non potest ».

11. In his casibus iterari Missa potest etiam ab iis, qui facultate non sunt donati per Formulas, quae concedi solent per S. Congregationem Fidei propagandae praepositam, cum id concedat ipsum commune ius, semper tamen dependenter ab Ordinario, ad quem pertinet, tum de vera necessitate, tum de possibilitate canonica remedia applicandi, ferre sententiam (§ 9); Revera, eiusmodi mediis indicatis, Benedictus XIV subiungit: « Quae huc usque dicta sunt, canonicis etiam generalibus sanctionibus inhiuntur ». Quin imo concors est Theologorum opinio, quemadmodum et ipse Benedictus XIV animadvertit, in casu unius Parochi cum duabus paroeciis, « Parochum ne dum posse, sed plane tenere his eodem die Missam celebrare »¹. Ex quibus facile consequitur, articulum Formularum, cum sit facultativus, protendi ad alios quoque casus necessitatis in communi iure non consideratos; secus enim inutilis ille articulus evaderet, saltem pro his locis, in quibus paroeciae sunt canonice erectae, ipso iure communi pro his paroeciis disponente. Quod consonat cum eo quod

¹ De Syn. Dioec. L. VI, cap. VIII, n. 2.

docet Benedictus XIV in opere *De Sacros. Missae Sacrificio*¹, in quo, postquam asseruisset, « casum, qui revera contingit, cum esse, cum Parochus duas habeat parochias, etc. », his verbis prosequitur: « Neque tamen quidquam praedictatum volumus de aliis casibus, qui accidunt in Missionibus, quibus consultum est concedendo Missionariis facultatem plures celebrandi Missas eodem die; itemque de aliis casibus, in quibus vel ob locorum distantiam, vel ob paucitatem Sacerdotum, aut haereticorum aut infidelium persecutionem, ne fideles Missa careant, opus est a Sacerdotibus duas Missas celebrari ». Et de huiusmodi quidem causis, quae locum in Missionibus habent, pro quibus Missionum Superioribus datur facultas, loquebatur anno 1832 S. Congregatio de Propaganda Fide, cum ad quendam Missionarium Philippopolitanum, qui non iterabat Missas, quamvis variis Christianitatibus praesideret, opportunum praebuit monitum. Iniuncta scilicet illi Missae iteratione, etiam ex mandato generalis Congregationis, adiungebatur: « Si autem quaeras, cur facultati iterandi Missam in formula Indulti adiciantur illae rigoris clausulae, invenies in ipsa formula responsum; observabis enim, Indultum non coerceri ad populi indigentias diebus festis; sed quum generalibus terminis contingatur, comprehendere quoque alios casus, de quibus agitur, quemadmodum esset necessitas administrandi infirmis Viaticum in utraque parocia, et in huiusmodi aliis casibus locum habere debere praescriptas cautelas ».

12. Atque in huiusmodi scilicet casibus minus frequentibus in usu eius facultatis identidem haerere visi sunt Episcopi et Missionarii, de causarum praesertim

¹ Lib. II, cap. V, n. 4.

sufficiencia dubitantes, quae requirerentur iuxta clausulas facultati adiectas. At vero tot tamque varii sunt casus, qui de hac materia in Missionibus possunt contingere, ut praevideri facile haud possint, multoque minus reduci ad determinatas regulas; de iisdem enim iudicium variari potest iuxta dispares locorum, temporum personarumque concurrentes circumstantias. Haec est ratio, cur dubiorum particularium resolutio, quae hac de re sunt proposita, plerumque remissa est prudenti Superioris Missionis arbitrio.

13. Ac primo quidem saepius regula postulata est de numero fidelium, qui esset satis, ut Missa iterari posset. In Constit. Apostolicum Ministerium, edita pro Anglia, dicitur, eiusmodi facultatem posse adhiberi, « cum eorum numerus, qui diebus festis tenentur Sacerdis assistere, talem exhibeat necessitatem, ut nisi alicui Sacerdoti duas Missas eodem die celebrandi potestas concedatur, Ecclesiae mandato plures non satisfacerent ». Eiusmodi tamen generalis norma dubium omne non auferat de numero iterationi necessario. Idem dici potest de quodam negativo responso S. Inquisitionis anno 1688 dato Missionariis Capuccinis in Graecia. Hi quaesiverant: « Utrum Missionarius Sacerdos solus in loco degens duas Missas diebus dominicis et festis pro quindecim seu viginti personis, quae legitime impeditae primae Missae adesse non valuerunt, celebrare possit »; et Suprema S. Inquisitio die 28 Ianuarii eiusdem anni decrevit: non licere. Quod si numerus viginti fidelium haud satis existimatur ut Missa iteretur, ulterius quaeri potest, quinam sit minimus numerus qui sufficiat.

14. Sed circa eiusmodi dubium, quemadmodum circa ea, quae distantiam respiciunt, S. Congregatio in more habuit, resolvenda haec esse prudenti Ord-

nariorum Missionum arbitrio, a quibus facultas dependet; ipsi enim in locis, in quibus degunt, recte aestimare possunt circumstantias in singulis casibus concurrentes. Et sane usque ab anno 1688 Praefectus Missionis Tuneti in Mauritania generatim postulabat, ut declararetur, qualis esse numerus fidelium deberet, qui Missa privarentur, ut Missa iterari posset; et S. Congregatio Generalis Fidei Propagandae die 16 Novembris respondit: *Relinquatur charitati et conscientiae P. Praefecti*. Similiter Episcopus S. Ludovici in Statibus Americae Foederatis anno 1828, exposito suo aliorumque Episcoporum timore propriam conscientiam gravandi ob Formularum clausulas, postulavit: « *Utrum quoties triginta aut quinquaginta fideles periculo exponuntur Missam de praeccepto non audire, bis celebrare valeant* ». At iussu Leonis XII Litteris datis die 13 Martii rescriptum est: « *Omnia te anxietatem animi deponere debere, et quin commocionis verborum rigore, Se (Sanctitatem Suam) conscientiae ac prudentiae tuae committere, ut iudices, quibus in casibus, ratione habita adiunctorum diocesis tuae, graves adesse causae consensum simi, facultatem, de qua sermo est, Sacerdotibus impertiendi. Ubi vero has causas graves secundum conscientiam prudentiamque tuam arbitratus fueris, Sanctitas Sua posse te absque ulla dubitatione ea facultate uti benigne declaravit* ».

15. Similis quoque responsio data est anno 1851 Vicario Apostolico Limburgensi, qui dubium super distantia sic proposuerat: « *In hac regione ex antiqua consuetudine binandi licentia aliquando conceditur ob necessitatem moralem, licet parochia vicinior non distet ultra spatium mediae leucae; quaeritur num recte?* » S. Congregatio Litteris diei 31 Iulii respondit: « *Prae-*

missa, Episcoporum esse muneris pro viribus curare, ut haec uti facultate non sit opus ad succurrendum fidelium necessitatibus, praxis generalis servanda in singulis casibus assignari non potest. Quapropter in casibus ut supra particularibus, deficiente Presbyterorum copia, aliisque omnibus circumstantiis mature perpensis, prudenti iudicio Superioris definiendum, utrum eo in casu concurrant gravia rerum adiuncta, quae tradunt Doctores necessitatis casum efficere (uti propositus videtur), in quo dispensationi a praeccepto universali de non iterando Sacrificio ab eodem Presbytero eademque die locus fiat, et binandi facultati tribuendae, qua parce omnino illam uti debere ex Apostolici ipsius Indulti verbis apprime perspicitur ». Atque haec instructio iisdem verbis missa fuit Episcopo Trevirensi anno 1853, cuius nomine varia dubia de Missae iteratione proposita fuerant; rescriptum enim ei fuit die 28 Septembris, quod, eius quaesitis consideratis, « *censuit S. Congregatio dandam esse instructionem, quam... Vicarius Apostolicus Limburgensis obtinuit sub die 31 Iulii anno 1851* ».

16. Ceterum inter varia responsa, quae dimittendam iudicio Superioris remittunt causarum gravitatem, nonnullae peculiarem mentionem merentur; eiusmodi sunt illae, quae, dum sequuntur consuetam regulam remittendi Superioris iudicio causarum aestimationem, indicant simul aliquo modo genus seu necessitatis gradum, quem iteratio Missae postulat, atque identidem aliquatenus temperant formidinem, atque leniunt nimiam animi anxietatem, quam Episcopis et Missionariis illae clausulae creaverant, quibus haec facultas in Formulis coercetur. Unum ex eiusmodi responsis datum est anno 1848, ad Episcopum in Statibus Americae Foederatis; datis enim Litteris die 9 Maii sic est re-

iunxit: « *sed, pensatis omnibus locorum et personarum circumstantiis, relinquendum arbitrio R. P. D. Vicarii Apostolici* ». Ex quibus eruitur, eas causas, quae per se atque proinde multis in locis graves non sunt, graves evadere posse in aliis locis ob circumstantias, quae casum concomitentur.

18. Haec sunt principia, quae prae oculis sunt habita quoad facultatem Missam iterandi, quaeque profecto in eiusdem facultatis exercitio Missionum Ordinarios tranquillos reddere poterunt. Quamvis autem sapienti Ordinariorum Missionum arbitrio hac in re deferri soleat, attamen ex hactenus dictis apparet, quanta cautela ipsi uti debeant, quum semper eorum conscientia onerata maneat in legitimo huiusmodi extraordinariae facultatis exercitio. Nihilominus repetere heic iuvabit, quod S. Congregatio anno 1832, ad Episcopum Nicopolitanum in Bulgaria rescripsit, clausulas in Formulis adhibitas « *intelligendas haud esse in extremo rigore, habito prae oculis principio, Sedem Apostolicam dictam facultatem concedere in bonum spirituale fideium, desiderio, ut omnes praeceptum ecclesiasticum adimplere facile possint* ».

19. Superest nunc de ritu dicere, seu de modo quo iterari possit. Semper a S. Congregatione Missionarii fuit praescriptum atque ab ipso Benedicto XIV, eum, qui Missam iterat, consuetas calicis ablutiones sumere non debere ob ieiunium, ita ut, « *si in prima Missa post receptionem Corporis Christi et Sanguinis profusionem acceperit, non debeat secundam Missam in praedictis casibus celebrare* »¹, id est, etiam in iis casibus, in quibus populus Sacrificio diebus

¹ Conc. Nemaus, 1284, apud Bened. XIV *De SS. Missae Sacrif.* lib. III, cap. V, n. 4.

principiorum practicis casibus, servata quoque est, quando in ipsis, prout exponebantur, non appareret ea causarum vis et gravitas (saltem si hae causae considerarentur in se et in abstracto), quam huius facultatis clausulae exigunt; quod quidem confirmat, in causis considerandis, quae usum facultatis suadeant, magnam rationem habendam esse omnium conditionum statusque fidelium. Huius rei argumento est responsio a S. C. data anno 1688 Vice-Praefecto Missionis Tripolitanae. Hic, ob clausulas incertus, quaesierat, « *cui- « nam numero servorum aut liberorum posset praecise « celebrare Missam secundam, quum interdum daretur « casus, ut in balneo extra Tripolim praesentes Sacri- « ficio non adessent plures quam decem aut quindecim « servi... et an in Presbyterorum earentia pro illis so- « lis posset celebrari secunda Missa diebus festis* ». Iam vero quin obstaret Resolutio eodem anno data a S. Congregatione Inquisitionis pro simili casu, ut notatum est superius § 13, S. Congregatio Fidei Propagandae praeposita die 5 Octobris respondit: « *Relinquatur charitati et conscientiae P. Vice-Praefecti* ». Neque mirum esse debet, si haec S. Congregatio benigniori interpretationi indulsit; agebatur enim de servis, qui ob ipsorum conditionem peculiarem indolgentiam merebantur, quum unicum fortasse solatium eis esset SS. Missae Sacrificium. Aliud eiusmodi benignitatis argumentum, ratione circumstantiarum habita, an. 1860, suppeditavit S. Inquisitio; namque, licet die 20 Iunii responderet Vicario Apostolico eiusdem Regni Sinis adiacentis, « *desiderium Neophytorum bis aut ter in anno SSnam Eucharistiam sumere volentium per se non esse urgentissimam causam in casu de quo agitur* », idest iterandi Missam iuxta facultatem; attamen sub-

scriptum: « Venio ad postulatam tuam circa modum interpretandi necessitatem, quae requiritur ad licitum usum facultatis bis in die Missam celebrandi.... Noverit ergo Amplitudo Tua, necessitatem huiusmodi, de qua sermo est, veram quidem, sed moralem intelligi; non autem absolutam; de qua proinde diiudicare in singulis casibus pendet a prudenti iudicio, inspectis circumstantiis. Caveas ergo oportet hac in re ab anxietate nimia in diiudicando, ne frustra concessa, aut pene in nullo casu ad actum reducenda facultas praedicta videatur ». Notatum dignior est declaratio, quae missa est anno 1828 ad quemdam Praefectum Apostolicum in Antillis Americae. Cum enim ille haud fideret, posse se tranquille uti facultate de qua agitur, ob graves conditiones, quibus constringitur, imploraverat « amplio-rem facultatem a Sede Apostolica copiam faciendi Presbyteris.... ut diebus dominicis et festis de praeepto Missam bis celebrare possint, cum vel postulet necessitas aut spiritalis fidelium utilitas ». Facta huius rei relatione S. Pontifici die 13 Aprilis, hoc modo responsum est: « Talis existimatio est virtutis et prudentiae tuae, ut SS. D. N. iusserit, omnem deponere te debere anxietatem animi; et si existimaveris necessarium esse, vel fidelibus vehementer utile, ut Sacerdotes bis Missam eodem festo die celebrent, verborum, quibus rescriptum contineri videtur, rigore commoveri te non debere. Prudentiae itaque et conscientiae D. T. committit de necessitate ista et causarum gravitate iudicare, atque in iis rerum adiunctis facultatem per memoratum Rescriptum copiam faciendi Sacerdotibus, ut Missam bis celebrent, te habere, Sanctitas Sua benigne declaravit ».

17. Eadem regula committendi arbitrio aut charitati Superiorum Missionum applicationem generalium

festis secus privaretur. Quamvis autem in Decreto Sacrae Congregationis SS. Rituum in Ebusitana die 16 Septembris 1815 praescriptum esset, ut unus tantum esset calix, quo uti debeat, qui duas celebret Missas; quum tamen eiusmodi Decreti executio haud levibus difficultatibus esset obnoxia, quando celebrari deberet in duabus ecclesiis ab invicem remotis, idem Sacer Ordo in generalibus comitiis habitis die 12 Septembris 1857 (habetur in nova Coll. S. R. C. sub die 11 Martii 1858), pro moderamine dicti Decreti rescripsit: usum duorum calicum in casu posse permitti. Instructio, quae heic adicitur, iussu eiusdem S. Congregationis SS. Rituum concinnata, modum respicit purificandi calicem, qui pro prima Missa inserverit. — 24 Martii 1870.

(Coll. S. C. Prop. F. n. 792).

Sequitur Instructio a S. R. Congregatione die 11 Martii 1858 (de qua in praecedenti documento), edita pro Sacerdote apostolicam facultatem habente bis Missam eadem die celebrandi.

PLURIMUM DIOECESIUM.

Plures nuper diversarum Dioecesium Rm̄i Antistites, nimirum Compostellanus et Salamantinus in Hispania, Aleniensis in Albania, et Meldensis in Gallia, attendentes rigorosam executionem Decreti ab hac Sacra Rituum Congregatione alias lati de uno tantum Calice adhibendo a Sacerdotibus plures Missas ob necessitatem populi fidelis eadem die celebraturis, gravibus admodum difficultatibus subiti; quum Sacerdos alteram Missam non in ipsa Ecclesia, ubi primam celebravit,

sed in alia longe dissita cogitur offerre. Insuper vero advertentes morem duos in eiusmodi casu adhibendi Calices, non modo universalem esse in Hispania et Gallia, sed etiam adeo veterem ut omnem hominum memoriam facile excedat: ad hanc Sanctam Apostolicam Sedem pro modificatione praefati Decreti certaque impetranda regula, quam tuto sequi possint, confugerunt.

Ut oblatarum hac de re a praedictis Antistitibus precum debita ratio haberetur, duo haec concinnata sunt dubia, scilicet:

I. An retinendus sit usus, qui dicitur vigere in Dioecesi Compostellana et Salamantina, nec non in Dioecesi Meldensi et in aliis Gallicis Dioecesibus, et etiam sit permittendus alibi; adhibendi scilicet ob peculiare rationes duos Calices, quum Sacerdos duas celebrat Missas eadem die in Ecclesiis longe dissitis?

II. Et quatenus ob peculiare circumstantias huiusmodi usus retinendus sit vel permittendus; quidnam servandum circa purificationem primi Calicis, ut et reverentiae Sacramento debitae consulatur, et Sacerdos ieiunius maneat pro secunda Missa: habita ratione peculiarium circumstantiarum, quae in supplici libello exponuntur?

Iamvero quum dubia isthaec Eñus et Rñus Dominus Cardinalis Gabriel Della Genga Sermattei expendenda proposuerit in Ordinariis Sacrae Rituum Congregationis Comitibus anno superiori 1857 12 Septembris ad Vaticanum habitis; Eñi et Rñi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus mature perpensis, habitaque prae oculis docta et laboriosa elucubratione, quam R. D. Ioannes Corazza, alter ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, de suo voto antea requisitus desuper confecerat, respondendum censuerunt:

Ad I. « Usus duorum Calicum in casu posse permitti ».

Ad II. « Ad Mentem: Mens est ut conficiatur Instructio ».

Eiusmodi autem instructio, quam ad mentem et ex mandato Sacrae Congregationis idem Eñus et Rñus Cardinalis Della Genga Sermattei una cum R. P. D. Andrea Maria Frattini Sanctae Fidei Promotore digessit, est prout sequitur:

« Quando Sacerdos eadem die duas Missas dissitis in locis celebrare debet, in prima, dum divinum Sanguinem sumit, eum diligentissime sorbeat. Exinde super corporali ponat Calicem et palla tegat, ac iunctis manibus in medio altari dicat: *Quod ore sumpsimus*, etc., et subinde, admoto aquae vasculo, digitos lavet dicens: *Corpus tuum*, et abstergat. Hisce peractis, calicem super corporali manentem adhuc, deducta palla, cooperiat, ceu moris est, scilicet primum purificatorio linteo, deinde patena ac palla, et demum velo. Post haec Missam prosequatur, et, completo ultimo Evangelio, rursus stet in medio altaris, et, detecto Calice, inspicat, an aliquid divini Sanguinis necne ad inum se receperit, quod plerumque contingit. Quamvis enim Sacrae Species primum sedulo sorptae sint, tamen dum sumuntur, cum particulae, quae circum sunt, undequaque sursum deferantur, non nisi deposito Calice ad inum redeunt. Si itaque divini Sanguinis gutta quaedam supersit adhuc, ea rursus ac diligenter sorbeat, et quidem ex eadem Calicis parte, qua ille primum est sumptus. Quod nullimode omittendum est, quia Sacrificium moraliter durat, et superextantibus adhuc vini speciebus, ex divino praeecepto compleri debet.

« Postmodum Sacerdos in ipsum Calicem tantum sal-

tem aquae fundat, quantum prius vini posuerat, eamque circumactam ex eadem parte, qua S. Sanguinem biberat, in paratum vas demittat. Calicem subinde ipsum purificatorio linteo abstergat, ac demum cooperiat, uti alias fit, atque ab altari discedat. Depositis sacris vestibus, et gratiarum actione completa, aqua e Calice dimissa, pro rerum adiunctis, vel ad diem crastinum servetur (si nempe eo rursus Sacerdos redeat Missam habiturus), et in exequenda purificatione in calicem demittatur; vel gossipio aut stupa absorpta comburatur; vel in sacario, si sit, exsiccanda relinquatur; vel demittatur in piscinam.

« Cum autem Calix, quo Sacerdos primum est usus, purificatus iam sit, si illo ipso pro Missa altera indigeat, eum secum deferat: secus vero, in altera Missa diverso Calice uti poterit ».

De quibus omnibus facta postmodum Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX per subscriptum Secretarium fideli relatione, Sanctitas Sua resolutionem Sacrae Congregationis cum adnexa Instructione approbare dignata est. — Die 11 Martii 1858.

(Decr. authent. S. R. C. n. 3068).

Cum superior S. R. C. Instructio non nisi casum respiciat, quo Sacerdos duas Missas dissitis in locis eadem die sit celebraturus; operae pretium visum est, ex Commentariis Bartholomaei Gavanti et Caietani Mariae Merati hic ritum adiungere a Sacerdote servandum, cum utramque Missam in eadem ecclesia offerre debet.

Hoc itaque in casu Sacerdos post haustum in prima Missa diligenter Sanguinem Domini, omissa consueta purificatione, patena calicem et palla patenam tegens ac super corporale relinquens, dicet iunctis manibus: *Quod ore sumpsimus, Domine, etc.* Deinde digitos, qui-

bus SS. Sacramentum tetigit, in aliquo vase mundo ad hoc in altari praeparato abluet, interim dicens: *Corpus tuum, Domine, etc.*, abstersisque purificatorio digitis, calicem velo cooperiet, velatumque ponet super corporale extensum. Absoluta Missa, si nulla in ecclesia sit sacristia, calicem eodem modo super altare relinquet; secus vero in sacristiam deferet, ibique super corporale vel pallam in aliquo loco decenti et clauso collocabit, usque ad secundam Missam; in qua, cum eodem calice uti debeat, illum rursus secum deferet ad altare, ac super corporale extensum reponet. Cum autem in secunda Missa Sacerdos ad Offertorium devenit, ablato velo de calice, hunc parumper versus cornu Epistolae collocabit, sed non extra corporale, factaque Hostiae oblatione, cavebit ne purificatorio extergat calicem, sed eum intra corporale relinquens leviter levabit, vinumque et aquam eidem caute imponet, ne guttae aliquae ad labia ipsius calicis resiliant, quem deinde nulatenus ab intus abstersum more solito offeret.

(Collect. S. C. Prop. F. ibid.).

XXXV.

Concilii Vaticani vinarum Constitutiones dogmaticae « Dei Filius » et « Pastor aeternus ». — 24 Aprilis, 18 Julii 1870.

A. — *Constitutio dogmatica « de Fide Catholica », edita in Sessione III. Oecumenici Concilii Vaticani, die 24 Aprilis 1870.*

Pius Episcopus, Servus Servorum Dei, Sacro approbante Concilio. Ad perpetuam rei memoriam. — Dei Filius et generis humani Redemptor Dominus noster Iesus Christus, ad Patrem coelestem rediturus, cum Ecclesia sua in terris militante omnibus diebus usque ad consummationem saeculi futurum se esse promisit. Quare dilectae sponsae praesto esse, adistere docenti, operanti benedicere, periclitanti opem ferre, nullo unquam tempore destitit. Haec vero salutaris eius providentia, cum ex aliis beneficiis innumeris continenter apparuit, tum iis manifestissime comperita est fructibus, qui orbi christiano e Concilio oecumenico ac nominatim e Tridentino, iniquis licet temporibus celebrato, amplissimi provenerunt. Hinc enim sanctissima religionis dogmata pressius definita uberiusque exposita, errores damnati atque cohibiti; hinc ecclesiastica disciplina restituta firmiterque sancita, promotum in Clero scientiae et pietatis studium, parata adolescentibus ad sacram militiam educandis collegia, christiani denique populi mores et accuratiorum fidelium

eruditione et frequentiore sacramentorum usu instaurati. Hinc praeterea arctior membrorum cum visibili Capite communio, universoque corpori Christi mystico additus vigor; hinc religiosae multiplicatae familiae, aliaeque christianae pietatis instituta; hinc ille etiam assiduus et usque ad sanguinis effusionem constans ardor in Christi regno late per orbem propagando.

Verumtamen haec aliaeque insignia emolumenta, quae per ultimam maxime oecumenicam Synodum divina clementia Ecclesiae largita est, dum grato, quo par est, animo recolimus; acerbum compescere haud possumus dolorem ob mala gravissima, inde potissimum orta, quod eiusdem sacrosanctae Synodi apud permultos vel auctoritas contempta, vel sapientissima neglecta fuere decreta.

Nemo enim ignorat, haereses, quas Tridentini Patres proscripserunt, dum, reiecto divino Ecclesiae magisterio, res ad religionem spectantes privati cuiusvis iudicio permitterentur, in sectas paulatim dissolutas esse multiplices; quibus inter se dissentientibus et concertantibus, omnis tandem in Christum fides apud non paucos labefactata est. Itaque ipsa sacra Biblia, quae antea christianae doctrinae unicus fons et iudex asserebantur, iam non pro divinis haberi, imo mythicis commentis accenseri coeperunt.

Tum nata est et late nimis per orbem vagata illa rationalismi seu naturalismi doctrina, quae religioni christianae utpote supernaturali instituto per omnia adversans, summo studio molitur, ut Christo, qui solus Dominus et Salvator noster est, a mentibus humanis, a vita et moribus populorum excluso, merae quod vocant rationis vel naturae regnum stabiliaur. Relicta autem proiectaque christiana religione, negato

vero Deo et Christo eius, prolapsa tandem est multorum mens in pantheismi, materialismi, atheismi barathrum, ut iam ipsam rationalem naturam, omnemque iusti rectique normam negantes, ima humanae societatis fundamenta diruere conitarentur.

Hac porro impietate circumquaque grassante, infeliciter contigit, ut plures etiam e catholicae Ecclesiae filiis a via verae pietatis aberrarent, in iisque, diminitis paulatim veritatibus, sensus catholicus attenuaretur. Variis enim ac peregrinis doctrinis abducti, naturam et gratiam, scientiam humanam et fidem divinam perperam commiscentes, genuinum sensum dogmatum, quem tenet ac docet sancta Mater Ecclesia, depravare, integritatemque et sinceritatem fidei in periculum adducere comperuntur.

Quibus omnibus perspectis, fieri qui potest, ut non commoveantur intima Ecclesiae viscera? Quemadmodum enim Deus vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire; quemadmodum Christus venit, ut salvum faceret quod perierat, et filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum; ita Ecclesia, a Deo populorum mater et magistra constituta, omnibus debitricem se novit, ac lapsos erigere, labantes sustinere, revertentes amplecti, confirmare bonos et ad mellora provehere parata semper et intenta est. Qua propter nullo tempore a Dei veritate, quae sanat omnia, testanda et praedicanda quiescere potest, sibi dictum esse non ignorans: Spiritus meus, qui est in te, et verba mea, quae posui in ore tuo, non recedent de ore tuo amodo et usque in sempiternum¹.

Nos itaque, inhaerentes Praedecessorum Nostrorum

¹ Isaiæ LIX, 21.

vestigiiis, pro supremo Nostro Apostolico munere veritatem catholicam docere ac tueri, perversasque doctrinas reprobare nunquam intermisimus. Nunc autem sedentibus Nobiscum et iudicantibus universi orbis Episcopis, in hanc oecumenicam Synodum auctoritate Nostra in Spiritu Sancto congregatis, innixi Dei verbo scripto et tradito, prout ab Ecclesia catholica sancte custoditum et genuine expositum accepimus, ex hac Petri Cathedra in conspectu omnium salutarem Christi doctrinam profiteri et declarare constituimus, adversis erroribus potestate nobis a Deo tradita proscriptis atque damnatis.

CAPUT I.

De Deo rerum omnium Creatore.

Sancta Catholica Apostolica Romana Ecclesia credit et confitetur, unum esse Deum verum et vivum, Creatorem ac Dominum coeli et terrae, omnipotentem, aeternum, immensum, incomprehensibilem, intellectu ac voluntate omnique perfectione infinitum; qui cum sit una singularis, simplex omnino et incommutabilis substantia spiritualis, praedicandus est re et essentia a mundo distinctus, in se et ex se beatissimus, et super omnia, quae praeter ipsum sunt et concipi possunt, ineffabiliter excelsus.

Hic solus verus Deus bonitate sua et omnipotenti virtute non ad augendam suam beatitudinem, nec ad acquirendam, sed ad manifestandam perfectionem suam per bona, quae creaturis impertitur, liberrimo consilio simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spirituales et corporales, angelicam vide-

licet et mundanam, ac deinde humanam quasi communem ex spiritu et corpore constitutam¹.

Universa vero, quae condidit, Deus providentia sua tuetur atque gubernat, attingens a fine usque ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter². Omnia enim nuda et aperta sunt oculis eius³, ea etiam, quae libera creaturarum actione futura sunt.

ALERE FLAMMAM
VERITATIS

CAPUT II.

De revelatione.

Eadem Sancta Mater Ecclesia tenet et docet, Deum, rerum omnium principium et finem, naturali humanae rationis lumine e rebus creatis certo cognosci posse; invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur⁴; attamen placuisse eius sapientiae et bonitati, alia, eaque supernaturali via, se ipsum ac aeterna voluntatis suae decreta humano generi revelare, dicente Apostolo: Multifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis: novissime, diebus istis locutus est nobis in Filio⁵.

Huic divinae revelationi tribuendum quidem est, ut ea, quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt, in praesenti quoque generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine, et nullo admixto errore, cognosci possint. Non hac tamen de causa revelatio absolute necessaria dicenda

¹ Conc. Lateran. IX, c. 1. *Firmiter*.

² Sap. VIII, 1.

³ Cf. Hebr. IV, 13.

⁴ Rom. I, 20.

⁵ Hebr. I, 1-2.

est, sed quia Deus ex infinita bonitate sua ordinavit hominem ad finem supernaturalem, ad participanda scilicet bona divina, quae humanae mentis intelligentiam omnino superant; siquidem oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae prae-paravit Deus iis, qui diligunt illum¹.

Haec porro supernaturalis revelatio, secundum universalem Ecclesiae fidem, a sancta Tridentina Synodo declarata, continetur in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quae ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt². Qui quidem veteris et novi Testamenti libri integri cum omnibus suis partibus, prout in eiusdem Concilii decreto recensentur, et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis suscipiendi sunt. Eos vero Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati; nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant; sed propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt.

Quoniam vero, quae sancta Tridentina Synodus de interpretatione divinae Scripturae ad coercenda petulantia ingenia salubriter decrevit, a quibusdam hominibus prave exponuntur, Nos, idem decretum renovantes, hanc illius mentem esse declaramus, ut in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, is pro vero sensu sacrae Scripturae habendus sit, quem tenuit ac tenet Sancta

¹ 1. Cor. II, 9.

² Conc. Trid. sess. IV, Decr. de Can. Script.

Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum; atque ideo nemini licere contra hunc sensum, aut etiam contra unanimum consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari.

CAPUT III.

De fide.

Quum homo a Deo tamquam Creatore et Domino suo totus dependeat, et ratio creata increatae Veritati penitus subiecta sit, plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium fide praestare tenemur. Hanc vero fidem, quae humanae salutis initium est, Ecclesia catholica profitetur, virtutem esse supernaturalem, qua, Dei aspirante et adiuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest. Est enim fides, testante Apostolo, sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium¹.

Ut nihilominus fidei nostrae obsequium rationi consentaneum esset, voluit Deus cum internis Spiritus Sancti auxiliis externa iungi revelationis suae argumenta, facta scilicet divina, atque imprimis miracula et prophetias, quae cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinae revelationis signa sunt certissima et omnium intelligentiae accommodata. Quare tum Moyses et Prophetae, tum ipse

¹ Hebr. XI, 1.

maxime Christus Dominus multa et manifestissima miracula et prophetias ediderunt; et de Apostolis legimus: Illi autem profecti praedicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis¹. Et rursum scriptum est: Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene factis attendentes quasi lucernae lucenti in caliginoso loco².

Licet autem fidei assensus nequaquam sit motus animi caecus; nemo tamen evangelicae praedicationi consentire potest, sicut oportet ad salutem consequendam, absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati³. Quare fides ipsa in se, etiamsi per charitatem non operetur, donum Dei est; et actus eius est opus ad salutem pertinens, quo homo liberam praestat ipsi Deo obedientiam, gratiae eius, cui resistere posset, consentiendo et cooperando.

Porro fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive solemnii iudicio sive ordinario et universali magisterio tamquam divinitus revelata credenda proponuntur.

Quoniam vero sine fide impossibile est placere Deo, et ad filiorum eius consortium pervenire; ideo nemini unquam sine illa contigit iustificatio, nec ullus, nisi in ea perseveraverit usque in finem, vitam aeternam assequetur. Ut autem officio veram fidem amplectendi, in eaque constanter perseverandi satisfacere possemus, Deus per Filium suum unigenitum Ecclesiam instituit, suaeque institutionis manifestis notis in-

¹ Marc. XVI, 20.

² 2. Petr. I, 19.

³ Syn. Araus. II, can. 7.

struxit, ut ea tamquam custos et magistra verbi revelati ab omnibus posset agnoscī. Ad solam enim catholicam Ecclesiam ea pertinent omnia, quae ad evidentem fidei christianae credibilitatem tam multa et tam mira divinitus sunt disposita. Quin etiam Ecclesia per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis fecunditatem, ob catholicam unitatem, invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile.

Quo fit, ut ipsa veluti signum levatum in nationes¹, et ad se invitet, qui nondum crediderunt, et filios suos certiores faciat, firmissimo niti fundamento fidem, quam profitentur. Cui quidem testimonio efficax subsidium accedit ex superna virtute. Etenim benignissimus Dominus et errantes gratia sua excitat atque adjuvat ut ad agnitionem veritatis venire possint; et eos, quos de tenebris transtulit in admirabile lumen suum, in hoc eodem lumine ut perseverent gratia sua confirmat, non deserens, nisi deseratur. Quocirca minime par est conditio eorum, qui per coeleste fidei donum catholicae veritati adhaeserunt, atque eorum, qui ducti opinionibus humanis, falsam religionem sectantur; illi enim, qui fidem sub Ecclesiae magisterio susceperunt, nullam unquam habere possunt iustam causam mutandi, aut in dubium fidem eandem revocandi. Quae cum ita sint, gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, tantam ne negligamus salutem; sed aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Iesum, teneamus spei nostrae confessionem indeclinabilem.

¹ Isaiae XI, 12.

CAPUT IV.

De fide et ratione.

Hoc quoque perpetuus Ecclesiae catholicae consensus tenuit et tenet, duplicem esse ordinem cognitionis, non solum principio, sed obiecto etiam distinctum; principio quidem, quia in altero naturali ratione, in altero fide divina cognoscimus; obiecto autem, quia praeter ea, ad quae naturalis ratio pertinere potest, credenda nobis proponuntur mysteria in Deo abscondita, quae, nisi revelata divinitus, innotescere non possunt. Quocirca Apostolus, qui a gentibus Deum per ea, quae facta sunt, cognitum esse testatur, disserens tamen de gratia et veritate, quae per Iesum Christum facta est¹, pronuntiat: Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est, quam praedestinavit Deus ante saecula in gloriam nostram, quam nemo principum huius saeculi cognovit; — nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum: Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei². Et ipse Unigenitus confitetur Patri, quia abscondit haec a sapientibus et prudentibus, et revelavit ea parvulis³.

Ac ratio quidem, fide illustrata, cum sedulo, pie et sobrie quaerit, aliquam, Deo dante, mysteriorum intelligentiam eamque fructuosissimam assequitur, tum ex eorum, quae naturaliter cognoscit, analogia, tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo; nunquam tamen idonea redditur ad

¹ Ioan. I, 17.

² 1. Cor. II, 7-9.

³ Matth. XI, 25.

ea perspicenda instar veritatum, quae proprium ipsius obiectum constituunt. Divina enim mysteria suapte natura intellectum creatum sic excedunt, ut etiam revelatione tradita et fide suscepta, ipsius tamen fidei velamine contacta et quadam quasi caligine obvoluta mapeant, quamdiu in hac mortali vita peregrinamur a Domino: per fidem enim ambulamus, et non per speciem¹.

Verum etsi fides sit supra rationem, nulla tamen unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest: cum idem Deus, qui mysteria revelat et fidem infundit animo humano rationis lumen indiderit; Deus autem negare seipsum non possit, nec verum vero unquam contradicere. Inanis autem huius contradictionis species inde potissimum oritur, quod vel fidei dogmata ad mentem Ecclesiae intellecta et exposita non fuerint, vel opinionum commenta pro rationis effatis habeantur. Omnem igitur assertionem veritati illuminatae fidei contrariam, omnino falsam esse definimus². Porro Ecclesia, quae, una cum apostolico munere docendi, mandatum accepit fidei depositum custodiendi, ius etiam et officium divinitus habet falsi nominis scientiam describendi, ne quis decipiatur per philosophiam, et inane fallaciam³. Quapropter omnes christiani fideles huiusmodi opiniones, quae fidei doctrinae contrariae esse cognoscuntur, maxime si ab Ecclesia reprobatae fuerint, non solum prohibentur tamquam legitimae scientiae conclusiones defendere, sed pro erroribus potius, qui fallacem veritatis speciem prae se ferant, habere tenentur omnino.

¹ 5. Cor. V.

² Conc. Later. V. Bulla *Apostolici regimini*.

³ Coloss. II, 8.

Neque solum fides et ratio inter se dissidere nunquam possunt, sed opem quoque sibi mutuam ferunt, cum recta ratio fidei fundamenta demonstret, eiusque lumine illustrata rerum divinarum scientiam excolat; fides vero rationem ab erroribus liberet ac tueatur, eamque multiplici cognitione instruat. Quapropter tantum abest, ut Ecclesia humanarum artium et disciplinarum culturae obsistat, ut hanc multis modis iuvet atque promoveat. Non enim commoda ab iis ad hominum vitam dimanantia aut ignorat aut despicit; fatetur imo, eas, quemadmodum a Deo, scientiarum Domino, profectae sunt, ita si rite pertractentur, ad Deum, iuvante eius gratia, perducere. Nec sane ipsa vetat, ne huiusmodi disciplinae in suo quaeque ambitu propriis utantur principiis et propria methodo; sed iustam hanc libertatem agnoscens, id sedulo cavet, ne divinae doctrinae repugnando, errores in se suscipiant, aut fines proprios transgressae, ea, quae sunt fidei, occupent et perturbent.

Neque enim fidei doctrina, quam Deus revelavit, velut philosophicum inventum proposita est humanis ingeniis perficienda, sed tamquam divinum depositum Christi Sponsae tradita, fideliter custodienda et infallibiliter declaranda. Hinc sacrorum quoque dogmatum is sensus perpetuo est retinendus, quem semel declaravit Sancta Mater Ecclesia; nec unquam ab eo sensu, altioris intelligentiae specie et nomine, recedendum. Crescat igitur et multum vehementerque proficiat, tam singulorum, quam omnium, tam unius hominis, quam totius Ecclesiae, aetatum ac saeculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia: sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia⁴.

⁴ Vinc. Lit. Common. n. 28.

CANONES

I.

De Deo rerum omnium Creatore.

1. Si quis unum verum Deum visibilium et invisibilium Creatorem et Dominum negaverit; anathema sit.
2. Si quis praeter materiam nihil esse affirmare non erubuerit; anathema sit.
3. Si quis dixerit, unam eandemque esse Dei et rerum omnium substantiam vel essentiam; anathema sit.
4. Si quis dixerit, res finitas, tum corporeas tum spirituales, aut saltem spirituales, e divina substantia emanasse;
 - aut divinam essentiam sui manifestatione vel evolutione fieri omnia;
 - aut denique Deum esse ens universale seu indefinitum, quod sese determinando constituat rerum universitatem in genera, species et individua distinctam; anathema sit.
5. Si quis non confiteatur, mundum, resque omnes, quae in eo continentur, et spirituales et materiales, secundum totam suam substantiam a Deo ex nihilo esse productas;
 - aut Deum dixerit non voluntate ab omni necessitate libera, sed tam necessario creasse, quam necessario amat seipsum;
 - aut mundum ad Dei gloriam conditum esse negaverit; anathema sit.

II.

De Revelatione.

1. Si quis dixerit, Deum unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum, per ea, quae facta sunt, naturali rationis humanae lumine certo cognosci non posse; anathema sit.
2. Si quis dixerit, fieri non posse, aut non expedire, ut per revelationem divinam homo de Deo, cultuque ei exhibendo edoceatur; anathema sit.
3. Si quis dixerit, hominem ad cognitionem et perfectionem, quae naturalem superet, divinitus eveni non posse, sed ex seipso ad omni tandem veri et boni possessionem iugi profectu pertingere posse et debere; anathema sit.
4. Si quis sacrae Scripturae libros integros cum omnibus suis partibus, prout illos sancta Tridentina Synodus recensuit, pro sacris et canonicis non susceperit, aut eos divinitus inspiratos esse negaverit; anathema sit.

III.

De Fide.

1. Si quis dixerit, rationem humanam ita independentem esse, ut fides ei a Deo imperari non possit; anathema sit.
2. Si quis dixerit, fidem divinam a naturali de Deo et rebus moralibus scientia non distingui, ac propterea ad fidem divinam non requiri ut revelata veritas propter auctoritatem Dei revelantis credatur; anathema sit.

3. Si quis dixerit, revelationem divinam externis signis credibilem fieri non posse, ideoque sola interna eiusque experientia aut inspiratione privata homines ad fidem moveri debere; anathema sit.

4. Si quis dixerit, miracula nulla fieri posse, proindeque omnes de iis narrationes, etiam in sacra Scriptura contentas, inter fabulas vel mythos ablegandas esse; aut miracula certo cognosci nunquam posse, nec iis divinam religionis christianae originem rite probari; anathema sit.

5. Si quis dixerit, assensum fidei christianae non esse liberum, sed argumentis humanae rationis necessario produci; aut ad solam fidem vivam, quae per charitatem operatur, gratiam Dei necessariam esse; anathema sit.

6. Si quis dixerit, parem esse conditionem fidelium atque eorum, qui ad fidem unice veram nondum pervenerunt, ita ut catholici iustam causam habere possint fidem, quam sub Ecclesiae magisterio iam susceperunt, assensu suspensio in dubium vocandi, donec demonstrationem scientificam credibilitatis et veritatis fidei suae absolverint; anathema sit.

IV.

De fide et ratione.

1. Si quis dixerit, in revelatione divina nulla vera et proprie dicta mysteria contineri, sed universa fidei dogmata posse per rationem rite exultam e naturalibus principiis intelligi et demonstrari; anathema sit.

2. Si quis dixerit, disciplinas humanas ea cum libertate tractandas esse, ut earum assertiones, etsi

doctrinae revelatae adversentur, tamquam verae retineri, neque ab Ecclesia proscribi possint; anathema sit.

3. Si quis dixerit, fieri posse, ut dogmatibus ab Ecclesia propositis, aliquando secundum progressum scientiae sensus tribuendus sit alius ab eo, quem intellexit et intelligit Ecclesia; anathema sit.

Itaque supremi pastoralis Nostri officii debitum exequentes, omnes Christi fideles, maxime vero eos, qui praesunt vel docendi munere funguntur, per viscera Iesu Christi obtestamur, nec non eiusdem Dei et Salvatoris nostri auctoritate iubemus, ut ad hos errores a Sancta Ecclesia arcendos et eliminandos, atque purissimae fidei lucem pandendam studium et operam conferant.

Quoniam vero satis non est haereticam pravitatem devitare, nisi ii quoque errores diligenter fugiantur, qui ad illam plus minusve accedunt; omnes officii monemus, servandi etiam Constitutiones et Decreta, quibus pravae eiusmodi opiniones, quae istis diserte non enumerantur, ab hac Sancta Sede proscriptae et prohibitaee sunt.

Datum Romae in publica Sessione in Vaticana Basilica solemniter celebrata anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo septuagesimo, die vigesima quarta Aprilis, Pontificatus Nostri anno vigesimo quarto. — Ita est. — Iosephus Episc. S. Hippolyti, Secret. Conc. Vatic.

B. — *Constitutio dogmatica prima « de Ecclesia Christi »*, edita in Sessione IV. Oecumenici Concilii Vaticani, die 18 Iulii 1870. ®

Pius Episcopus, Servus Servorum Dei, Sacro approbante Concilio. Ad perpetuam rei memoriam. — Pastor aeternus et episcopus animarum nostrarum, ut salutiferum redemptionis opus perenne redderet, san-

ctam aedificare Ecclesiam decrevit, in qua, veluti in domo Dei viventis, fideles omnes unius fidei et charitatis vinculo continerentur. Quapropter, priusquam clarificaretur, rogavit Patrem non pro Apostolis tantum, sed et pro eis, qui credituri erant per verbum eorum in ipsum, ut omnes unum essent, sicut ipse Filius et Pater unum sunt. Quemadmodum igitur Apostolos, quos sibi de mundo elegerat, misit, sicut ipse missus erat a Patre; ita in Ecclesia sua Pastores et Doctores usque ad consummationem saeculi esse voluit. Ut vero episcopatus ipse unus et indivisus esset, et per cohaerentes sibi invicem sacerdotes credentium multitudo universa in fidei et communionis unitate conservaretur, beatum Petrum caeteris Apostolis praeponens, in ipso instituit perpetuum utriusque unitatis principium ac visibile fundamentum, super cuius fortitudinem aeternum extrueretur templum, et Ecclesiae caelo inferenda sublimitas in huius fidei firmitate consurgeret¹. Et quoniam portae inferi, ad evertendam, si fieri posset, Ecclesiam, contra eius fundamentum divinitus positam maiori in dies odio undique insurgunt; Nos ad catholici gregis custodiam, incolumitatem, augmentum, necessarium esse indicamus, sacro approbante Concilio, doctrinam de institutione, perpetuitate ac natura sacri Apostolici primatus, in quo totius Ecclesiae vis ac soliditas consistit, cunctis fidelibus credendam et tenendam, secundum antiquam atque constantem universalis Ecclesiae fidem, proponere, atque contrarios, dominico gregi adeo perniciosos errores proscribere et condemnare.

¹ S. Leo M. serm. iv (al. iii) cap. 2, in diem Natalis sui.

CAPUT I.

De apostolici primatus in beato Petro institutione.

Docemus itaque et declaramus, iuxta Evangelii testimonia primatum iurisdictionis in universam Dei Ecclesiam immediate et directe beato Petro Apostolo promissum atque collatum a Christo Domino fuisse. Unum enim Simonem, cui iam pridem dixerat: *Tu vocaberis Cephas*¹, postquam ille suam edidit confessionem inquit: *Tu es Christus, Filius Dei vivi*, solemnibus his verbis allocutus est Dominus: *Beatus es Simon Bar-Iona: quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in caelis est: et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalent adversus eam; et tibi dabo claves regni caelorum: et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis*². Atque uni Simoni Petro contulit Iesus post suam resurrectionem summi pastoris et rectoris iurisdictionem in totum suum ovile, dicens: *Pasce agnos meos: Pasce oves meas*³. Huic tam manifestae sacrarum Scripturarum doctrinae, ut ab Ecclesia catholica semper intellecta est, aperte opponuntur pravae eorum sententiae, qui constitutam a Christo Domino in sua Ecclesia regiminis formam pervertentes negant, solum Petrum prae caeteris Apostolis, sive seorsum singulis sive omnibus simul, vero proprioque iurisdictionis primatu fuisse a Christo instru-

¹ Ioann. I, 42.

² Matth. XVI, 16-19.

³ Ioann. XXI, 15-17.

ctum; aut qui affirmant, eundem primatum non immediate, directeque ipsi beato Petro, sed Ecclesiae, et per hanc illi ut ipsius Ecclesiae ministro delatum fuisse.

Si quis igitur dixerit, beatum Petrum Apostolum non esse a Christo Domino constitutum Apostolorum omnium principem et totius Ecclesiae militantis visibile caput; vel eundem honoris tantum, non autem verae propriaeque iurisdictionis primatum ab eodem Domino nostro Iesu Christo directe et immediate accepisse; anathema sit.

CAPUT II.

De perpetuitate primatus beati Petri in Romanis Pontificibus.

Quod autem in beato Apostolo Petro princeps pastorum et pastor magnus ovium Dominus Christus Iesus in perpetuam salutem ac perenne bonum Ecclesiae instituit, id, eodem auctore, in Ecclesia, quae fundata super petram ad finem saeculorum usque firma stabit, iugiter durare necesse est. Nulli sane dubium, imo saeculis omnibus notum est, quod sanctus beatissimusque Petrus, Apostolorum princeps et caput, fideique columna et Ecclesiae catholicae fundamentum, a Domino nostro Iesu Christo, Salvatore humani generis ac Redemptore, claves regni accepit: qui ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus, episcopis sanctae Romanae Sedis, ab ipso fundatae, eiusque consecratae sanguine, vivit et praesidet et iudicium exerceat¹. Unde quicumque in hac Cathedra Petro succedit, is secundum Christi ipsius institutionem primatum Petri in universam

¹ Cf. Ephesini Concilii Act. III.

Ecclesiam obtinet. Manet ergo dispositio veritatis, et beatus Petrus in accepta fortitudine petrae perseverans, suscepta Ecclesiae gubernacula non reliquit¹. Hac de causa ad Romanam Ecclesiam propter potentiorum principalem necesse semper fuit omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique fideles, ut in ea Sede, e qua venerandae communionis iura in omnes dimanant, tamquam membra in capite consociata, in unam corporis compagem coalescerent².

Si quis ergo dixerit, non esse ex ipsius Christi Domini institutione, seu iure divino, ut beatus Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores; aut Romanum Pontificem non esse beati Petri in eodem primatu successorem; anathema sit.

CAPUT III.

De vi et ratione primatus Romani Pontificis.

Quapropter apertis innixi sacrarum Litterarum testimoniis, et inhaerentes tum Praedecessorum Nostrorum, Romanorum Pontificum, tum Conciliorum generalium disertis perspicuisque decretis, innovamus oecumenici Concilii Florentini definitionem, qua credendum ab omnibus Christi fidelibus est, sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput; et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere; et ipsi in beato

¹ S. Leo M. Serm. III (al. II) cap. 3.

² S. Iren. adv. haer. I. III, c. 3, et Conc. Aquileien. a. 381, inter epp. S. Ambros. ep. XI.

Petro pascendi, regendi, ac gubernandi, universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum Conciliorum et in sacris Canonibus continetur.

Docemus proinde et declaramus, Ecclesiam Romanam, disponente Domino, super omnes alias ordinariae potestatis obtinere principatum, et hanc Romani Pontificis iurisdictionis potestatem, quae vere episcopalis est, immediatam esse; erga quam cuiuscumque ritus et dignitatis pastores atque fideles, tam seorsum singuli quam simul omnes, officio hierarchicae subordinationis, veracique obedientiae obstringuntur, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; ita ut custodita cum Romano Pontifice tam communionis, quam eiusdem fidei professionis unitate, Ecclesia Christi sit unus grex sub uno summo pastore. Haec est catholicae veritatis doctrina, a qua deviare, salva fide atque salute, nemo potest.

Tantum autem abest, ut haec Summi Pontificis potestas officiat ordinariae ac immediatae illi episcopalis iurisdictionis potestati, qua Episcopi, qui positi a Spiritu Sancto in Apostolorum locum successerunt, tamquam veri pastores assignatos sibi greges, singuli singulos, pascunt et regunt, ut eadem a supremo et universali Pastore asseratur, roboretur ac vindicetur, secundum illud sancti Gregorii Magni: *Meus honor est honor universalis Ecclesiae. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tum ego vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur* ¹.

¹ Ep. ad Eulog. Alexandr. l. viii, ep. xxx.

Porro ex suprema illa Romani Pontificis potestate gubernandi universam Ecclesiam ius eidem esse consequitur, in huius sui muneris exercitio libere communicandi cum pastoribus et gregibus totius Ecclesiae, ut iidem ab ipso in via salutis doceri ac regi possint. Quare damnamus ac reprobamus illorum sententias, qui hanc supremae capitis cum pastoribus et gregibus communicationem licite impediri posse dicunt, aut eandem reddunt saeculari potestati obnoxiam; ita ut contendat, quae ab Apostolica Sede vel eius auctoritate ad regimen Ecclesiae constituuntur, vim ac valorem non habere, nisi potestatis saecularis placito confirmetur.

Et quoniam divino Apostolici primatus iure Romanus Pontifex universae Ecclesiae praesert, docemus etiam et declaramus, eum esse iudicem supremum fidelium ²; et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius posse iudicium recurri ³; Sedis vero Apostolicae, eius auctoritate maior non est, iudicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de eius licere iudicare iudicio ⁴. Quare a recto veritatis tramite aberrant, qui affirmant, licere ab iudiciis Romanorum Pontificum ad oecumenicum Concilium tamquam ad auctoritatem Romano Pontifice superiorem appellare.

Si quis itaque dixerit, Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae perti-

¹ Pii PP. VI breve *Super solitudine*, die 28 Nov. 1786.

² Concil. oecum. Lugdun. II.

³ Ep. S. Nicolai I ad Michaellem Imperat.

nent; aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem huius supremæ potestatis; aut hanc eius potestatem non esse ordinariam et immediatam, sive in omnes ac singulas ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles; anathema sit.

CAPUT IV.

De Romani Pontificis infallibili magisterio.

Ipo autem Apostolico primatu, quem Romanus Pontifex, tamquam Petri principis Apostolorum successor, in universam Ecclesiam obtinet, supremam quoque magisterii potestatem comprehendit, hæc Sancta Sedes semper tenuit, perpetuus Ecclesiae usus comprobat, ipsaque œcumenica Concilia, ea imprimis, in quibus Oriens cum Occidente in fidei charitatisque unionem conveniebat, declaraverunt. Patres enim Concilii Constantinopolitani quarti, maiorum vestigiis inhaerentes, hanc solemnem ediderunt professionem: Prima salus est, rectæ fidei regulam custodire. Et quia non potest Domini nostri Iesu Christi prætermitti sententia dicitis: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, hæc, quæ dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica immaculata est semper catholica reservata religio, et sancta celebrata doctrina. Ab huius ergo fide et doctrina separari minime cupientes, speramus, ut in una communione, quam Sedes Apostolica prædicat, esse mereamur, in qua est integra et vera Christianæ religionis soliditas¹. Appro-

¹ Ex formula S. Hormisdæ Papæ, prout ab Hadriano II Patribus Concilii œcumenici VIII, Constantinopolitani IV, proposita et ab iisdem subscripta est.

bante vero Lugdunensi Concilio secundo, Graeci professi sunt: Sanctam Romanam Ecclesiam summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinere, quem se ab ipso Domino in beato Petro Apostolorum principe sive vertice, cuius Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit; et sicut præ caeteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et, si quæ de fide subortæ fuerint quæstiones, suo debet iudicio definire. Florentinum denique Concilium definivit: Pontificem Romanum, verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput, et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere: et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse.

Huic pastorali muneri ut satisfacerent, Prædecessores Nostrî indefessam semper operam dederunt, ut salutaris Christi doctrina apud omnes terræ populos propagaretur, parique cura vigilarunt, ut, ubi recepta esset, sincera et pura conservaretur. Quocirca totius orbis Antistites, nunc singuli, nunc in Synodis congregati, longam ecclesiarum consuetudinem et antiquæ regulæ formam sequentes, ea præsertim pericula, quæ in negotiis fidei emergebant, ad hanc Sedem Apostolicam retulerunt, ut ibi potissimum resarcirentur damna fidei, ubi fides non potest sentire defectum¹. Romani autem Pontifices, prout temporum et rerum conditio suadebat, nunc convocatis œcumenicis Conciliis aut explorata Ecclesiae per orbem dispersæ sententia, nunc per Synodos particulares, nunc aliis, quæ divina suppe-

¹ Cf. S. Bernard, Epist. cxc.

ditabat providentia, adhibitis auxiliis, ea tenenda definitur, quae sacris Scripturis et apostolicis Traditionibus consentanea, Deo adiutore, cognoverant. Neque enim Petri successoribus Spiritus Sanctus promissus est, ut eo revelante novam doctrinam patefacerent, sed ut eo assistente traditam per Apostolos revelationem seu fidei depositum sancte custodirent et fideliter exponerent. Quorum quidem apostolicam doctrinam omnes venerabiles Patres amplexi et sancti Doctores orthodoxi venerati atque secuti sunt; plenissime scientes, hanc sancti Petri Sedem ab omni semper errore illibatam permanere, secundum Domini Salvatoris nostri divinam pollicitationem discipulorum suorum Principi factam: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* ¹.

Hoc igitur veritatis et fidei nunquam deficientis charisma Petro eiusque in hac Cathedra successoribus divinitus collatum est, ut excelso munere in omnium salutem fungerentur, ut universus Christi grex per eos ab erroris venenosa esca aversus, coelestis doctrinae pabulo nutrireretur, ut sublata schismatis occasione Ecclesia tota una conservaretur, atque suo fundamento innixa, firma adversus inferi portas consisteret.

At vero cum hac ipsa aetate, qua salutaris Apostolici muneris efficacia vel maxime requiritur, non pauci inveniuntur, qui illius auctoritati obtreant; necessarium omnino esse censemus, praerogativam, quam unigenitus Dei Filius cum summo pastorali officio coniungere dignatus est, solemniter asserere.

Itaque Nos, traditioni a fidei Christianae exordio perceptae fideliter inhaerendo, ad Dei Salvatoris nostri

¹ Luc. XXII, 32.

gloriam, religionis Catholicae exaltationem et Christianorum populorum salutem, sacro approbante Concilio, docemus et divinitus revelatum dogma esse definimus: Romanum Pontificem, cum ex Cathedra loquitur, id est, cum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam, ipsi in beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit; ideoque eiusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae, irreformabiles esse.

Si quis autem huic Nostrae definitioni contradicere, quod Deus avertat, praesumpserit, anathema sit.

Datum Romae in publica Sessione in Vaticana Basilica solemniter celebrata, anno Incarnationis Dominae millesimo octingentesimo septuagesimo, die decima octava Iulii, Pontificatus Nostri anno vigesimo quinto.

Recitata Constitutione ex Ambone, lais que a singulis Patribus suffragiis, Summus Pontifex assurgens Decreta et canones, qui in eadem Constitutione continentur, solemniter confirmavit his verbis: « Decreta et Canones, qui in Constitutione modo lecta continentur, placuerunt omnibus Patribus, duobus exceptis; Nosque, sacro approbante Concilio, illa et illos ita, ut lecta sunt, definimus et Apostolica auctoritate confirmamus ».

Ita est. — Iosephus Episcopus S. Hippolyti, Secretarius Concilii Vaticani.

De mandato SS^{mi} in Christo Patris et Domini Nostri divina Providentia Pii PP. IX, anno a Nativitate

tate Domini MDCCCLXX, Indict. XIII, die vero XVIII Iulii, Pontificatus eiusdem SSⁿⁱ Domini Nostri ann. XXV, praesens Constitutio Apostolica affixa et publicata fuit ad valvas Basilicarum S. Iohannis in Laterano, Principis Apostolorum, et S. Mariae Maioris, Cancellariae Apostolicae, ac Magnae Curiae Innocentianae, atque in Aede Campi Florae, per me Aloisium Serafini apost. Curs. — Philippus Ossani Magist. Curs.

XXXVI.

S. C. de Propaganda Fide instructio de titulo Ordinationis. — 27 April. 1871.

I. Cum indecorum omnino sit, atque a Clericorum, qui in sacris Ordinibus constituuntur, dignitate prorsus alienum, ut ipsi aut emendicatis subsidiis, aut ex sordido quaestu ea quae ad victum necessaria sunt, sibi comparare cogantur, nemo ignorat, ab antiquissimis inde temporibus cautum fuisse, ut quicumque in Ecclesia Dei ad sacros Ordines essent promovendi, eisdem de congrua perpetuaque sustentatione provideretur. Olim quidem nemo ordinabatur, nisi certae adscriberetur Ecclesiae, cui perpetuo esset addictus, ut ex ea haberet unde vitam honeste posset sustentare¹. Posterioribus vero temporibus titulus Ordinationis inuectus, quo videlicet victui clericorum satis consuleretur. Cuius necessitas primitus pro ordinatione Diaconorum et Presbyterorum sancita, dein ab Innocentio III, ad Subdiaconos quoque extensa fuit².

¹ Conc. Chalcedonen. can. VI.

² Conc. Lateranen. III, can. V.

Explorata autem omnibus sunt quae Synodus Tridentina³ hac super re constituit; cuius saluberrimas praescriptiones progressu temporis alicubi neglectas s. m. Innocentius XI, Literis encyclicis ad omnes Episcopos per S. Congregationem Concilii die 18 Maii 1679 datis, gravissime observari mandavit.

2. Porro geminus distinguitur titulus, *ecclesiasticus* scilicet, ac *patrimonialis*. Hic postremus, cui occasionem dedisse videtur Alexander III⁴, quique circa finem saeculi XIII usavenire coepit, obtinet, cum ordinandus talibus bonis certis stabilibus ac frugiferis, aliunde quam ab Ecclesia provenientibus, est instructus, quae ad congruam eius sustentationem sufficere Episcopi iudicio censeantur. Ad praefatum accedit titulus *pensionis*, quae non modo ad congruam clerici alimoniam sufficere, sed et perpetua esse debet. Atque hi duo tituli extraordinarii censendi sunt ac veluti ex dispensatione admittuntur, si nimirum Episcopus pro Ecclesiae necessitate aut commodo aliquem ita ordinandum esse indicaverit⁵.

3. Ecclesiasticus vero titulus in *beneficialem* subdividitur, ac *paupertatis*, quibus altae quaedam veluti subsidiariae atque extraordinariae species adiciendae sunt, tituli nempe *mensae communis*, atque *servitii Ecclesiae, Missionis, sufficientiae, et Collegii*. Est autem titulus beneficii huius perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiae propter officium aliquod spirituale, ecclesiastica auctoritate constitutum; atque hic ordinarius ac praecipuus titulus sacrae Ordinationis dici debet⁶.

¹ Sess. XXI. De ref. cap. II.

² In Cap. IV, de Praeben. — Thomassinus, De vet. et nov. Eccl. discipl. part. 2, l. 1, cap. 9, n. 2.

³ Conc. Trid. loc. cit. et Bened. XIV, Inst. Eccl. 26, n. 1 et 3.

⁴ Pagnan. in Cap. 4, de Praebend. n. 27.

4. *Pauperlatis* vero titulus in religiosa professione est positus, vi cuius, qui solemnia vota in probata Religione emiserunt, vel ex redditibus bonorum, si quae ipsamet Religio possideat, vel ex piis fidelium largitionibus omnia communia habent, quorum ad vitam aledam indigent. Quem vero vocant *communis mensae* titulus, eos clericos attingit, qui Religiosorum more in communi vitae disciplina degentes aut nulla nuncupant vota, aut simplicia tantum, propdeque e domo religiosa exire aut dimitti, atque ad saeculum redire permittuntur. Neque enim ad eos pertinet titulus paupertatis, ut ex Const. *Romanus Pontifex* ¹ S. Pii V deducitur. Verum ex hisce Clericis ii dumtaxat communis mensae titulo promoveri ad sacros ordines possunt, quorum Congregationes aut Instituta peculiari ad id privilegio ab Apostolica Sede aucta fuerint.

5. Titulus *servitii Ecclesiae* qui olim ordinarius erat, prout supra adnotatum fuit, et postea evasit extraordinarius, iis quandoque conceditur, qui, cum Beneficio ecclesiastico vel pensione careant, aut patrimonialia aliaque bona non possideant, ea lege ordinantur, ut alicui Ecclesiae sint mancipati, ex cuius servitio et cleemosynis a piis Christianis largiendis substantari possint, et ab eadem Ecclesia nullo unquam tempore amoveri vel ipsi recedere nequeant, nisi alter eis provisum fuerit; quo titulo ut suis Clericis sacros ordines conferret, s. m. Sixtum V Patriarchae Venetiarum indulsisse constat ².

6. Denique titulus *Missionis*, de quo potissimum haec sermo est, praetermissis titulis *sufficientiae et Col-*

¹ *Præf. Id. Octob. 1568.*

² Campanil. *Diversor. inr. canonic. rubr. 8, cap. 4, n. 14, et Gattias De Benefic. part. 2, cap. 16, n. 26.*

legii, (quos utpote raro occurrentes tantum commemorasse sat erit), adhiberi consuevit, cum alius legitimus titulus haud suppetit, pro iis qui maioribus Ordinibus initiari cupiunt, ut Apostolicarum Missionum servitio sese deveveant. Id autem saepe contingit in locis missionum, in quibus ea est rerum conditio, ut commune Ecclesiae ius circa ea, quae ad praerequisitum pro sacra Ordinatione titulum spectant, servari adamussim nequeat. Qui vero huiusmodi titulo ordinati sunt, ii ex Apostolico ministerio in Missione, cui fuerant addicti, ad victum necessaria consequuntur.

7. Sed exploratum est, Ordinarios Clericis titulo Missionis non posse SS. Ordinationum munera imperitari, nisi speciali S. Sedis indulto muniti sint; agitur enim de titulo extraordinario qui praeter ius commune adhibitus fuit. Quod quidem indultum Superioribus Missionum aut Collegiorum seu Congregationum quae missionibus inserviunt, vel ad certum tempus, vel ad praefixum casuum numerum concedi solet. Meminerint autem Superiores eo parce utendum sibi esse: neque enim titulo Missionis omnes absque delectu sacris erunt Ordinibus initiandi Clerici, qui ad Missionum curriculum ineundum utcumque dispositi videantur. Si enim iuxta S. Pauli monitum manus nemini cito imponendae, id potissimum valet, cum sermo est de iis qui in arduum apostolici ministerii opus assumuntur. Quare hic titulus adhibendus erit in eorum dumtaxat favorem, qui animi indole et docilitate, intentionis rectitudine, aptitudine ingenii, profectu in sacris studiis, morum integritate, ac rerum mundanarum contemptu, spem faciant, sese strenuos futuros fore Evangelii praecones; super quo eorumdem Superiorum conscientia districte operatur.

8. Non secus ac Alumni Collegiorum pontificiorum,

ii omnes qui titulo Missionis inter sacros ministros cooperari cupiunt, tenentur prius iuramentum emittere, quo spondeant missioni cui destinati sunt vel destinabuntur, se fore perpetuam operam duros; quod quidem ab iis qui hoc titulo frui volunt, S. Sedes ut Missionum, quarum sumptibus illi aluntur, servitio consuleret, exigere constanter consuevit. Huic Instructioni subnectitur Forma istius Iuramenti iam pridem approbata usque recepta, eamque ab omnibus usurpandam esse, ut uniformitas hac super re servetur, omnino praecipit S. Congregatio.

9. Necessè non est, ut qui ad SS. Ordines hoc titulo evehendus est, actualiter in missione versetur; sed sufficit, ut paratus sit ad missiones obeundas, quando et quomodo Superiores eum mittendum censuerint ac ire iubeant.

10. Eis, qui hoc titulo sunt ordinati, vi praestiti iuramenti interdicitur in Religionem ingredi absque venia S. Sedis; eius namque iudicio reservatum est, praevia Ordinarii, cui intererit, relatione, iudicare, utrum missionum, quarum servitio ii sunt addicti, necessitas id patiatur. Scilicet publicum bonum privato antecellat oportet, ea nimirum ratione, qua aliquibus Ordinibus concessum est, ne eorum religiosis ad arctiorem sine suorum Superiorum licentia transire fas sit.

11. Quemadmodum alii tituli, ita etiam hic, de quo agitur, iuxta canonicas sanctiones amitti potest, atque ab Ordinariis auferri, de consensu tamen S. Congregationis, cuius est sic ordinatos praestiti iuramenti vinculo exsolvere. Quod si, amisso titulo generatim, aut etiam titulo Missionis, alter ei non substituatur, Sacerdos haud propterea remanet suspensus; sed Ordinarii tenentur compellere ordinatos ad alterius tituli sub-

rogationem, prout sacris canonibus consultum est. Id Sacra haec Congregatio in generalibus Comitibus diei 1 Septembris 1856 declaravit.

12. Pariter Sacerdotes regulares, qui vota solemnia nuncuparunt, atque ex Apostolica indulgentia in saeculo vivere permittuntur, vel qui ediderunt vota simplicia et e suis Congregationibus seu Institutis egressi sunt, ne cum proprii gradus dedecore emendicare cogantur, ad sibi de canonico titulo providendum obligentur; in locis vero Missionum ipsi probare saltem tenentur, sibi suppetere media, quibus propriae sustentationi, ut par est, consulant.

13. Qui titulo certae alicuius Missionis ad ecclesiasticos Ordines adscenderunt, ubi Missionarii officium dimiserint, procul dubio suum amittunt titulum, ac de alio sibi providere debent; si vero alterius missionis servitio deputentur, ut huius Missionis titulum assumant, nova opus erit Sanctae Sedis concessionem; neque enim eis suffragatur facultas, si quam obtinuerit eius missionis Ordinarius, memorato titulo Clericos ordinandi.

14. Ordinarii in missionibus utantur opera illorum etiam sacerdotum, qui aliis titulis ad sacros Ordines admissi fuerunt, servatis de iure servandis; neque enim ipsi possunt eos adstringere ad titulum missionis subrogandum. Quin immo hortatur S. Congregatio Ordinarios, ut, quantum fieri potest, alii quoque legitimi tituli pro sacra Ordinatione introducantur.

15. Tandem Sacra Congregatio animadvertens incrementum Missionum plurimum posse conducere, si qui in Collegiis sive Seminariis utriusque Cleri, evangelii praecones mox futuri educati sunt, vel qui titulo Missionis ad Ordines fuere promoti, animo identidem recolant

iusiurandum, quo se obstrinxerunt, cooperandi Deo in salutem animarum; eos hortatur, ut in annos singulos, anniversaria die praestiti iuramenti illud repetere curent, serio meditantes divinam erga se bonitatem, quae eos constituit Verbi ministros ad annuntianda mirabilia virtutis ac potentiae suae; quam immarcescibilis gloriae corona eis in coelis parata sit, si officium suum sancte impleverint; quamque e contra districtum maneat iudicium, si negligentia vel socordia sua, quod absit, quemquam perire contigerit. Id autem, quo promptius et alacrius praestent, noverint s. m. Pium VI in audientia diei 7 Maii 1775 unicuique illorum plenariam indulgentiam, animabus quoque in Purgatorio detentis applicabilem, et perpetuis valituram temporibus impertitum fuisse, non solum cum praedictum iuramentum primo emiserint, verum etiam cum illud stato iam die renovaverint, dummodo in utroque casu conscientiam suam Poenitentiae Sacramento expiare non omittant, atque eucharisticam Communionem suscipiant, vel Missae celebrent Sacrificium.

Datum Romae ex Aedibus dictae S. Congregationis die 27 Aprilis 1871.

Formula iuramenti ab iis praestandi, qui titulo Missionis ordinantur.

Ego N. filius N. Dioecesis vel Vicariatus N. spondeo, et iuro, quod postquam ad Sacros Ordines promotus fuero, nullam Religionem, Societatem, aut Congregationem regularem sine speciali Sedis Apostolicae licentia, aut S. Congregationis de Propaganda Fide ingrediar, neque in earum aliqua professionem emittam.

Voveo pariter et iuro, quod in hac Dioecesi, aut

Vicariatu, vel¹ in Missione cui S. Sedi vel S. Congregationi de Propaganda Fide me destinare placuerit, perpetuo in divinis administrandis laborem meum, ac operam, sub omnimoda directione et iurisdictione R. P. D. pro tempore Ordinarii, pro salute animarum impendam, quod etiam praestabo, si cum praedictae Sedis Apostolicae licentia Religionem, Societatem, aut Congregationem regularem ingressus fuero, et in eam aliqua professionem emisero.

Item voveo, et iuro, me praedictum iuramentum, et eius obligationem intelligere, et observaturum. Sic me Deus adiuvet et haec Sancta Dei Evangelia.

XXXVII.

S. Officii instructio, de scholis publicis, ad Episcopos in Foederatis Statibus Americae Septentrionalis. — 24 Nov. 1875.

Pluries S. Congregatio de Propaganda Fide certior facta est in Foederatis Statibus Americae Septentrionalis catholicae iuventuti e scholis publicis, quas illic vocant, gravissima damna imminere. Tristis hic nuntius effectit, ut praedicta S. Congregatio amplissimis istius ditionis Episcopis nonnullas quaestiones proponendas censuerit, quae partim ad causas, cur fideles sinant liberos suos scholas aetholicas frequentare, partim ad media quibus facilius iuvenes a scholis huiusmodi arceri possint spectabant. Porro responsiones a laudatis Episcopis exaratae ad Supremam Congregationem Universalis Inquisitionis pro natura argumenti

¹ *Juxta hunc alteram modum iurare debent, qui nondum alicui Missioni addicti fuerunt.*

iusiurandum, quo se obstrinxerunt, cooperandi Deo in salutem animarum; eos hortatur, ut in annos singulos, anniversaria die praestiti iuramenti illud repetere curent, serio meditantes divinam erga se bonitatem, quae eos constituit Verbi ministros ad annuntianda mirabilia virtutis ac potentiae suae; quam immarcescibilis gloriae corona eis in coelis parata sit, si officium suum sancte impleverint; quamque e contra districtum maneat iudicium, si negligentia vel socordia sua, quod absit, quemquam perire contigerit. Id autem, quo promptius et alacrius praestent, noverint s. m. Pium VI in audientia diei 7 Maii 1775 unicuique illorum plenariam indulgentiam, animabus quoque in Purgatorio detentis applicabilem, et perpetuis valituram temporibus impertitum fuisse, non solum cum praedictum iuramentum primo emisissent, verum etiam cum illud stato iam die renovaverint, dummodo in utroque casu conscientiam suam Poenitentiae Sacramento expiare non omittant, atque eucharisticam Communionem suscipiant, vel Missae celebrent Sacrificium.

Datum Romae ex Aedibus dictae S. Congregationis die 27 Aprilis 1871.

Formula iuramenti ab iis praestandi, qui titulo Missionis ordinantur.

Ego N. filius N. Dioecesis vel Vicariatus N. spondeo, et iuro, quod postquam ad Sacros Ordines promotus fuero, nullam Religionem, Societatem, aut Congregationem regularem sine speciali Sedis Apostolicae licentia, aut S. Congregationis de Propaganda Fide ingrediar, neque in earum aliqua professionem emittam.

Voveo pariter et iuro, quod in hac Dioecesi, aut

Vicariatu, *vel*¹ in Missione cui S. Sedi vel S. Congregationi de Propaganda Fide me destinare placuerit, perpetuo in divinis administrandis laborem meum, ac operam, sub omnimoda directione et iurisdictione R. P. D. pro tempore Ordinarii, pro salute animarum impendam, quod etiam praestabo, si cum praedictae Sedis Apostolicae licentia Religionem, Societatem, aut Congregationem regularem ingressus fuero, et in eam aliqua professionem emisero.

Item voveo, et iuro, me praedictum iuramentum, et eius obligationem intelligere, et observaturum. Sic me Deus adiuvet et haec Sancta Dei Evangelia.

XXXVII.

S. Officii instructio, de scholis publicis, ad Episcopos in Foederatis Statibus Americae Septentrionalis. — 24 Nov. 1875.

Pluries S. Congregatio de Propaganda Fide certior facta est in Foederatis Statibus Americae Septentrionalis catholicae iuventuti e scholis publicis, quas illic vocant, gravissima damna imminere. Tristis hic nuntius effectit, ut praedicta S. Congregatio amplissimis istius ditionis Episcopis nonnullas quaestiones proponendas censuerit, quae partim ad causas, cur fideles sinant liberos suos scholas aetholicas frequentare, partim ad media quibus facilius iuvenes a scholis huiusmodi arceri possint spectabant. Porro responsiones a laudatis Episcopis exaratae ad Supremam Congregationem Universalis Inquisitionis pro natura argumenti

¹ *Juxta hunc alteram modum iurare debent, qui nondum alicui Missioni addicti fuerunt.*

delatae sunt, et negotio diligenter explorato fer. IV die 30 Iunii 1875 per instructionem sequentem ab Emissis Patribus iudicatum est, quam exinde SS^{mus} D. N. fer. IV. die 24 Novembris praedicti anni adprobare, ac confirmare dignatus est.

Porro in deliberationem cadere imprimis debebat ipsa iuventutis instituendae ratio scholis huiusmodi propria atque peculiaris. Ea vero S. Congregationi visa est etiam ex se periculi plena, ac perquam adversa rei catholicae. Alumni enim talium scholarum cum propria earundem ratio omnem excludat doctrinam religionis, neque rudimenta fidei addiscent, neque Ecclesiae instruuntur praeceptis, atque adeo carebunt cognitione homini quam maxime necessaria, sine qua christiane non vivitur. Enim vero in eiusmodi scholis iuvenes educantur iam inde a prima pueritia, ac propemodum a teneris unguiculis: qua aetate, ut constat, virtutis aut vitii semina tenaciter haerent. Aetas igitur tam flexibilis si absque religione adolescat, sane ingens malum est. Porro autem in praedictis scholis utpote seunctis ab Ecclesiae auctoritate, indiscriminatum ex omni secta magistri adhibentur, et ceteroquin ne perniciosa afferant iuventuti nulla lege cautum est, ita ut liberum sit errores et vitiorum semina teneris mentibus infundere. Certa item corruptela ex hoc impendit quod in fisdem scholis, aut saltem in pluribus earum, utriusque sexus adolescentes et audiendis lectionibus in idem conclave congregantur, et sedere in eodem scamno masculi iuxta feminas iubentur. Quae omnia efficiunt, ut iuventus misere exponatur damno circa fidem, ac mores periclitentur.

Hoc autem periculum perversionis nisi e proximo remotum fiat, tales scholae tuta conscientia frequentari

nequeunt. Id vel ipsa clamat lex naturalis et divina. Id porro claris verbis summus Pontifex edixit, Friburgensi quondam Archiepiscopo die 14 Iulii 1864 ita scribens: « Certe quidem ubi in quibusque locis regionibusque perniciosissimum huiusmodi vel susciperetur vel ad exitum perduceretur consilium expellendi a scholis Ecclesiae auctoritatem, et iuventus misere exponeretur damno circa fidem, tunc Ecclesia non solum deberet intentissimo studio omnia conari, nullisque curis unquam parcere, ut eadem iuventus necessariam christianam institutionem et educationem habeat, verum etiam cogeretur omnes fideles monere, eisque declarare, eiusmodi scholas Ecclesiae catholicae adversas haud posse in conscientia frequentari ». Et haec quidem, utpote fundata iure naturali ac divino, generale quoddam enuntiant principium, vimque universalem habent, et ad eas omnes pertinent regiones, ubi perniciosissima huiusmodi iuventutis instituendae ratio infeliciter invecata fuerit.

Oportet igitur, ut Sacrorum Antistites, quaecumque possint ope atque opera, commissum sibi gregem arceant ab omni contagione scholarum publicarum. Est autem ad hoc omnium consensu nil tam necessarium, quam ut catholici ubique locorum proprias sibi scholas habeant, easque publicis scholis haud inferiores. Scholis ergo catholicis sive condendis ubi deluerint, sive amplificandis et perfectius instruendis parandisque, ut institutione ac disciplina scholas publicas adaequent, omni cura prospiciendum est. Ac tam sancto quidem exequendo consilio tamque necessario, haud inutiliter adhibebuntur, si Episcopis ita visum fuerit, e Congregationibus religiosis sodales sive viri sive mulieres, sumptusque tanto operi necessarii, ut eo libentius atque abundantius

suppeditentur a fidelibus, opportune oblata occasione, sive pastoralibus litteris, sive concionibus, sive privatis colloquiis, serio necesse est ut ipsi commoneant, sese officio suo graviter defuturos, nisi omni qua possunt cura, impensaque, scholis catholicis providerint. De quo potissimum monendi erunt quotquot inter catholicos ceteris praestant divitiis ac auctoritate apud populum: quique comitis ferendis legibus sunt adscripti. Et vero in istis regionibus, nulla obstat lex civilis, quominus catholici, ut ipsis visum fuerit, propriis scholis prolem suam ad omnem scientiam ac pietatem erudiant. Est ergo in potestate positum ipsius populi catholici ut feliciter avertatur cladés, quam scholarum illic publicarum institutum rei catholicae minuitur. Religio autem ac pietas ne e scholis vestris expellantur, id omnes tandem persuadeant sibi plurimum interesse, non singulorum tantum civium ac familiarum, verum etiam ipsius florentissimae Americanae nationis, quae tantam de se spem Ecclesiae dedit.

Ceterum S. Congregatio non ignorat talia interdum rerum esse adiuncta, ut parentes catholici prolem suam scholis publicis committere in conscientia possint. Id autem non poterunt, nisi ad sic agendum sufficientem causam habeant, ac talis causa sufficiens in casu aliquo particulari utrum adsit nec ne, id conscientiae ac iudicio Ordinariorum relinquendum erit; et tunc ea plerumque aderit, quando vel nulla praesto est schola catholica, vel quae suppetit parum est idonea erudiendis convenienter conditioni suae congruenterque adolescentibus. Tunc autem ut scholae publicae in conscientia adiri possint, periculum perversionis cum propria ipsarum ratione plus minusve nunquam non coniunctum, opportunis remediis cautionibusque fieri debet

ex proximo remotum. Est ergo imprimis videndum, utrumne in schola de qua aequa quaeritur, perversionis periculum sit eiusmodi quod fieri remotum plane nequeat: velut quoties ibi, aut docentur quaedam, aut aguntur catholicae doctrinae bonisve moribus contraria, quacque citra animae detrimentum neque audiri possunt, nedum peragi. Enimvero tale periculum, ut per se patet, omnino vitandum est cum quocumque damno temporali etiam vitae. Debet porro iuventus, ut committi scholis publicis in conscientia possit, necessariam christianam institutionem et educationem, saltem extra scholae tempus, rite ac diligenter accipere. Quare parochi ac missionarii, memores eorum quae providentissime hac de re Concilium Baltimorese constituit, catechesibus diligenter dent operam, iisque explicandis praecipue incumbant veritatibus fidei ac morum, quae magis ab incredulis et heterodoxis impetuntur: totque periculis expositam iuventutem impensa cura, qua frequenti sacramentorum usu, qua pietate in B. Virginem studeant communire, et ad religionem firmiter tenendam etiam atque etiam excitare. Ipsi vero parentes, quive eorum loco sunt, liberis suis sollicite invigilent, ac vel ipsi per se, vel, si minus idonei ipsi sint, per alios, de lectionibus auditis eos interrogent, libros iisdem traditos recognoscant, et si quid noxium ibi deprehenderit, antidota praebant, eosque a familiaritate et consortio discipulorum, a quibus fidei vel morum periculum imminere possit, seu quorum corrupti mores fuerint, omnino arceant atque prohibeant. Hanc autem necessariam christianam institutionem et educationem liberis suis impertire quotquot parentes negligunt; aut qui frequentare eos sinunt tales scholas in quibus animarum ruina evitari non potest; aut tan-

dem qui, licet schola catholica in eodem loco idonea adsit, apteque instructa et parata, seu quamvis facultatem habeant in alia regione prolem catholice educandi, nihilominus committunt eam scholis publicis, sine sufficienti causa, ac sine necessariis cautionibus, quibus periculum perversionis e proximo remotum fiat: eos, si contumaces fuerint, absolvi non posse in sacramento Poenitentiae ex doctrina morali catholica manifestum est.

Haec instructio probata fuit feria IV 24 Novembris 1875.

XXXVIII.

Ex litteris S. Congr. de Prop. Fide ad Episcopum Nesquallien. circa catholicos intervenientes choreis aliisque solatiis, quae a Massonibus, uti tales, habentur. — 15 Julii 1876.

Inter dubia quae S. Sedi enodanda proposuit anno superiori Amplitudo Tua, illud etiam recensebatur, quod respicit choreas, quae identidem haberi solent ab iis qui societati vulgo *franc-maçons* sunt adscripti; scilicet per illud quaerebatur an catholici praefatis choreis convenientes incidant in excommunicationem inflictam a Pontificia Constitutione « Apostolicae Sedis moderationi » paragraph. 4.

Porro huiusmodi controversia, ut par erat, delata cum fuerit iudicio supremæ S. C. Universalis Inquisitionis, Eñi Patres, articulo formiter discusso, in hanc devenere sententiam, scilicet: Praeprimis ambigi haud posse animadverterunt gravis reatus reos effici catholicos, qui choreis aliisque solatiis intersunt, quae a

membris societatis massonicae, et uti tales, haberi solent; Praeterea observarunt Constitutionem pontificiam prohibere sub excommunicationis poena, ipso facto incurrendae ac S. Sedi reservatae, quominus massonicae sectae, aliique societati eiusdem generis favor qualiscumque praestetur; proindeque eam habendam esse regulam certam ad diiudicandum num et quando catholici reapse in memoratam excommunicationem inciderint, quod scilicet accurate perpendi debeat utilitas atque commodum quod damnata societas, eorumque adhaerentes, qua tales, retrahunt vel retrahere possunt ab huiusmodi interventu ac adsistentia, ex parte eorumdem catholicorum. Hinc retinendum esse quod catholici censura inodentur eo in casu, quo eorum praesentia ac participatio huiusmodi conventibus reapse avert eidem sectae aut sectatoribus emolumentum aliquod. — 15 Julii 1876.

XXXIX.

S. Officii decretum de dispensatione votorum in Congregationibus emissorum. — 2 Aug. 1876. (Archiep. Novae Aurel.).

1. Se il Vescovo possa dispensare dai voti semplici nelle Congregazioni non clausurate, che, quantunque non approvate dalla S. Sede, hanno però Superiora generale e case in diverse diocesi.

2. Se il Vescovo possa dispensare dai voti semplici emessi nelle Congregazioni che ebbero origine nella propria diocesi, nè hanno case fuori di essa, tuttochè abbiano Superiora generale.

R. Quoad vota non reservata paupertatis et obedientiae, posse Episcopum in utroque casu dispensare; dummodo ius ex contractu oneroso acquisitum tertii, ipso rationabiliter invito, non laedatur. Quoad votum non reservatum castitatis, ex potestate ordinaria Episcopi, negative, nisi constet votum non fuisse perpetuum et absolutum.

(Coll. Prop. F. n. 2088),

XL.

Decr. S. C. Concilii de Professione orthodoxae fidei emittenda iuxta formam a SS. PP. Pio IV et Pio IX praescriptam. — 20 Jan. 1877.

Quod a praeiis Ecclesiae temporibus semper fuit in more, ut Christifidelibus certa proponeretur ac determinata formula, qua fidem profiterentur, atque invalescentes cuiusque aetatis haereses solemniter detestarentur, id ipsum, sacrosancta Tridentina Synodo feliciter absoluta, sapienter praestitit Summus Pontifex Pius IV, qui Tridentinorum Patrum decreta incunctanter exequi properans, edita Idibus Novembris 1564 Constitutione *Iniunctum Nobis*, formam concinnavit professionis fidei recitandam ab iis, qui cathedralibus et superioribus Ecclesiis praebicndi forent, quive illarum dignitates, canonicatus, aliaque beneficia ecclesiastica quaecumque curam animarum habentia essent consecuturi, et ab omnibus aliis, ad quos ex decretis ipsius Concilii spectat: nec non ab iis, quos de monasteriis, conventibus, domibus, et aliis quibuscumque locis Regularium quorumcumque

Ordinum, etiam militarium, quocumque nomine vel titulo provideri contingeret. Quod et alia Constitutione edita eodem die et anno incipien. *In sacrosancta* salubriter praeterea extendit ad omnes doctores, magistros, regentes, vel alios cuiuscumque artis et facultatis professores, sive clericos sive laicos, vel cuiusvis Ordinis Regularis, quibuslibet in locis publice vel privatim quomodocumque profitentes, seu lectiones aliquas habentes vel exercentes, ac tandem ad ipsos huiusmodi gradibus decorandos. Iam vero cum postmodum coadunatum fuerit sacrosanctum Concilium Vaticanum, et ante eius suspensionem per Literas Apostolicas *Postquam Dei munere* diei 20 Octobris 1870 indictam, binae ab eodem solemniter promulgatae sint dogmaticae Constitutiones, prima scilicet de Fide Catholica quae incipit *Dei Filius*, et altera de Ecclesia Christi, quae incipit *Pastor aeternus*; non solum opportunum, sed etiam necessarium diiudicatum est, ut in fidei professione dogmaticis quoque praememorati Vaticani Concilii definitionibus, prout corde, ita et ore publica solemnisque fieri deberet adhaesio. Quapropter SS. P. D. N. Pius Papa IX, exquisito, ea desuper re, voto specialis Congregationis Eminorum S. R. E. Patrum Cardinalium, statuit praecipit, atque mandavit, ceu per praesens decretum praecipit ac mandat, ut in praecipitata Plana formula professionis fidei, post verba « *praecipue a sacrosancta Tridentina Synodo* » dicatur « *et ab oecumenico Concilio Vaticano tradita, definita ac declarata, praesertim de Romani Pontificis Primatu et infallibili magisterio* », utque in posterum fidei professio ab omnibus, qui eam emittere tenentur, sic et non aliter emittatur, sub comminationibus ac poenis a Concilio Tridentino et a supradictis Constitutionibus sa. me. Pii IV statutis. Id igitur

ubique, et ab omnibus ad quos spectat, diligenter ac fideliter observetur, non obstantibus *etc.*

Sequitur formula Professionis fidei.

« Ego N. firma fide credo et profiteor omnia et singula, quae continentur in Symbolo Fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur; videlicet: Credo in unum Deum, Patrem Omnipotentem, factorem caeli et terrae, visibilibus omnium et invisibilibus. Et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum: et ex Patre natum, ante omnia saecula: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; genitum, non factum, consubstantialem Patri: per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de caelis: et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine: et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato, passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die, secundum Scripturas. Et ascendit in caelum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos; cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum et vivificantem: qui ex Patre Filioque procedit: qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur: qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum: et vitam venturi saeculi. Amen.

« Apostolicas et ecclesiasticas traditiones reliquasque eiusdem Ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector. Item Sacram Scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Sacrarum Scripturarum, admitto: nec

eam unquam, nisi iuxta unanimum consensum Patrum, accipiam et interpretabor.

« Profiteor quoque septem esse vere et proprie Sacramenta novae legis a Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria; scilicet: Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unionem, Ordinem et Matrimonium, illaque gratiam conferre; et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et adprobatos Ecclesiae Catholicae ritus, in supradictorum omnium Sacramentorum solemnium administratione, recipio et admitto. Omnia et singula, quae de peccato originali et de justificatione in Sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio.

« Profiteor pariter, in Missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium Sacrificium, pro vivis et defunctis; atque in Sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse vere, realiter et substantialiter Corpus et Sanguinem, una cum Anima et Divinitate Domini nostri Iesu Christi, ferique conversionem totius substantiae panis in Corpus, et totius substantiae vini in Sanguinem, quam conversionem Ecclesia Catholica transubstantiationem appellat. Fateor etiam, sub altera tantum specie, totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi.

« Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis iuvari. Similiter et Sanctos, una cum Christo regnantes, venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmissime assero, imagines Christi ac Deiparae semper Virginis, necnon

aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam, Catholicam et Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum matrem et magistram agnosco, Romanoque Pontifici, beati Petri Apostolorum Principis successori, ac Iesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo ac iuro.

« Caetera item omnia a sacris Canonibus et Oecumenicis Conciliis, ac praecipue a sacrosancta Tridentina Synodo et ab Oecumenico Concilio Vaticano tradita, definita ac declarata, praesertim de Romani Pontificis Primatu et infallibili magisterio, indubitanter recipio atque profiteor; simulque contraria omnia, atque haereses quascumque ab Ecclesia damnatas et reiectas et anathematizatas, ego pariter damno, relicio et anathematizo.

« Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte confiteor et veraciter teneo, eandem integram et inviolatam, usque ad extremum vitae spiritum, constantissime, Deo adiuvante, retinere et confiteri, atque a meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri et praedicari, quantum in me erit, curaturum, ego idem N. spondeo, voveo ac iuro. Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia. »

XLI.

S. Congregationis de Propaganda Fide instructio super Visitatione SS. Liminum. — 1 Junii 1877.

1. Inter praecipua officia, quae Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis iuxta SS. Patrum et Canonum statuta incumbunt, illud profecto est accensendum, quod ipsi sacra Apostolorum Limina visitare, eaque occasione Romano Pontifici obsequium ac obedientiam praestare, et rationem reddere de pastoralis muneris implemento, deque omnibus, quae ad Ecclesiarum suarum statum, et cleri populique mores ac disciplinam, animarumque ipsis concreditarum salutem pertinent. Quod quidem officium, unitatis, et communionis cum Apostolica Sede quaedam veluti tessera, ex iis iuribus sponte fluit, quae Romano Pontifici, vi primatus, quo ex divina institutione in universam pollet Ecclesiam, inherere compertum est. Nemo autem ignorat quae hoc in themate fel. rec. Sixtus V in celebri Const. *Romanus Pontifex* die 20 Decembris 1585 edita praescripsit.

2. Cum vero nonnulla identidem suboriantur dubia circa modum, quo huic muneri Sacrorum Antistites satisfacere debeant, atque inde graves anxietates ob sacramenti religionem, quo se illud impleturos sponderunt, S. Consilium Christiano Nomini propagando propositum sollicitudinis suae partes esse duxit, Sixtinam Constitutionem opportunè declarare, ut quo enucleator erit legis dispositio, eo promptius ab omnibus executioni mandetur.

3. Et praepriis recolere praestat quod in § 7 memoratae Constitutionis praescribitur: « Ad hoc autem debitum visitationis officium commode explendum, omnes patriarchae, primates, archiepiscopi, et episcopi, Itali videlicet vel ex Italicis insulis, unde commodus in Italiam trauci potest, veluti Siculi, Sardi, Cursi, et alii adiacentium provinciarum Italiae ac etiam Dalmatiae, et Graecarum, quae e regione ipsius Italiae et Siciliae oris sunt, *tertio anno*; Germani vero, Galli, Hispani, Belgae, Bohemi, Hungari, Angli, Scoti, Hiberni, et ceteri omnes, qui in Europa sunt circa mare Germanicum, et Balticum, ac omnium insularum maris mediterranei, *quarto anno*; et qui intra Europae fines sunt, his provinciis remotiores, ac etiam Africani litoribus nostris aduersi, ac insularum maris Oceani Septentrionalis et Occidentalis Europae et Africae citra continentem novi orbis... *quinto anno*; Asiatici vero, et qui extra Asiam et in aliis novis terris orientalibus, meridionalibus, occidentalibus, et septentrionalibus, tam in insulis quam in continetibus, et denique in quibuslibet mundi partibus, *decimo anno*, iter suscipiant, et, Deo concedente, per-

4. Iam vero saepe quaesitum fuit, undenam in computando triennio, quadriennio etc. exordiri oporteat. Et quidem alii opinati sunt ea temporis intervalla Episcopos computare debere a die, quo ad Sedem episcopalem in Consistorio renunciati sunt, aut quo Literae Apostolicae ipsis expeditae fuerunt; alii a die consecrationis, alii denique a die acceptae Sedis possessionis. Quidam etiam existimarunt initium temporis, ad SS. Limum Visitationem peragenda, sumendum esse a die, quo dioecesis crecta fuit. Hinc ad aures S. Con-

gregationis pervenit variam hac super re variis in regionibus praxim invalescere coepisse.

5. Ad omnes huiusmodi opiniones e medio tollendas, sat est, ea quae Sixtus V constituit, sedulo inspicere; aperte enim in § 8 Constitutionis praefatae enunciat, a die publicationis eiusdem Constitutionis Episcopos ad ss. Apostolorum cineres visitandos omnino teneri. Quemadmodum igitur scribit Fagnanus¹, praedicta annorum spatia omnibus incipiunt currere a die, quo Bulla Sixti V edita fuit, hoc est a die 20 Decembris 1585. Nec difficultatem facessunt, quae in § 7 leguntur; nam, ut idem auctor observat, « verba Bullae - *Haec autem annorum spatia* - non ita sunt accipienda, ut initium computationis triennii vel quadriennii etc. sumi debeat a die consecrationis, susceptionis vel translationis huiusmodi; sed hunc habent sensum, ut eo ipso quo quis est consecratus, incipiat sibi currere obligatio visitandi Limina, non autem ut spatia supradicta ab eo tempore computari debeant. Et hanc interpretationem semper habuerunt ea verba in S. C. Concilii. Haec autem computatio fieri debet ab ipsa die publicationis Bullae exclusive, et sic in fine cuiusque triennii etc. vel decenniis integra dies vigesima Decembris cedit commodo Episcoporum, adeo ut tempus ad visitandum praefixum duret usque ad ultimum momentum eius diei. Ita enim statuitur pro regula, ut dies termini non computetur in termino. Revera praclaudenta S. Congregatio Concilii, ut omne dubium amoveret, per encyclicas Literas ad universi Orbis Catholici Praesules die 16 Novembris an. 1673 datas, significavit, unum eundemque perpe-

¹ In II. Lib. *Decret.* in Cap. *Ego N... Episcopus*, IV *De iuricor.* num. 36.

tuo et ab omnibus observandum esse terminum pro sacra Visitatione, qui amissum est dies editae in lucem Sixtinae Constitutionis¹.

6. Idipsum S. haec Congregatio de Prop. Fide an. 1802 Episcopis Hiberniae enunciavit; et an. 1865 euidam ex Archiepiscopis Americae Foederatae scribebat « triennia etc. decennia ita esse computanda, ut « initio sumpto a die, quo praedicta Constitutio edita « fuit, nimirum a die 20 Decembris 1585, perpetuo « et sine alia interruptione, pro omnibus successoribus « Episcopis decurrant ».

7. At nuper controversia mota est, an etiam pro *Sedibus recentur erectis tempus Visitationis sacrae computandum sit a die publicationis Const. Sixtinae*. Nec defuit inter recentiores canonum Doctores, qui arbitraretur triennia, quadriennia etc., quod ad Dioeceses attinet post Sixtum V erectas, computanda esse a die, quo primus noviter erectae dioecesis Episcopus administrationem suscepit.

8. Sed nulla suppetit ratio, cur Episcopi novarum dioecesium aliam a ceteris dimetiendi temporum spatia pro Visitatione ss. Liminum rationem sectentur; ipsi enim quoque Sixtinae Constitutioni, sicut in aliis dispositionibus, quas continet, ita et in hac adhaerere debent. Quocirca propositae mox quaestioni Emi PP. huius S. Consilii in generalibus Comitibus diei 3 Maii 1875 post maturam deliberationem decreverunt, respondendum esse *Affirmative*, nimirum etiam ab Episcopis, qui sedibus recentur institutis praesunt, praefatam regulam esse retinendam.

9. Quae cum ita sint, cum quispiam ad Episco-

¹ V. caus. *Carpentoracten*. diei 19 Febr. 1718 in princ.

palem Sedem, sive ex veteribus, sive ex novis, evenitur, diem, quo lex Sixti V prodit, praec oculis habeat; et si, praefiniti temporis inde incipiens computationem, noverit eius praedecessorem vertente triennio, quadriennio etc. oneri ss. Liminum Visitationis haud fecisse satis, sciat ipse se ad eam absolvendam adstringi. Iuverit iterum audire Fagnanum, qui scribit²: « Ex « praescripto huius Constitutionis Sixti V § *Ad hoc* « *autem vers. Quae ne longius differantur* etc. tempus « quaecumque excursus alicui ex Episcopis, qui sive « morte praeventus, sive alia quacumque de causa ob « non finitum tempus ei praescriptum Limina non vi- « sitaverit, ita intelligi effluxisse et excurrisse illius « successoris, ut, termino ipso iuxta praedecessoris sui « iusiurandum completo, debitam visitationem conficere « teneatur. Quae verba non eum habent sensum, ut « Episcopus successor teneatur visitare pro omnibus « triennis etc., pro quibus eius praedecessor non visi- « tavit...; sed illa verba ita sunt accipienda, ut Epi- « scopus nuper consecratus, si eo triennio etc., quod « eo tempore currit, eius praedecessor non visitaverit, « teneatur ipse visitationem perficere ». Si proinde incoepo iam triennio etc. Episcopus ss. Limina ad- « verit, relationemque suae dioeceseos exhiberit, ac postea e vivis migraverit, neutrum repetere successor tenetur; persolutio enim praedecessoris successoris suffragatur³.

10. E contra, si quis dioeceseos curam assumpserit paulo ante quam triennium etc. sub antecessore incoepum ad exitum perveniret, cum temporis defectu nondum in promptu possit habere quae ad statum

² Loc. cit. n. 46.

³ Fagnan. loc. cit. n. 47.

proptiae Ecclesiae referendum requiruntur, succurrit remedium implorandae prorogationis, quae, hisce praesertim in adiunctis, a S. Sede facile impertitur.

11. Notum est ipsam Sixtinam legem Episcopis consulere, qui legitimo impedimento detenti, ad Apostolorum sepulcra personaliter se conferre non possunt; id enim per procuratorem ipsis praestare permittitur. Immo quod ad procuratoris deputationem facilius ac remissius agi coepit, ut inde a sua aetate animadvertat s. m. Bened. XIV¹, et pristinus rigor progressu temporis valde temperatus est. « Unde si Episcopus « iusto quolibet impedimento detentus a S. C. licentiam « petat visitandi Limina per procuratorem, atque etiam « in eum finem deputandi canonicum aliquem, aut sacerdotem dioecesis suae iam in Urbe existentem, et privatis suis rebus vacantem, vel etiam ordinarium suum « negotiorum gestorem aut agentem, de rebus Ecclesiae et dioecesis probe instructum, dummodo ecclesiastico caractere insignitus sit, facta Rom. Pontifici « per Secretarium ipsius Congregationis instantiae illius « relatione, non ita frequenter reici solet, ut olim evenisse constat, sed petita licentia et facultas passim « benigne conceditur ». Pariter ad procuratoris munus olim haud admittebatur sacerdos regularis, nisi probata deficientia Capituli et cleri saecularis, exceptis fortasse Ecclesiis remotissimarum regionum²; sed in hoc etiam sequioribus temporibus S. Sedes sese faciliorem praebere consuevit.

12. Quae communiora ac potissima sint impedimenta, quibus Episcopi a romano itinere suscipiendo excusantur, videre est penes rerum canonicarum tractatores

¹ De Syn. Dioc. Lib. XIII, Cap. VI, n. 3.

² Ibid.

ad Cap. IV Ego N. de iuratur. Ea vero sic perstringit Catalanus¹: « Est quidem munus et republicae officium episcopatus adiunctum..., item aetas gravis, « hostilitas quoque ac timor hostium, incursus latro- « num, pestis et alia id genus, quorum tamen quaedam « impedimenta Antistites profecto excusant a vi- « sitatione personali tantum, non vero ab illa, quae « per certum nuntium, veluti aegritudo, decrepitas, mu- « nus episcopatus adiunctum, quae personam respiciunt « ipsius Episcopi. Sunt autem quaedam alia, quae etiam « a mittendo Romam certum nuntium Episcopos excu- « sant, ut ex. gr. pestis, viarum obsessio, hostilitas, « modo tales sint, quae impediunt accessum dioecesa- « norum ad Urbem ». Ceterum tot esse possunt huius- « modi impedimenta, quot peculiaries cuiusque personae circumstantiae, quibus fiat, ut sine magna difficultate aut gravi incommodo urbs Roma adiri non possit.

13. Sed facile quisque intelliget ordinarias causas, quae personalem visitationem impediunt, nostra hac aetate non nisi raro locum habere; ea enim invexit humanum ingenium adiumenta ad varias locorum distantias percurrendas, ut incredibili ferme celeritate et facilitate longissima quaeque itinera terra marique perfici valeant. Et, si ad debitum Visitationis officium *commode*, ut ipse ait, explendum Sixtus V praedicta temporum intervalla praescripsit, *variam*, ut verbis utamur Benedicti XIV², *locorum atque dioecesium ab Urbe distantiam summa aequalitatis ratione perpendicularis*; quid in praesens tam facile, quam intra ea intervalla ad Urbem accedere? S. igitur Congregatio sibi persuadet, Sacrorum Antistites huic muneri, cui sese, interposito

¹ Comment. Pont. Rom. Tom. I. ad § 4.

² Loc. cit. n. 5.

sacramento, obstrinxerunt, nedum statis a Sixto V temporibus nunquam esse defuturos, sed immo spem fovet in Domino ut, magistrorum veritatis Petri et Pauli sepulcra, fidelium animas illuminantia, coram veneraturi, suam huc praesentiam saepius etiam exhibeant. Quod certe ipsi libenter praestabunt, modo attenta consideratione revolvant illud Sardicensis Concilii¹: « optimum et valde congruentissimum esse, si ad « caput, idest ad Petri Apostoli Sedem de singulis « quibuscumque provinciis domini referant Sacerdo- « tes ». Ita enim fit, ut Rom. Pontifex, cui omnium Ecclesiarum sollicitudo concedita est, Praesulum Romam adventantium opera et adiutorio, ubique locorum christiani gregis necessitates agnoscere, spiritualium ovium morbos intelligere, et aptiora remedia adhibere valeat; nec quidquam ipsum lateat earum rerum, quas ad Dei gloriam augendam, ad Religionem propagandam, ad animarum bonum promovendum, necessario eum scire oportet. Plura sane negotia per epistolam possunt expediri; nemo tamen inficias iverit, plura esse alia, quae melius nequeant pertractari, quam si os ad os alloquamur. Accedit etiam, quaedam aliquando occurrere, quae secreti fidem ita postulant, ut ea scripto mandare periculosum sit; hinc fel. rec. Bened. XIII. in Rom. Synodo an. 1723², Episcopus monet, « ne ita « passim personali ab hac Visitatione se dispensent, « monita hic multa et sane proficua eorundem SS. Ecclesiae Principum patrocinio et Summi Pontificis vivae « vocis oraculo percepturi, quae scriptis aliquando ne- « queunt consignari ».

¹ Epist. Syn. ad. Iul. I. Rom. Pont. apud Labbeum Tom. II. col. 690 edit. Venet.

² Tit. XIII, Cap. I.

14. Ne itaque pigeat Sacrorum Antistites ad Urbem, quam Apostolorum Principes suo sanguine consecraverunt, ex dissitis etiam regionibus properare, eum etiam in finem, ut arctioribus usque vinculis cum Supremo Ecclesiae Capite et duce coniuncti, eo fortius praeliari praelia Domini pergant, quo maiore in dies impetu ac velut agmine facto christianae reipublicae hostes eam oppetere adnituntur.

15. Hanc autem S. Congregationis instructionem SSmo D. N. Pio PP. IX per me infrascriptum Secretarium in audientia diei 13 elapsi mensis relatum, Sanctitas Sua benigne in omnibus adprobavit, eique apostolicae suae auctoritatis robur adiecit.

Datum Romae ex Aedibus dictae S. Congregationis die 1 Junii 1877.

XLII.

S. Officii instructio ad Ordinarios Brasiliae de secta massonica. — 5 Iulii 1878.

Pestis Massonismi, qui in istis regionibus tanta Religioni detrimenta infert, eo fortius reprimetur quo religiosius a clero isto servata fuerit regula catholicae doctrinae circa modum agendi cum massonibus, praesertim quod ad Sacramenta attinet, ceteraque bona spiritualia, a quorum communione illi prorsus sunt arcendi, donec impiae sectae nuncium remiserint. Cum vero S. Sedes certior facta fuerit multum discrepare hac in re praxim istorum parochorum, Sacrae Congregationi, approbante SSmo D. N., visum est sequentia in memoriam revocare, quae ab omnibus accurate servanda erunt.

Itaque loquendum primum de Sacramento Matrimonii. Nullo modo tolerari potest, quod illic in quibusdam dioecesibus, sicut refertur, usuvenit, ut matrimonia, quae a massonibus contrahuntur, cum omni solemnitate ritus catholici celebrentur. Potius si quis matrimonio coniungi postulat, qui noscitur sectae massonicae adscriptus esse, parochus totis viribus ad id incumbere tenetur ut illi sectae renuntiet; quod si tenuerit, sedulo curandum est ut sponsa ac parentes eius, opportunis exhortationibus, a tali coniugio deterreantur.

Quando vero parochus nullo modo potest huiusmodi matrimonium impedire, et prudenter timet, ne, ex denegata matrimonio adistentia, grave scandalum vel damnum oriatur, res deferenda est ad Ordinarium, qui, sicut ei opportuna nunc facultas tribuitur, inspectis omnibus casus adiunctis, permittere poterit, ut parochus matrimonio passive intersit, idest absque benedictione, alioque ritu ecclesiastico, tamquam testis authorizabilis; dummodo cautum omnino sit catholicae educationi universae proles, aliisque similibus conditionibus. Haec vero facultas, quatenus iudicio Ordinarii necessitas postulaverit, parochis secreto delegari poterit. Quoties autem agitur de matrimonio inter unam partem catholicam et alteram, quae a fide ita deficit ut alicui falsae religioni, vel sectae haereticae sese adscripserit, requirenda est consueta et necessaria dispensatio, cum solitis ac notis praescriptionibus et clausulis.

Praeterea Ordinarii, nomine S. Sedis, confessariis praecipiant, ut serio moneant suos poenitentes ne societati *Francs-Maçons* aliisque huius generis clandestinis aggregationibus nomen dare, vel earum conventicula

adire, aut fovere praesumant, ac pertinacibus sacramentalem absolutionem negent. Ut autem vere resipiscentes absolvi queant ab excommunicatione incursa, Sanctitas Sua necessarias et opportunas facultates Ordinariis concedit ad decennium.

Ceterum confessarii sciant hominibus liberorum muratorum societati aggregatis, licet emissi iuramenti poeniteant, sacramentalem absolutionem non esse impertiendam, priusquam ipsi absolute et positive praedictam damnatam societatem in perpetuum relinquunt, vel saltem serio promittant se id quantocius effecturos. Insuper omnino prohibendum est, ne massones notorii officium patrini in Sacramento Baptismi vel Confirmationis suscipiant. Illi enim, quatenus adhaereant sectae ab Ecclesia damnatae, minime idonei sunt procurandae, si opus fuerit, educationi christinae spiritualium filiorum. — Reliquum est, ut quoad sepulturam massonum et exequias reddendas statuta Ecclesiae accurate serventur.

Videlicet ecclesiastica sepultura massonibus notariis concedi non potest, nisi, debita retractatione emissa, per absolutionem Deo et Ecclesiae fuerint reconciliati. Si quando vero morte praeventi retractationem rite emittere non potuerint, dederint nihilominus ante mortem signa poenitentiae et devotionis, tunc poterit concedi sepultura ecclesiastica, vitatis tamen ecclesiasticis pompis et solemnitatibus exequiarum. Praeterea ecclesiastica sepultura carere debet qui adhuc post receptionem Sacramentorum, ipse postulaverit sepeliri adhibitis signis sectae massonicae, nisi hanc voluntatem postea iterum retractaverit. Si vero perversa aliorum opera, contra defuncti voluntatem, emblemata sectae massonicae feretro apposita fuerint, cognita

eorum appositione, statim amoveantur, et omnino ante associationem cadaveris. Ex iis quidem patet omnino non licere quod illic, prout relatam est, in quibusdam locis fieri solet, ut cum conventu et in praesentia cleri cadavera more massonum sepultura inferantur. Quoad eos casus in quibus sepultura ecclesiastica deneganda est, si ex ea re graves turbae pertimescendae sint. Ordinarii, quo tutius in negotio tanti momenti procedant, pro norma habere debent responsum S. Poenitentiariae, videlicet: quoties cum gravibus minis exequiae ac sepultura ecclesiastica requirantur pro defuncto, qui, cum fuerit excommunicatus notorius, iisdem plane privandus est secundum sacros canones et regulas DD., S. Poenitentiariae 10 Decembris 1860 hunc modum tenendum esse praescripsit: « Curandum ut cuncta ad normam ss. canonum fiant: « quatenus vero absque turbarum et scandali periculo « id obtinere nequeat, parochus, neque per se, neque « per alios sacerdotes, ad exequias et ad sepulturam « ullo modo concurrat ».

Postremo cum societas massonica certo certius accensenda sit societatibus per Apostolicas Constitutiones condemnatis, nullo pacto permitti potest, ut massones in forma officiali, id est a secta deputati, S. Sacrificio Missae aliisque officiis ecclesiasticis interveniant. Interdicendum quoque est ne clerus iussioni seu desiderio massonum pareat pro celebrandis Missis seu officiis ecclesiasticis, uti a massonibus iussis seu postulatis, seu uti talibus in invitationibus ac in publicis ephemeridibus enunciatis.

XLIII.

S. Congregationis de Prop. Fide instructio de Commissione Investigationis (pro Statibus Americae foederatis) cum adnexa responsione circa eandem Commissionem ¹. — 20 Iul. 1878.

Quamvis Concilium Plenarium Baltimoreense II. ab Apostolica Sede recognitum, certam quamdam iudicii formam, iam antea a Concilio provinciali S. Ludovici sancitam, in criminalibus clericorum causis ab ecclesiasticis curiis dioecesium Foederatorum Septentrionalis Americae Statuum pertractandis servandam esse decreverit, experientia tamen compertum est, statutum iudicii ordinem haud undequaque parem esse ad querelas eorum praecavendas, quos poena aliqua multari contigerit. Saepe enim postremis hisce temporibus accidit, ut presbyteri iudicii ea ratione initis latisque sententiis damnati, remoti praesertim ab officio rectoris missionarii, huc illuc de suis Praelaticis conquesti fuerint et frequenter etiam ad Apostolicam Sedem recursus detulerint. Dolendum autem est, non raro evenire, ut in transmissis actis plura, eaque necessaria desiderentur, atque perpensis omnibus gravia saepe dubia orientur circa fidem documentis hisce in causis allatis habendam vel denegandam.

Quae omnia S. Congregatio fidei propagandae praeposita serio perpensens, aliquod remedium hisce incommodis parandum, ac ita iustitiae consulendum

¹ *En titulus plenus*: De modo servando ab Episcopis Foederatorum Septentrionalis Americae Statuum in cognoscendis et definiendis causis criminalibus et disciplinibus Clericorum.

esse censuit, ut neque insontes clerici per iniuriam poena afficiantur, neque alicuius criminis rei ob minus rectam iudiciorum formam a promerita poena immunes evadant. Quod quidem facili pacto obtineret, si omnes praescriptiones a sacris canonibus sapienter editas pro ecclesiasticis iudiciis, praesertim criminalibus, ineundis et absolvendis servandas omnino esse praeciperet. Verum animo reputans, in praedictis Foederatorum Ordinum regionibus id facile servari non posse, ea ratione providendum esse duxit, ut saltem illae de admissio crimine accurate peragantur investigationes, quae omnino necessariae existimantur, antequam ad poenam irrogandam deveniatur.

Itaque SS^{mo} Domino Nostro Divina Providentia PP. Leone XIII approbante, in generalibus comitiis habitis die 25 Junii 1878, S. Congr. decrevit, ac districte mandavit, ut singuli memoratae regionis sacrorum Antistites, in dioecesana synodo quamprimum convocanda, quinque, aut ubi ob peculiaria rerum adiuncta tot haberi nequeant, tres saltem presbyteros ex probatissimis et quantum fieri poterit in iure canonico peritis seligant, quibus consilium quoddam iudiciale, seu, ut appellent, Commissio Investigationis constituatur, eidemque unum ex electis praeficiant. Quod si ob aliquam gravem causam synodus dioecesana statim haberi nequeat, quinque vel tres prouti supra per Episcopum interim ecclesiastici viri ad munus de quo agitur deputentur.

Commissionis ita constitutae princeps erit officium criminales atque disciplinares presbyterorum aliorumque clericorum causas, iuxta normam mox proponendam ad examen revocare, rite cognoscere, ac ita Episcopo in ipsis definiendis auxilium praebere. Satagant pro-

pterea oportet ad hoc munus electi, ut accuratae fiant investigationes, ea proferantur testimonia atque a praesumpto reo omnia exquirantur, quae ad veritatem eruendam necessaria censentur, ac ad iustam sententiam tuto prudenterque ferendam certa vel satis firma argumenta suppeditent.

Quod si de alicuius rectoris missionis remotione agatur, nequeat ipse a credito sibi munere defici, nisi tribus saltem praedictae Commissionis membris per Episcopum ad causam cognoscendam adhibitis, eorumque consilio audito.

Electi consiliarii in suscepto munere permaneant ad proximam usque dioecesanam synodi celebrationem, in qua vel ipsi confirmentur in officio vel alii designentur. Quod si interim morte, aut renuntiatione vel alia causa, praescriptus consiliariorum numerus minuatur, Episcopus extra synodum alios in deficientium locum, prout superius statutum est, sufficiat.

In causis cognoscendis, iis praesertim in quibus de rectore missionario definitive a suo officio amovendo agatur, iudicialis Commissio hanc sequetur agendi rationem:

1. Ad Commissionem investigationis non recurratur, nisi prius clare et praecise exposita ab Episcopo causa ad defectionem finalem movente, ipse rector missionarius malit rem ad Consilium deferri, quam se a munere et officio sponte dimittere.

2. Re ad Consilium delata, Episcopus vicario suo generali vel alii sacerdoti ad hoc ab ipso deputato committat, ut relationem causae in scriptis conficiat, cum expositione investigationis eo usque peractae, et circumstantiarum, quae causam vel eiusdem demonstrationem specialiter afficiant.

3. Locum, diem, et horam opportunam ad conveniendum indicet; idque per litteras ad singulos consiliarios.

4. Per litteras etiam rectorem missionarium, de quo agitur, ad locum et diem constitutum ad Consilium habendum advocet, exponens, nisi prudentia vetat, uti in casu criminis occulti, causam ad defectionem moventem per extensum, monensque ipsum rectorem, ut responsum suis rationibus suffultum ad ea praeparet in scriptis, quae in causae expositione vel iam antea oretenus, vel tunc in scriptis relata fuerint.

5. Convenientibus consiliariis, tempore et loco praefinitis, praecipiat Episcopus silentium servandum de iis, quae in Consilio audiantur; moneat investigationem non esse processum iudicalem, sed eo fine habitam, et eo modo faciendam, ut ad cognitionem veritatis diligentiori qua poterit ratione perveniat; adeo ut unusquisque consiliarius, perpensis omnibus, opinionem de veritate factorum, quibus causa innitur, efformare quam accurate possit. Moneat etiam ne quid in investigatione fiat, quod aut ipsos, aut alios periculo damni vel gravaminis exponat, praesertim ne locus detur actioni libelli famosi, vel alii cuicumque processui coram tribunali civili.

6. Relatio causae legatur coram Consilio ab Episcopi officiali, qui etiam ad interpellationes respondebit a praeside vel ab aliis consiliariis per praesidem faciendas ad uberiores rei notitiam assequendam.

7. Deinde in Consilium introducatur rector missionarius, qui responsum a se confectum leget, et ad interpellationes similiter respondebit; facta ipsi plena facultate ea omnia in medium afferendi, intra tempus tamen a Consilio determinandum, quae ad propriam defensionem conferre possunt.

8. Si contingat, rectorem missionarium, de cuius causa agitur, nolle ad Consilium accedere, iterum datis litteris vocetur, eique congruum temporis spatium ad comparandum praefiniatur; et si ad constitutum diem non comparuerit, dummodo legitime praepeditus non fuerit, uti contumax habeatur.

9. Quibus omnibus rite expletis, consilarii simul consilia conferant; et si maior pars consiliariorum satis constare de factis arbitretur, sententiam suam unusquisque consiliarius in scriptis exponat rationibus quibus nititur expressis; conferantur sententiae; acta in Consilio ab Episcopi officiali redigantur, a praeside nomine Consilii subscribantur, et simul cum sententiis singulorum in extenso ad Episcopum deferantur.

10. Quod si ulterior investigatio necessaria vel congrua videatur, eo ipso die, vel alio ad conveniendum a Consilio constituto, testes vocentur, quos opportunos Consilium iudicaverit, audito etiam rectore missionario de iis quos ipse advocandos esse voluerit.

11. Singuli testes *pro causa* seorsim et accurate examinentur a praeside et ab aliis per praesidem, absente primum rectore missionario. Non requiratur iuramentum; sed si testes ipsi non renuant et se paratos esse declarent ad ea quae detulerint iuramento, data occasione, confirmanda, fiat adnotatio huiusmodi dispositionis seu declarationis in actis.

12. Consentientibus testibus, et dirigente prudentia Consilii, repetatur testimonium coram rectore missionario, qui et ipse testes si voluerit interroget per praesidem.

13. Eadem ratione quae testes *pro causa*, examinentur testes *contra causam*.

14. Collatis tunc consiliis fiat ut supra n. 9.

15. Quod si testes nolint aut nequeant Consilio assistere, vel eorum testimonium nondum satis luculentum negotium reddat, duo saltem ex Consilio deputentur, qui testes adentes, loca invisentes, vel alio quocumque modo poterunt lumen ad dubia solvenda requirentes, relationem suae investigationis ad Consilium deferant, ut ita nulla via intentata relinquatur ad verum moraliter certo cognoscendum, antequam ad sententiae prolationem deveniatur.

16. Omnia acta occasione iudicii in medium allata accurate in curia episcopali custodiantur, ut in casu appellationis commode exhiberi valeant.

17. Si vero contingat, ut a sententia in curia episcopali prolata ad Archiepiscopalem provocetur, Metropolitanus eadem methodo in causae cognitione et decisione procedat.

Ex aedibus praelatae S. Congregationis die 20 Iulii anni 1878. — Ioannes Card. Simeoni, Praefectus. — Ioannes Baptista Agnozzi, Secretarius.

*Sequitur responsio S. Congregationis de Prop. Fide circa Commissionem Investigationis.*¹

I. Instructio diei 20 Iulii 1878 lata est de casibus, in quibus ecclesiastica poena seu censura sit infligenda, aut gravi disciplinari coercionis sit locus. Hinc Concilii Plen. Balt. II. decreta n. 125 quoad naturam missionum, nn. 77, 108 quoad iuridicos, effectus remotionis missionariorum ab officio nullatenus innovata seu infirmata fuerunt.

¹ *En titulus plenius:* Ad dubia circa modum servandum ab Episcopis Foederatorum Septentrionalis Americae Statuum in cognoscendis et definiendis causis criminalibus et disciplinariis Clericorum.

Episcopi vero curent, ne sacerdotes sine gravi et rationabili causa de una ad aliam missionem invitos transferant. Quod si de alicuius rectoris definitiva remotione a munere in poenam delicti infligenda agatur, id Episcopi executioni non mandent, nisi audito prius Consilio.

II. Electio consiliariorum facienda est in synodo ad instar deputationis, seu canonicae electionis Iudicum Synodaliū, qui non a clero, sed ab Episcopo eliguntur, audito quidem consilio clericorum in synodo, *etsi ex causis sibi notis illud amplecti postea Episcopus noluerit*, ut bene observat Benedictus XIV, *De Syn. Dioec. l. iv. c. 5, n. 5*. Hinc absonum est ut in casu, de quo agit Instructio, horum consiliariorum electio ad clerum pertineat.

Extra Synodum electio absolute ad Episcopum pertinet, quem decet, ut votum audiat reliquorum consiliariorum in casu subrogationis alicuius qui defecerit, prout Episcopus in casu deficientis Iudicis Synodalis debet *exquirere Capituli consilium, sed illud sequi non tenetur*.

III. Votum a Consilio datum est semper consultivum, et sententia definitiva Episcopo est reservata; quando enim canones dicunt aliquid ab Episcopo de capituli vel cleri consilio agendum esse, non propterea necessitatem ipsi Episcopo inducunt illud sequi, nisi expresse id cautum sit. Hinc recte dicitur in Instruktionem, hos consiliarios *Episcopo in causis definiendis auxilium praebere*, minime vero ipsos decidere. Sed inquisitionis acta, et opinio pandita a consiliariis est semper inserenda processui.

Ex quibus patet officium consiliariorum iudiciale quidem esse, cum instructio sit iisdem commissa, ac

tanquam Adessores Episcopo adstant: sed patet etiam iudicialis et definitivae sententiae prolationem Episcopo esse unice reservatam.

IV. Per Instructionem sublata non est Episcopis extraordinaria facultas procedendi ad suspensionem ex informata conscientia, quatenus gravissimas et canonicas causas concurrere in Domino iudicaverint, aut gravi et urgente necessitate pro salute animarum, etiam non audito consilio, remedio aliquo providendum esse censuerint.

Liberum cuique rectori est alium sacerdotem ab Episcopo approbandum secum habere coram Consilio sive ad simplicem adstantiam sive ad suas animadversiones aut defensionem exhibendam. — Ioan. Card. Simeoni, S. C. Praefectus. — I. B. Agnozzi, Secret. (Conc. Baltim. App. p. 292).

XLIV.

S. C. Concilii decretum circa titulum « servitii Ecclesiae » pro regionibus Americae Latinae. — 11 Iunii 1879.

In relatione status Ecclesiae de Chiapas in Mexicana provincia, quam ad S. C. Congregationem Rñus Episcopus transmisit haec habet: « Universalis Ecclesiae Mexicanae est praxis, Ordines titulo *Administrationis* conferre, et ego hanc praxim sequutus sum ». Quibus habitis, eidem Episcopo demandatum fuit ut magis praecise referret, quidnam intelligatur titulo *Administrationis*, et an praxis esset diuturna, et alicui peculiari privilegio inniteretur. Votis S. C. morem ge-

rens Rñus Episcopus, datis literis diei 10 Novembris 1877, sequentia exposuit:

« 1. Titulo *Administrationis* intelligitur destinatio ordinandi ad munia ecclesiastica, ubi Episcopo videtur debitor, obeunda cum iure ad pensionem congruentem pro sustentatione ex fidelium oblationibus recipiendam, dummodo ex sua culpa inhabilis ad illa officia non reddatur.

« Maioris hac super re claritatis gratia scire oportet, fideles Christianos in Mexicana Ecclesia quasdam determinatas praestaciones, occasione quorundam ecclesiasticorum officiorum Parochis facere teneri. Hae autem praestaciones dotem beneficiorum curatorum constituunt, et de illis designatam in unaquaque dioecesi pensionem Sacerdotibus ab Episcopo ad paroecias, pro ipsarum necessitate missis, tamquam parochorum Vicariis vel auxiliariis, ipsi Parochi solvere obligantur. Porro destinatio ad modum dictum officium vel ad aliud quodcumque munus, quasi ad partem *Administrationis* ecclesiasticae cum iure ad praefatam pensionem, vel ad aliam assignandam, titulus *Administrationis* appellata est.

« 2. Praxis ordinandi ad hunc titulum sacros ministros ab immemoriali proficiensit tempore, et adeo, si fallor, universalis est in Mexicana Ecclesia, ut vix unus aut alter Sacerdos in ea reperiatur qui sub hoc titulo non sit ordinatus.

« 3. Nullum vero, cui mos praedictus innitatur, peculiare privilegium novi unquam. Forte ex titulo *Doctrinae Indorum* a Concilio Limensi III inducto, et a Concilio III Mexicano adoptato atque a sancta Sede adprobato, evolutione quadam facta, originem duxerit. »

Cum ageretur de praxi quae afficit totam Mexicanam Ecclesiam, huiusmodi preces Archiepiscopo Mexicano ablegatae fuerunt pro informatione et voto, et ut referret an consuetudo de qua in precibus, esset reapse immemorabilis, et an omnibus iuris requisitis polleret. Qui respondit: « Ab antiquissimis temporibus, quorum iam amplius non extat memoria, admiserunt seu consenserunt in huiusmodi titulum omnes quotquot fuere Praelati, qui huius regionis Ecclesias diutius quam per 300 annos rexerunt atque administrarunt. Cum viderent dignissimi praedecessores nostri, non solum populos in necessitate spirituali versari, sed etiam paucos inveniri, qui titulo beneficii, capellaniae seu patrimonii possent ordinari (quod maxime notandum post direptionem bonorum Ecclesiae ac idearum subversionem), haud dubie sufficientem iudicarunt certam quamdam ac competentem congruam, quae proveniret ex emolumentis, obventionibus et iuribus, quae solent fideles in singulis paroeciis sacerdotibus erogare vel ob sacramentorum administrationem, vel ob curam animarum.

« Quoad substantiam idem omnino est titulus in omnibus dioecesibus, et tantum accidentaliter differt ob ipsius qualificationem seu denominationem. Sic ex. gr. existit in hac Archidioecesi titulus *administrationis* eodem modo ac illum profert seu explicat Episcopus Chiapensis; vocari etiam aliquando solet *titulus idiomatis*, seu *linguae vernaculae*. Nam cum existant Indi qui tantum lingua vulgo dicta *Mexicana*, *Olotina* et *Mazahua* utantur, iuvenes in Seminario versantes, ac quamlibet ex his tribus linguis seu idiomatibus agnoscentes, poterunt hoc uno titulo ordinari, dummodo illis populis, ubi aliquo ex tribus

« supradictis idiomatibus utuntur, sacris operam daturi sint. »

Hisce praemissis, dirimendum propositum fuit dubium:

An praxis Ecclesiae de Chiapas, Clericos ad sacros ordines, titulo « Administrationis » promovendi, sustinenda sit in casu?

Resolutio. Sacra C. C. sub die 21 Iunii 1879, re discussa, respondere censuit: *Affirmative*.

(Acta S. Sedis, XII, pag. 569).

XLV.

S. C. EE. et RR. instructio de modo quo oeconomico procedere debent Curiae ecclesiasticae in causis disciplinaribus et criminalibus clericorum. — 11 Iunii 1880.

Sacra haec EE. et RR. Congregatio, praesentis temporis conditione, in qua Ecclesia versatur, accurate perpensa, qua vix non ubique in res et personas ecclesiasticas externam suam actionem exercere impeditur, simulque et illud prae oculis habens maxima ex parte ecclesiasticas Curias opportunis mediis carere quibus recte ordinentur, constituit facultatem expresse impertire locorum Ordinariis ut adhibitis formis magis oeconomicis iurisdictionem suam in clericos, ad disciplinam quod attinet, exerceant.

Utque hinc iustitia incolumis servetur, inde vero processus ad canonum praescriptum ab omnibus fiant, sequentes praestituit normas ab omnibus servandas:

I. Ordinarii, pro eorundem munere pastoralis, tenentur disciplinae et correctioni consulere clericorum

Cum ageretur de praxi quae afficit totam Mexicanam Ecclesiam, huiusmodi preces Archiepiscopo Mexicano ablegatae fuerunt pro informatione et voto, et ut referret an consuetudo de qua in precibus, esset reapse immemorabilis, et an omnibus iuris requisitis polleret. Qui respondit: « Ab antiquissimis temporibus, quorum iam amplius non extat memoria, admiserunt seu consenserunt in huiusmodi titulum omnes quotquot fuere Praelati, qui huius regionis Ecclesias diutius quam per 300 annos rexerunt atque administrarunt. Cum viderent dignissimi praedecessores nostri, non solum populos in necessitate spirituali versari, sed etiam paucos inveniri, qui titulo beneficii, capellaniae seu patrimonii possent ordinari (quod maxime notandum post direptionem bonorum Ecclesiae ac idearum subversionem), haud dubie sufficientem iudicaverunt certam quamdam ac competentem congruam, quae proveniret ex emolumentis, obventionibus et iuribus, quae solent fideles in singulis paroeciis sacerdotibus erogare vel ob sacramentorum administrationem, vel ob curam animarum.

« Quoad substantiam idem omnino est titulus in omnibus dioecesibus, et tantum accidentaliter differt ob ipsius qualificationem seu denominationem. Sic ex. gr. existit in hac Archidioecesi titulus *administrationis* eodem modo ac illum profert seu explicat Episcopus Chiapensis; vocari etiam aliquando solet *titulus idiomatis*, seu *linguae vernaculae*. Nam cum existant Indi qui tantum lingua vulgo dicta *Mexicana*, *Olotina* et *Mazahua* utantur, iuvenes in Seminario versantes, ac quamlibet ex his tribus linguis seu idiomatibus agnoscentes, poterunt hoc uno titulo ordinari, dummodo illis populis, ubi aliquo ex tribus

« supradictis idiomatibus utuntur, sacris operam daturi sint. »

Hisce praemissis, dirimendum propositum fuit dubium:

An praxis Ecclesiae de Chiapas, Clericos ad sacros ordines, titulo « Administrationis » promovendi, sustinenda sit in casu?

Resolutio. Sacra C. C. sub die 21 Iunii 1879, re discussa, respondere censuit: *Affirmative*.

(Acta S. Sedis, XII, pag. 569).

XLV.

S. C. EE. et RR. instructio de modo quo oeconomico procedere debent Curiae ecclesiasticae in causis disciplinaribus et criminalibus clericorum. — 11 Iunii 1880.

Sacra haec EE. et RR. Congregatio, praesentis temporis conditione, in qua Ecclesia versatur, accurate perpensa, qua vix non ubique in res et personas ecclesiasticas externam suam actionem exercere impeditur, simulque et illud prae oculis habens maxima ex parte ecclesiasticas Curias opportunis mediis carere quibus recte ordinentur, constituit facultatem expresse impertire locorum Ordinariis ut adhibitis formis magis oeconomicis iurisdictionem suam in clericos, ad disciplinam quod attinet, exerceant.

Utque hinc iustitia incolumis servetur, inde vero processus ad canonum praescriptum ab omnibus fiant, sequentes praestituit normas ab omnibus servandas:

I. Ordinarii, pro eorundem munere pastoralis, tenentur disciplinae et correctioni consulere clericorum

qui iisdem subduntur, eorum mores inspicere, atque ea opportuna remedia adhibere quae a sacris canonibus sive ad praecavenda sive ad corrigenda mala praescribuntur.

II. Haec inter, alia ad praecavendum malum ordinantur, alia in eius coercitione ac medela vim suam exercent. Hinc priora ea amovere student quae aut scandalum aut occasionem voluntariam aut causam delinquendi proximam exhibent. Posteriora vero tum delinquentes ad meliorem frugem revocare, tum damna ex crimine secuta reficere satagunt.

III. Porro Ordinarii munus incumbit recensita haecenus remedia pro sua prudentia et conscientia adhibendi, prout rerum et adiunctorum natura et canones ecclesiastici exigunt.

IV. Mediis, quibus malum praecavetur, potissimum accensentur spiritualia exercitia, monitiones et praecepta.

V. His tamen praemittenda est summaria saltem facti notitia, cuius ab Ordinario habenda est ratio, ut, si opus sit, *ad ulteriora* procedat, vel etiam possit superiori auctoritati satisfacere si legitime ab aliquo ad illam recursus habeatur.

VI. Monitiones vero *canonicae* vel in forma paterna et secreta (adhibita etiam epistola vel interposita aliqua persona), vel in forma iuridica fiunt, ita tamen ut aliquo modo semper constet de facta monitione.

VII. Monitionibus frustra adhibitis, Ordinarius Curiae mandat ut praeceptum opportunum intinetur delinquenti, quo eidem quid facere vel omittere debeat indicatur, addita si illud transgrediatur respondentis ecclesiasticae poenae comminatione.

VIII. Praeceptum reo praevento intimatur a Can-

cellario coram Vicario generali; vel coram duobus testibus probatae integritatis, sive ecclesiasticis sive laicis.

§ 1. Actibus subscribitur a partibus praesentibus, quin et a praevento si velit.

§ 2. Vicarius generalis iurisiurandi vinculo obstringere potest testes ut secretum servent, si rei natura, de qua agitur, id ad prudentiae normam exigit.

IX. Ad infligendas poenas quod spectat, sedulo Reverendissimi Ordinarii animadvertant, hanc instructionem haud efficere ut solemnitates in iudiciis servandae iuxta sacros canones, apostolicas constitutiones, aliasque ecclesiasticas sanctiones abrogatae censeantur, quotiescumque libere et efficaciter usurpari possint; verum oeconomicus huiusmodi processus iis Curiae servandas praescribit in quibus solemnitates iudiciorum aut adhiberi nequeunt aut minus expedire videantur.

Insuper vim suam plene retinet remedium extraiudiciale quod *ex informata conscientia* appellatur, et pro criminibus occultis adhibendum decrevit Concilium Tridentinum (Sess. 14, cap. 1, de Ref.) iis tamen regulis ac cautionibus servatis quas in eiusdem capituli intellectu constanter adhibuit Sacra Congregatio Concilii in pluribus resolutionibus ac nominatim in *Bosnien. et Sirmien.* 20 Decembr. 1873.

X. Quum criminaliter procedi opus sit, sive ob praeceptorum infractionem, sive ob communia crimina aut ecclesiasticarum legum violationem, processus ea ratione confici potest ut summaria forma absque strepitu iudicii fiat, servatis tamen semper iis regulis quae ad iustitiam essentialiter tiendam pertinent.

XI. Processus vero *ex officio* instruitur aut post supplicem libellum exhibitum, aut occasione querelae, aut cuiuscumque notitiae a Curia habitae, atque ad

finem eo consilio perducitur ut maiori qua fieri potest cautione et prudentia, veritas detegatur, et tum criminis notitia haberi, tum qui accusatus fuerat innocens aut reus cognosci possit.

XII. Processus confici potest ab aliquo ecclesiastico viro probo ac idoneo cui opem suam conferet actuarius.

XIII. In quacumque Curia adesse debet Procurator fiscalis ad iustitiae legisque tutelam.

XIV. Si Curia cursores non habet, eorum munus pro intimationibus aliisque significationibus suppleri poterit ab aliqua qualificata persona quae de facto fidem faciat, vel documenta per tabellarios publicos specialiter commendata transmitti poterunt; ita tamen ut scripto constet de eorum exhibitione, receptione, aut reiectione.

XV. Criminis iuridica existentia tum ex processus confectione authenticis communita informationibus aut confessionibus extrajudicialibus vel testium depositionibus constare poterit. Transgressio vero alicuius praeccepti constat per novam exhibitionem decreti et actus indictionis, iis servatis de quibus supra articulis VII et VIII.

XVI. At vero ut accusatus tamquam reus haberi possit, ea iuridica probatione opus est, qua vel facti veritas omnino evidens sit, vel ea habeatur moralis certitudo quae prudens dubium omnino excludat.

XVII. Qui examini subici debent, ii semper seorsim audiantur.

XVIII. Testes sive ad probandum sive ad defensionem, nisi lex aliqua obstet, iurati esse debent, quin et si opus sit iuramento ad secretum servandum adigantur.

XIX. Si qui forte ex iis absint, eorum examen fit ab ecclesiastica auctoritate loci quo morantur ad

quam facti expositio transmitti debet; haec vero supplet, servatis tamen iis quae in hac instructione praescribuntur.

XX. Si vero quidam testes, vel quoad factum, vel quoad eius circumstantias, veluti ad causam dirimendam omnino necessarii iudicentur; neque tamen audiri possint vel quia non expedit vel quia nolunt; eorum in actis mentio fiat; horum vero defectus per alios testes *de relato* aut alio quovis modo fide dignos supplendus erit.

XXI. Dum omnia sufficienter habeantur quibus factum eiusque imputabilitas eruatur, ad examen accusatus erit vocandus.

XXII. In citatione, nisi obstet prudentia, proponi ei debent per extensum accusationes adversus eum intentatae, ut se praeparet ad eas disiciendas.

XXIII. Si vero vel ex accusationum qualitate vel alia de causa id prudenter fieri nequeat, generali modo ei iniungendum erit ut ad examen veniat et accusationem obiectam diluat.

XXIV. Si reuatur, iteratur intimatio, eique praefigitur peremptorius terminus, simulque monetur eo termino elapso tamquam in contumacem animadversum iri: et reapse ceu talis habebitur, nisi legitimam absentiae causam probet.

XXV. Si in iudicio adest, examini subicitur: et si alicuius momenti inductiones exhibeat, eae, quantum fieri potest, exhaustivae erunt.

XXVI. Deinde ad contestationem facti criminosi deveniendum est, simulque probationes exhibitae proferendae, quibus evincitur eum qui accusatur reum esse poenisque canonicis puniendum.

XXVII. Cum hoc pacto reus conventus omnia

cognoscet quae contra ipsum proferuntur, hic tum ea diluere tum se tueri iure poterit.

XXVIII. Poterit tamen terminum aliquem etiam petere ad semet defendendum scripto, quod potissimum fieri debet cum ex dictis in articulo XXIII haud potuerit se paratum ad respondendum exhibere.

XXIX. Processu absoluto, actorum instructor eiusdem essentialium conclusionum restrictum conficere debet.

XXX. In causae tractatione inquisitus potest, si velit, repraesentari et defendi sive ab alio sacerdote sive a laico, qui tamen prius ab Ordinario approbandi erunt.

XXXI. Si reus praeventus defensorem sibi constituere nolit, Ordinarius unum ex officio eidem deputabit.

XXXII. Defensor caute ex actis notitiam haurit causae ut eam possit tueri, eiusque defensio etiam ante causae propositionem scripto poterit exhiberi. At si Ordinarius iudicet ex causae natura secretum iuramenti vinculo servandum esse, defensor quoque eodem obstringitur.

XXXIII. Processus et restrictus dein ad procuratorem fiscalem transmittitur, ut ea quae ad ipsum pertinent exequatur; itemque ad Ordinarium utrumque postea transmittitur, qui causae statu apprime perspecto, diem statuit quo discuti ac dirimi debeat, simulque de hoc eum qui accusatur certiore efficit.

XXXIV. Statuta die, causa proponitur coram Vicario Generali, adstantibus procuratore fiscali, rei patrono, et cancellario.

XXXV. Auditis tum conclusionibus fiscalibus tum deductionibus pro defensione, sententia profertur, can-

cellario dispositivam partem scribente ex dictato; in eaque mentio expressa fieri debet, si reus damnatur, canonicae sanctionis quae contra ipsum adhibetur.

XXXVI. Sententia praevento indicitur, qui appellationem ad superiorem ecclesiasticam potestatem interponere potest.

XXXVII. In iudicio appellationis servantur ea quae Benedictus XIV, in sua constitutione *Ad militantis* 30 Martii 1742 praecipit, itemque huius S. Congregationis Decretum 18 Decembris 1865, et litterae encyclicae 1 Aug. 1851.

XXXVIII. Appellatio fieri debet intra decem dies a sententiae notificatione, quo termino inutiliter elapso, sententia executioni debet mandari.

XXXIX. Facta intra decem dies appellatione, Curia absque mora transmittere debet ad superiorem ecclesiasticam potestatem, ad quam appellatum est, omnes actus causae originales, scilicet processum, restrictum, defensionem et sententiam.

XI. Potestas ecclesiastica superior, appellationis habita notitia, appellatam monet ut intra viginti dies defensorem sibi constituat, ab eadem superiore potestate approbandum.

XLI. Si peremptorius hic terminus frustra elabatur, censetur appellans renuntiasse appellationis beneficio, et a potestate superiore appellatio consequenter edicatur perempta.

XLII. Cum a sententia Curiae Episcopalis fiat appellatio ad Metropolitanam, hic in cognoscenda ac dirimenda causa instructionem hanc ceu normam in processu servare debet.

XLIII. Si contingat clericum contra fori privilegium a laica potestate ob communia crimina processui

et iudicio subici, Ordinarius eo in casu facti criminosi summariam notitiam capit, simulque perpendit utrum ad sacrorum canonum praescriptum infamia aut irregularitas aut alia ecclesiastica sanctio locum habeat.

§ 1. Iudicio nondum expleto, vel quousque accusatus vinculis detinetur, consultus est ut Ordinarius sese contineat in remediis provisorii adhibendis.

§ 2. Iudicio vero absoluto, reoque convento libertati reddito, Curia, iuxta informationes prius habitas earumque indolem, procedit, si opus sit, iuxta modum in hac instructione praescriptum.

XLIV. Si forte occurrant dubia aut difficultates practicae, Ordinarii ad vitandas contentiones et nullitates recurrant ad hanc Sacram Congregationem.

Ex audientia SSⁿⁱ diei 11 Junii 1880.

SS^{mus} D^{ñs} Noster Leo Div. Prov. PP. XIII, audita relatione praesentis Instructionis ab infrascripto Sacri Congregationis Episcoporum et Regularium Secretario, eam in omnibus approbare et confirmare dignatus est.

Romae die et anno quibus supra. - I. Card. Ferreri, Praef. - I. B. Agnozzi, Secretarius.

(Versio adhib. in Conc. Mexic. V, App. n. 19).

XLVI.

SS. D. N. Leonis Papae XIII Constitutio « Romanos Pontifices », qua nonnulla controversiarum capita inter episcopos et missionarios regulares Angliae et Scotiae definiuntur. — VIII Idus Maii 1881.

Romanos Pontifices Decessores Nostros paterno semper caritatis affectu inclytam Anglorum gentem fovisse, et monumentis suis testatur historia, et felicitis recordationis Pius IX in Litteris *Universalis Ecclesiae* III kal. Octobris anno Incarnationis Dominicae MDCCCL. datis, graviter ac diserte demonstravit. Quum autem per eas Litteras episcopalem hierarchiam idem Pontifex inter Anglos restitueret, cumulavit quodammodo, quantum temporum ratio sinebat, ea benefacta quibus Apostolica Sedes nationem illam fuerat prosequuta. Ex dioecesium enim restitutione pars illa dominici gregis ad nuptias Agni caelestis iam vocata, ac mystico Eius corpori sociata, pleniorum veritatis atque ordinis firmitatem per Episcoporum gubernationem et regimen rursus adeptae est. *Episcopi quippe*, inquit S. Irenaeus¹, *successionem habent ab Apostolis, qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum, secundum placitum Patris acceperunt*; atque inde fit, quemadmodum S. Cyprianus monet², *ut Ecclesia super Episcopos constituitur, et omnis actus Ecclesiae per eosdem Praepositos gubernetur*.

Huic sane sapienti consilio mirifice respondit even-

¹ *Adv. haer.* lib. IV, cap. 26, n. 2.

² *Epist.* 29 ad lapsos.

et iudicio subici, Ordinarius eo in casu facti criminosi summariam notitiam capit, simulque perpendit utrum ad sacrorum canonum praescriptum infamia aut irregularitas aut alia ecclesiastica sanctio locum habeat.

§ 1. Iudicio nondum expleto, vel quousque accusatus vinculis detinetur, consultus est ut Ordinarius sese contineat in remediis provisorii adhibendis.

§ 2. Iudicio vero absoluto, reoque convento libertati reddito, Curia, iuxta informationes prius habitas earumque indolem, procedit, si opus sit, iuxta modum in hac instructione praescriptum.

XLIV. Si forte occurrant dubia aut difficultates practicae, Ordinarii ad vitandas contentiones et nullitates recurrant ad hanc Sacram Congregationem.

Ex audientia SSⁿⁱ diei 17 Junii 1880.

SS^{mus} D^{ñs} Noster Leo Div. Prov. PP. XIII, audita relatione praesentis Instructionis ab infrascripto Sacri Congregationis Episcoporum et Regularum Secretario, eam in omnibus approbare et confirmare dignatus est.

Romae die et anno quibus supra. - I. Card. Ferreri, Praef. - I. B. Agnozzi, Secretarius.

(Versio adhib. in Conc. Mexic. V, App. n. 19).

XLVI.

SS. D. N. Leonis Papae XIII Constitutio « Romanos Pontifices », qua nonnulla controversiarum capita inter episcopos et missionarios regulares Angliae et Scotiae definiuntur. — VIII Idus Maii 1881.

Romanos Pontifices Decessores Nostros paterno semper caritatis affectu inclytam Anglorum gentem fovisse, et monumentis suis testatur historia, et felicit recordationis Pius IX in Litteris *Universalis Ecclesiae* III kal. Octobris anno Incarnationis Dominicae MDCCCL. datis, graviter ac diserte demonstravit. Quum autem per eas Litteras episcopalem hierarchiam idem Pontifex inter Anglos restitueret, cumulavit quodammodo, quantum temporum ratio sinebat, ea benefacta quibus Apostolica Sedes nationem illam fuerat prosequuta. Ex dioecesium enim restitutione pars illa dominici gregis ad nuptias Agni caelestis iam vocata, ac mystico Eius corpori sociata, pleniorum veritatis atque ordinis firmitatem per Episcoporum gubernationem et regimen rursus adeptae est. *Episcopi quippe*, inquit S. Irenaeus¹, *successionem habent ab Apostolis, qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum, secundum placitum Patris acceperunt*; atque inde fit, quemadmodum S. Cyprianus monet², *ut Ecclesia super Episcopos constituitur, et omnis actus Ecclesiae per eosdem Praepositos gubernetur*.

Huic sane sapienti consilio mirifice respondit even-

¹ *Adv. haer.* lib. IV, cap. 26, n. 2.

² *Epist.* 29 ad lapsos.

tus; plura nimirum Concilia provincialia celebrata, quae saluberrimis legibus religiosa dioecesium negotia ordinarunt: latius propagata in dies catholica fides, et complures nobilitate generis et doctrina praestantes ad unitatem Ecclesiae revocati: clerus admodum auctus: auctae pariter religiosae domus non modo ex regulis ordinibus, sed ex iis etiam recentioribus institutis, quae moderandis adolescentium moribus, vel caritatis operibus exercendis optime de re christiana et civili societate meruerunt: constituta pia laicorum sodalitia: novae missiones novaeque Ecclesiae quamplures erectae, nobili instructu divites, egregio cultu decorae; per multa etiam item condita orphanis alendis hospitia, seminaria, collegia et scholae, in quibus pueri et adolescententes frequentissimi ad pietatem ac litteras instituuntur.

Cuius quidem rei laus non exigua tribuenda est Britannicae gentis ingenio, quod prout constans et invictum est contra vim adversam, ita veritatis et rationis voce facile flectitur, ut proinde vere de ipsis dixerit Tertullianus *Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo subiecta* *. At praecipuum sibi laudis meritum vindicant cum assidua Episcoporum vigilantia, tum Cleri universi docilis ad parendum voluntas, prompta ad agendum sollertia.

Nihilominus quaedam ex ipsa rerum conditione ortae difficultates dissensusque inter sacrorum Antistites et sodales Ordinum religiosorum obstiterunt, quominus uberiores fructus perciperentur. Illi enim, cum praescripta fuisset per memoratas Litteras Praedecessoris Nostri communis iuris observantia, rati sunt se posse

* Lib. *Adv. iudaeos* cap. 5.

omnia decernere quae ad ipsius iuris executionem pertinent, quaeve ex generali Ecclesiae disciplina Episcoporum potestati permessa sunt. Plures contra gravesque causae prohibebant, ne peculiaris missionum disciplina, quae iam inveteraverat, repente penitus aboleretur. Ad has propterea difficultates avertendas et controversias finiendas, Angliae Episcopi, pro sua in hanc Apostolicam Sedem observantia, Nos adire rogantes, ut suprema auctoritate Nostra dirimerentur.

Nos vicissim haud gravate eam postulationem execipimus, tum quia nobilem illam nationem non minore quam Decessores Nostri benevolentia complectimur, tum quia nihil nobis est antiquius, quam ut sublatis dissidii causis stabilis ubique vigeat mutua cum caritate concordia. Quo gravius autem et cautius a Nobis iudicatio fieret, non modo iis quae ultro citroque adducebantur iuribus et auctoritatibus diligenter animum adiecitimus, sed etiam sententiam perrogavimus Congregationis specialiter deputatae aliquot S. R. E. Cardinalium et duobus sacris Consiliis, quorum alterum Episcoporum et Regularium negotiis expediendis praest, alterum christiano nomini propagando. Hi, cunctis accurate exploratis quae in deliberationem cadebant, et rationum momentis, quae afferbantur utrinque, religiose perpensis, fideliter Nobis exposuerunt quid aequius melius de singulis quaestionibus decernendum sibi videretur in Domino. Audito itaque memoratorum Cardinalium consilio, causaque probe cognita, supremum iudicium Nostrum de controversiis ac dubitationibus quae propositae sunt per hanc Constitutionem pronunciamus.

Multiplex licet varieque implexa sit congeries rerum quae in disceptationem vocantur, omnes tamen ad tria

potissimum capita commode redigi posse arbitramur, quorum alterum ad familiarum religiosarum exemptionem pertinet ab episcopali iurisdictione; alterum ministeria respicit, quae a regularibus missionariis exercentur; tertium quaestiones complectitur de bonis temporalibus deque usu in quem illa oporteat converti.

Ad regularium exemptionem quod attinet, certa et cognita sunt canonici iuris praescripta. Scilicet quamvis in ecclesiastica hierarchia, quae est *divina ordinatione* constituta, presbyteri et ministri sint inferiores Episcopis, horumque auctoritate regantur¹; tamen quo melius in religionis ordinibus omnia essent inter se apta et connexa, ac sodales singuli pacato et aequabili vitae cursu uterentur; denique ut esset incremento et perfectioni *religiosae conversationis*² consultum, haud immerito Romani Pontifices, quorum est dioeceses describere, ac suos cuique subditos sacra potestate regundos adtribuere, Clerum Regularem Episcoporum iurisdictione exemptum esse statuerunt. Cuius rei non ea fuit causa quod placuerit religiosas sodalitates potiore conditione frui quam clerum saecularem; sed quod earum domus habitae fuerint iuris fictione quasi territoria quaedam ab ipsis dioecesebus avulsa. Ex quo factum est ut religiosae familiae, quas iure communi et Episcopis propter hieraticum principatum, et Pontifici Maximo propter primum Pontificium immediate subesse oporteret³, in Eius potestate esse perrexerint, ex Episcoporum potestate per privilegium exierint. Quum autem re ipsa intra fines dioecesium vitam degant, sic lusus privilegii temperata

¹ Concil. Trid. sess. 23, *de sacram. Ord.* can. 7.

² S. Gregor. M. Epist. III, lib. IX. — Bened. XIV Epist. Decret. *Apostolicae servitutis*, prid. Idus Mart. 1742.

³ Concil. Vatic. Constit. *Pastor aeternus* cap. 3.

vis est, ut sarta tecta sit dioecesana disciplina, adeoque ut clerus regularis in multis subesse debeat episcopali potestati sive ordinariae sive delegatae.

De hoc itaque privilegio exemptionis dubitatum est, nunq. eo muniantur religiosi sodales, qui in Anglia et Scotia missionum causa consistunt: hi enim ut plurimum in privatis domibus terni, bini, interdum singuli commorantur. Et quamvis Benedictus XIV in Constit. *Apostolicum ministerium*, III kalen. Iunii anno Incarnationis Dominicae MDCCLIII, memoratos missionarios regulares privilegio perfrui declaraverit, subdubitandum tamen Episcopi rursus in praesens existimabant, eo quod, restituta episcopali hierarchia, rem catholicam ad iuris communis formam in ea regione gubernari oportet, lure autem communi¹ constitutum est, ut domus, quae sodales religiosos sex minimum non capiant, in potestate Episcoporum esse omnino debeant. Insuper ipse Constitutionis Auctor visus est ponere privilegii causam in « publici regiminis legibus... quibus coenobia quaecumque prohibentur »; hanc vero causam perceptum est fuisse sublatam, quum plures iam annos per leges illius regni liceat religionis sodalibus in collegia coire.

Nihilominus haec tanti non sunt, ut reapse privilegium defecisse iudicemus. Nam quamvis hierarchiae instauratio faciat, ut res catholica apud Anglos ad communem Ecclesiae disciplinam *potentialiter* revocata intelligatur; adhuc tamen res ibi geruntur eodem fere modo atque in missionibus geri solent. Iamvero sacrum Consilium christiano nomini propagando pluries declaravit, Constitutiones Clementis VIII *Quoniam* IX kal. Iulii MDCLIII,

¹ Innocent. X Constit. *Instaurandae*, die 15 Octob. 1652. Constit. *Ut in partibus*, die 10 Februar. 1654.

Gregorii XV *Cum alias* XVI kalen. Septemb. MDCXXII, Urbani VIII *Romanus Pontifex* v kal. Septemb. MDCXXIV, itemque Constitutiones Innocentii X non esse de domibus atque hospitiiis missionum intelligendas¹: Ac merito quidem; nam quum dubium iamdudum fuisset propositum Clementi VIII. utrum religiosi viri ad Indos missi in culturam animarum existimandi essent quasi vitam degentes extra coenobii septa, proindeque Episcopis subesse Tridentina lege iuberentur, Pontifex ille per Constitutionem *Religiosorum quorumcumque* VI idus Novembris MDCI decreverat eos « reputandos esse tamquam religiosos habitantes intra claustra » quamobrem « in concernentibus curam animarum Ordinario loci subesse: in reliquis vero non Ordinario loci, sed « suis Superioribus subiectos remanere ». Neque aliud sensit iudicavitque Benedictus XIV in suis Constitutionibus *Quamvis* v kalen. Martii MDCCLVI; *Cum super* VI idus Novembris MDCCLII, et *Cum alias* v idus Iunii MDCCLIII. Ex quibus omnibus liquet, etiam hospitia ac domos quantumvis incolarum paucitate infrequentes huius, de quo agitur, privilegii iure comprehendendi, idque non in locis solum ubi Vicarii apostolici, sed etiam ubi Episcopi praesunt; de Episcopis enim in Constitutionibus, quas memoravimus, agebatur. Apparet insuper rationem potissimam exemptionis missionariorum regularium in Anglia non esse exquirendam in legibus civilibus, quae coenobiis erigendis obsessent; sed magis in eo salutari ac nobilissimo ministerio, quod a viris apostolicis exerceatur. Quod non obscure Benedictus XIV significavit inquitens, « regulares Anglicanae missioni « destinatos illuc proficisci in bonum sanctae nostrae

¹ S. Cong. de Prop. Fide 30 Ianuarii 1627; 27 Martii 1631; 5 Octobris 1655; 23 Septembris 1805; 29 Martii 1834.

« religionis ». Eandemque causam pariter attulerat Clemens VIII, cum de sodalibus religiosis ad Indos profectis docuerat, ipsos antistitem suorum jussu illuc concessisse, ibique sub disciplina praefecti provinciae versari « ad praedicandum sanctum Dei evangelium et « viam veritatis et salutis demonstrandam ». Hinc post sublatas leges sodalitiis regularibus infensas, et hierarchia catholica in integrum restituta, ipsi Britannorum Episcopi in priori Synodo Westmonasteriensi testati sunt, rata sibi privilegia fore, « quibus viri religiosi « suis in domibus vel extra legitime gaudent » quamvis « extra monasteria ut plurimum degant ».

Quamobrem in praesenti etiam Ecclesiae catholicae apud Britannos conditione declarare non dubitamus: Regulares, qui in residentiis missionum commorantur, exemptos esse ab Ordinarii iurisdictione, non secus ac regulares intra claustra habitantes, praeter quam in casibus a iure nominatim expressis, et generatim in iis quae concernunt curam animarum et sacramentorum administrationem.

Praecipuam hanc quam definivimus controversiam altera excipiebat affinis, de obligatione qua teneantur Rectores missionum creditam habentes animarum curam, eorumque vicarii, alique religiosi sodales, facultatibus praediti quae missionariis conceduntur, ut intersint iis Cleri conventibus, quos *collationes* seu *conferentias* vocant, neque non Synodis dioecesanis. Cuius quaestio nis vis et ratio ut intelligatur, praestat memorare quod in Concilio Westmonasteriensi Provinciali IV praecipitur his verbis: « Si duo vel plures sint sacerdotes in eadem « rat curam animarum et administrationem Ecclesiae... » ceteros omnes curam quam habent animarum cum

« dependentia a primo exercere »¹. Comperta itaque natura facti de quo agitur, et semota tantisper ea quaestionis parte quae Synodus respicit, ambigi nequit, quin Rectores missionum adesse debeant iis Cleri coetibus, qui *collationes* dicuntur. Namque eorum causa eadem ferme est ac parochorum; parochos autem etiam regulares ea obligatione adstringi et docuit Benedictus XIV Constit. *Firmandis* § 6. viii idus Novembr. MDCCXLIV, et sacrum Consilium Tridentinis decretis interpretandis pluries declaravit². Recte igitur in praedicta Synodo Westmonasteriensis fuit constitutum: « Ad suam collationem tenentur convenire, respondere parati omnes sacerdotes saeculares et regulares, salvis eorum iuribus, qui curam habent animarum ». Aliter dicendum videretur de vicariis, aliisque religiosis viris apostolica munia obeuntibus. His enim integrum quidem est de *iure constituto* a memoratis collationibus abstinere, prout alias fuit a sacra Congregatione Concilii declaratum³. At Nos minime praeterit Concilium Romanum habitum anno MDCCXXV auctoritate Benedicti XIII iussisse confessarios omnes etiam ex ordinibus regularibus intra fines provinciae commorantes coetus illos celebrare « dummodo morales in eorum conventibus lectiones non habeantur ». Quum autem quod sine effectu geritur id geri nullo modo videatur, sacrum Consilium christiano nomini propagando merito existimans domesticas regularium collationes in quibusdam missionum locis parum fructuosas ob exiguum sodalium numerum futuras, cunctis et singulis illic munere perfungentibus

¹ Decr. 10, n. 10.

² *Forosempronien.* 5 Septemb. 1650 Lib. 19 Decret.

³ *Forosempronien.* 12 Maii 1681 Lib. 53 Decr. fol. 258 *Aguipendicu.* VV. SS. LL. 12 Martii 1718.

imperavit ut Cleri conventibus interessent. Hisc igitur rationibus permoti declaramus, omnes missionum rectores Cleri collationibus adesse ex officio debere, simulque decernimus ac praecipimus ut iisdem intersint vicarii quoque alique religiosi viri missionariis facultatibus concedi solitis instructi, qui hospitibus, parvasque missionum domos incolunt.

De officio conveniendi ad Synodum explorata Tridentina lex est¹: « Synodi quoque dioecesanæ quocumque tannis celebrentur, ad quas exempti etiam omnes, qui alias, cessante exemptione, interesse deberent, nec capitulis generalibus subduntur, accedere tenentur. Ratione autem parochialium aut aliarum saecularium ecclesiarum etiam adnexarum, debent ii qui illarum curam gerunt, quicumque illi sint, Synodo interesse ». Quam legem egregie illustravit Benedictus XIV². Neque vero putamus cuiquam negotium facessere decretum Alexandri VIII, iii kalen. Aprilis MDCCXI, quo cavetur, ut ad synodum accedant Abbates, Rectores, Praefecti, omnesque antistites domorum religiosarum, quas Innocentius X Episcoporum potestati subiecerat. Quum enim Innocentianæ Constitutiones viros apostolicos, qui in sacris missionibus versantur, non attingant, facile intelligitur, neque decretum Alexandri VIII ad eos, de quibus modo apud Nos agitur, pertinere. Quare huic posteriori quaestionis parti hoc unum respondemus: standum esse decretis Synodi Tridentinae.

Proxima est quaestio quae respicit appellationem ab interpretatione, quam Episcopi ediderint, decretorum synodaliū. Namque hisce decretis pareant oportet

¹ Sess. 24 cap. 2. *de reform.*

² *De Synod. dioec.* lib. 3, cap. 1. § 11.

etiam religiosi sodales in iis quae ad curam animarum et sacramentorum administrationem referuntur, ceterisque in rebus « in quibus eos Episcoporum iurisdictioni subesse canonica praecipit instituta »¹. Profecto dubitare non licet quin ab iis interpretationibus ad Sedem Apostolicam provocatio sit; siquidem, « Gelasio I.^o et Nicolao I.^o auctoribus, ad illam de « qualibet mundi parte canones appellari voluerunt: « ab illa autem nemo sit appellare permissus ». Quare huius appellationis tantummodo vis et effectus potest in dubitationem adduci. At haec dubitatio facile tollitur, si apta fiat causarum distinctio. Fas est nimirum Regularibus appellare in *devolutivo* tantum, quoad interpretationem decretorum, quae de iure communi, sive ordinario sive delegato, Regulares etiam afficiunt, quo vero ad interpretationem aliorum decretorum, etiam in *suspensivo*. Authentica namque interpretatio quae manat ab Episcopis, qui Synodorum auctores sunt, tanti profecto est, quanti sunt ipsa decreta. Ex quo illud omnino est consequens, licere religiosis sodalibus a primo decretorum genere appellare eo iure et modo, quo licet cuilibet e dioecesi appellare a lege communi, scilicet in *devolutivo*². At vero ad reliqua decreta quod attinet, ea certe lata contra regulares vim rationemque legis amittunt: quare constat illos sic exemptionem a iurisdictione episcopali possidere uti ante possederint: donec Pontificis maximi auctoritate iudicetur, iure ne an secus cum iis actum sit.

¹ Concil. Trid. sess. 25 cap. 11 de regular.

² Innoc. IV cap. 1 de privilegiis in 6.

³ Epist. 7 ad Episc. Dardan. ann. 495 Tom. 2 collect. Harduini

⁴ Epist. 8 ad Michael. Imperat. Tom. 4 collect. Harduini.

⁵ Bened. XIV de Synod. Dioec. Lib. 13 cap. 5 § 2.

Hactenus de exemptionis privilegio; nunc de iis questionibus dicendum, quibus ministeria quaedam per regulares exercita occasionem praebuerunt. Excellit inter haec munus curationis animarum, quod saepe, ut innumis, religiosis viris demandatur intra fines ab Episcopis praestitutos; locus autem iis finibus comprehensus *missionis* nomine designatur. Imvero de his missionibus disceptatum fuit, an et quomodo fieri possit ab Episcopis earum divisio, seu, ut dici solet, dismembratio. Nam qui Regularium cura tuebantur, negabant hanc divisionem fieri posse nisi legitimis de causis, adhibitisque iuris solemnibus quae praescripta sunt ab Alexandro III.^o et a Concilio Tridentino¹. Alia vero erat Episcoporum opinatio.

Profecto si divisio fiat parociae veri nominis, sive antiquitus conditae, sive recentiore memoria iure constitutae, dubitandum non est quin nefas sit Episcopo canonum praescripta contemnere. At Britannicae missiones generatim in parocias ad iuris tramites erectae non sunt: idcirco sacrum Consilium christiano nomini propagando anno MDCCCLXVI officium applicandi missam pro populo ad Episcopum pertinere censuit, propterea quod dioecesium Britannicarum non ea sit constitutio, ut in veras parocias dispositae sint. Itaque ad divisionem missionis simplicis ea iuris solemnia transferenda non sunt, quae super dismembratione parociarum fuerunt constituta: eo vel magis quod propter missionum indolem et peculiare circumstantias, numero plures ac leviores causae possint occurrere, quae istarum divisionem suadeant, quam quae iure definitae sint ut fiat parociarum divisio. Neve quis urgeat similitudinem

¹ Cap. ad audientiam de Eccles. aedific.

² Sess. 21 cap. 4 de reform.

quam utraeque inter se habent; cum enim obligatio servandi solemnia iuris libertatem agendi coerceat, ad similes causas non est pertrahenda. Silentibus itaque hac super re generalibus Ecclesiae legibus, necesse est ut Concilii Provincialis Westmonasteriensis valeat auctoritas, cuius hoc decretum est: « Non obstante rectoris missionarii deputatione, licebit Episcopo de consilio Capituli, intra limites missionis cui praepositur, novas Ecclesias condere ac portionem districtus iis attribuire, si necessitas aut utilitas populi fidelis id requirat ». Quae cum sint ita, ad propositam consultationem respondemus: licere Episcopis missiones dividere, servata forma sancti Concilii Tridentini¹; quoad missiones quae sunt vere propriae dictae parociae: quoad reliquas vero, ad formam Synodi I Provincialis Westmonasteriensis². Quo melius autem missioni, quae dividenda sit, eiusque administris prospiciatur, volumus ac praecipimus, ut sententia quoque rectoris exquiratur, quod iam accepimus laudabiliter esse in more positum: quod si a religiosis sodalibus missio administraretur, Praefectus Ordinis audiatur; salvo iure appellandi, si res postulet, a decreto episcopali ad Sanctam Sedem *in devolutio* tantum.

Peracta missionis, cui regulares praesint, dismembratione, alia nonnunquam quaestio suboritur: utrum nempe Episcopus, in praeficiendo Rectore missioni, quae nova erigitur, ipsos religiosos sodales ceteris debeat praeferre. — Quamvis illi hanc sibi praerogativam adserant, obscurum tamen non est, haud leves exinde secuturas difficultates et offensiones. Ceterum in ea, de qua sermo est, nova erectione necesse est alterutrum

¹ Cap. 4 sess. 21 de reformatione.

² De regimine congregationum seu missionum n. 5.

contingere; nimirum ut parocia veri nominis, aut mera missio constituatur. Si primum fieret, perquam alienum esset ab Ecclesiae disciplina e religiosa familia accessitum parochum praeferi; sic enim iure quod modo viget arcentur regulares a parochi munere, ut illud suscepturi venia Apostolica indigeant. Ad rem Benedictus XIV in Constit. *Cum super*, vi idus Novembris MDCLII: « Quomodo, inquit, negari nequit, ex veteri canonum lege, monachos et regulares ecclesiarum parochialium regiminis capaces fuisse, ita certum nunc est ex recentiori canonica disciplina interdictum esse regularibus parochiarum curam adsumere sine dispensatione Apostolica ». Hinc sacrum Consilium Tridentinis decretis interpretandis¹, ad dubium « an annuendum sit precibus Patrum Augustinianorum de nova parocia iisdem concedenda » rescripsit — negative et amplius —. Sin autem, quod secundo loco posuimus, mera missio erigitur, ius certe non obest religiosi viri ne inter eos eligatur rector; ast ne iis quidem praeferi optantibus suffragatur. Rem itaque integram et in sua potestate positam aggrediens Episcopus, libertate sua utatur oportet: ubi enim iura silent, loco legis est Praesulis auctoritas; praesertim vero quod, ut doctorum fert adagium, Episcopus *intentionem habet in iure fundatam* in rebus omnibus, quae ad dioecesim suam administrandam attinent. Quomohrem praelatio quoad novam missionem, a Regularibus expetita, aut nullo iuris subsidio fulcitur, aut in disertam iuris dispositionem offendit.

Officium curationis animarum sedulitati Regularium commissum alias etiam dubitationes gignit; eaeque loca

¹ In Iannem. dismembrationis xxv Ianuarii MDCCCLXXIX.

spectant finibus comprehensa missionum quae ab ipsis reguntur. Coepit enim ambigi utrum coemeteria et pia loca, intra fines illarum sita. Episcopus visitare possit. Ast in coemeteriis facilis ac prona suppetit distinctionis adeoque finiendae controversiae ratio. Nam si de coemeteriis agatur quae solis religiosis familiis reservantur, ea plane ab Episcopi iurisdictione, proindeque a visitatione exempta sunt: cetera vero fidelium multitudini communia, quum uno ordine haberi debeant cum coemeteriis paroecialibus, iurisdictioni Ordinariorum subsunt indubitate, ac propterea optimo iure ab Episcopo visitantur, quemadmodum statuit Benedictus XIV in Constit. *Firmandis* VIII idus Novembris MDCCLXIV. Haud absimili distinctione de locis piis quaestio dirimitur, ea discernendo quae exempta sunt ab iis quibus praestet Episcopus sive ordinario iure, sive delegato. De utrisque igitur, tum coemeteriis tum piis locis, sententiam Nostram paucis complectimur pronunciantes: sacrorum canonum et constitutionum Apostolicarum praescripta esse servanda.

Superioribus dubiis arcto iungitur nexu illud quo quaeritur an Episcopis subesse debeant scholae pauperum, quae *elementares* etiam, *primariae*, *puerorum* nuncupantur; est enim sanctissimum docendi ministerium, et proximum piis locis ordinem tenent scholae de quibus agendum est. Quo illae pertineant ex ipso nomine dignoscitur; intendunt nimirum ad puerilem aetatem primis literarum elementis primisque fidei veritatibus, ac morum praeceptis apte instituendam: quae quidem institutio omnibus est temporibus, locis, et vitae generibus necessaria, ac multum habet momenti ad universae societatis humanae, nedum singulorum hominum incolumitatem; ex puerili enim insti-

tutione pendet, ut plurimum, qua quis ratione sit reliquae aetatis spatium acturus. Itaque quid a docentibus eo loci praecipue praestandum sit, sapienter Pius IX significavit scribens: « In hisce potissimum scholis omnes « cuiusque e populo classis pueri vel a teneris annis « sanctissimae nostrae religionis mysteriis ac praecep- « tionibus sedulo sunt erudiendi et ad pietatem morum « que honestatem, et ad religionem civilemque vivendi « rationem accurate formandi, atque in iisdem scholis « religiosa praesertim doctrina ita primum in insti- « tutione et educatione locum habere ac dominari debet, « ut aliorum cognitiones, quibus iuventus ibi imbutur, « adventitiae appareant »¹. — Nemo ex hinc non intel- ligit istam puerorum institutionem in Episcoporum officii esse ponendam, et scholas, de quibus agitur, tam in urbibus frequentissimis, quam in pagis exiguis, inter opera contineri quae ad rem dioecesanam maxime pertinent.

Insuper quod ratio suadet lux historiae confirmat. Nullum quippe fuit tempus quo singularis non eluxerit Conciliorum cura in huiusmodi scholis ordinandis ac tuendis, pro quibus plura sapienter constituerunt. Eorum nempe decretis prospectum est ut illas Episcopi in oppidis et pagis restitui et augeri curarent², puerique ad discendum admitterentur, qualibet, si fieri posset, impensa remissa³. Eorundem auctoritate dictae leges, quibus, alumni religioni ac pietati operam darent⁴, definitae dotes et ornamenta animi, quibus magistros

¹ Epist. ad Archiepiscopos, Friburg. Cum non sine maxima XIV Iulii MDCCLXIV Acta vol. 3.

² Synod. I. Provincial. Camerac. tit. de scholis cap. 1. — Synod. provinc. Mechlin. tit. de scholis cap. 2.

³ Synod. Naururcen. an. 1604 tit. 2 cap. 1.

⁴ Synod. Antwerpen. sub. Mireo tit. 9 cap. 3.

praeditos esse oporteret¹, iisque imperatum, uti iurarent iuxta formulam catholicae professionis²; demum scholarum curatores constituti qui eas adirent, ac circumspicerent nequid inesset vitii aut incommodi, neve quid omitteretur ex iis rebus, quas de illarum disciplina leges dioecesanæ sanxissent³. Ad haec, quum Patres Conciliorum probe intelligerent parochos etiam pastoralis ministerii compotes esse, partes haud exiguas iisdem tribuerunt in scholis puerorum, quarum cura cum animarum curatione summa necessitate iungitur. Placuit igitur in singulis parocciis pueriles scholas constitui⁴, quibus nomen est *parochialibus* impositum⁵; iussi sunt parochi munus docendi suscipere, sibi que adiutricem operam magistrorum et magistrarum adsciscere⁶; iisdem negotium datum scholas regendi et curandi diligentissime⁷; quae omnia si non ex fide integreque gesserint, officium deseruisse arguuntur⁸, dignique habentur in quos Episcopus animadvertat⁹. In unum ergo collineant argumenta ex ratione et factis

¹ Synod. Cameracen. an. 1550.

² Synod. II Provinc. Mechlinien. tit. I. cap. 3.

³ Synod. II Provinc. Mechlinien. tit. 20. cap. 4. — Synod. Provincl. Pragae. an. 1860, tit. 2. cap. 7.

⁴ Synod. Valens. ann. 529, can. 1. — Synod. Namet. relat. in cap. 3. *de vit. et hon. clericorum*. — Synod. Burdigalen. an. 1583, tit. 27.

⁵ Synod. I Provinc. Mechlin. tit. *de Scholis*, cap. 2. — Synod. Provin. Colocen. an. 1863, tit. 6. — Synod. Provin. (Hibern.) apud Maynooth anno 1875.

⁶ Synod. Namet. sup. cit. — Synod. Antwerp. sup. cit. — Synod. Prov. Burdig. an. 1860, tit. 6. cap. 3.

⁷ Synod. Prov. Vienn. ann. 1858, tit. 6. cap. 8. — Synod. Prov. Ultraiect. an. 1865, tit. 3. cap. 2.

⁸ Synod. Prov. Colocen. an. 1863, tit. 6. cap. 5. — Synod. Prov. Colonien. an. 1860, tit. 2. cap. 23. — Synod. Prov. Ultraiect. an. 1865, tit. 9. cap. 5.

⁹ Synod. I Provinc. Cameracen. tit. *de Scholis*, cap. 2.

petita, ut scholae, quas pauperum vocant, institutis dioecesanis et paroecialibus praecipuo iure adnumerandae sint; eaque de causa Britannorum Episcopi ad hanc usque aetatem in missionibus tam saecularibus quam regularibus easdem pro potestate sua visitare consueverunt. Quod et Nos probantes declaramus: Episcopus ius habere quoad omnia visitandi huiusmodi scholas pauperum in missionibus et paroeciis regularibus aequè ac in saecularibus.

Alia profecto causa est ceterarum scholarum et collegiorum, in quibus religiosi viri secundum ordinis sui praescripta iuventuti catholicae instituendae operam dare solent; in hisce enim et ratio postulat, et Nos volumus firma atque integra privilegia manere quae illis ab Apostolica Sede collata sunt, prout aperte est declaratum anno MDCCCLXXIV a sacro Consilio christiano nomini propagando, quum acta expenderentur Concilii Provincialis Westmonasteriensis IV¹.

Quum res in vado sit quod ad scholas attinet et collegia regularium iam constituta, adhuc tamen est in ancipiti, si de novis erigendis agatur. De his enim quaeritur; an et cuius superioris venia sit impetranda? Porro cum latius ea dubitatio pateat et ecclesiarum quoque ac coenobiorum erectionem pertingat, omnia haec unius quaestionis et iudicii terminis complectimur. Atque hic primo occurrunt Decretales veteres, quibus est cautum ne quid huiusmodi quisquam institueret absque Sedis Apostolicae licentia speciali². Postmodum Tridentina Synodus in eodem genere quidquam operum fieri prohibuit « sine Episcopi, in cuius dioecesi eri-

¹ Decret. xiv.

² Cap. Religiosorum, § *Confirmatus* de relig. domib. et cap. *Ex eo* de excess. praelat. in 6.

« genda sunt, licentia prius obtenta »: quo tamen Concilii decreto haud est superioribus legibus derogatum, veniam ab Apostolica Sede impetrari iubentibus. Quapropter cum ea in re liberius passim ageretur, Urbanus VIII² pravam consuetudinem emendaturus, opera eiusmodi improbat tam quae sine venia Episcopi, quam quae sola illius auctoritate susciperentur, et veterum canonum simul Conciliique Tridentini leges omnino in posterum servari decrevit. — Huc etiam spectavit Innocentius X in Constitut. *Instaurandae* idibus Octobris MDCLII, qua praecepit ut nemo ex familiis regularibus « domos vel loca quaecumque de novo « recipere vel fundare praesumat absque Sedis Apostolicae licentia speciali ». Quare communis hodie sententia est, cui favet passim rerum iudicatarum auctoritas, non licere Regularibus, tam intra quam extra Italiam, nova monasteria aut conventus sive collegia fundare, sola Episcopi venia impetrata, sed indultam quoque a Sede Apostolica facultatem requiri¹, lisdem insistent vestigiis, sacrum Consilium christiano nomini propagando pluries decrevit, veniam Apostolicae Sedis et Episcopi aut Vicarii Apostolici ecclesiae collegiisque erigendis, etiam in missionibus, ubi religiosi sodales domos sedesque habeant, esse omnino necessariam⁴. His ergo de causis ad propositum dubium respondemus: sodalibus religiosis novas sibi sedes constituere, erigendo novas ecclesias, aperiendove coenobia, collegia,

¹ Concil. Trident. sess. 25 cap. 3 de Regulari.

² Constit. *Romanus Pontifex* XIII kalen. Septembris 1624.

³ Bened. XIV, de Synod. dioecesis. lib. 9, cap. 1, num. 9. — *Monast. celli Formul. legal.* part. 1, tit. 6, form. 19, num. 31.

⁴ Sac. Congreg. de Prop. Fide in coetibus habitis diebus 22 Martii 1699; 3 Nov. 1688, 1704, 1756; 23 Aug. 1758; 30 Martii 1864; 17 Julii 1865.

scholas, nisi obtenta prius expressa licentia Ordinarii loci et Sedis Apostolicae, non licere.

Fieri solet utique subtilior inquisitio, an duplex ea venia sit impetranda, si non prorsus novum opus regularis familia moliat; sed ea quae sunt instituta velit in alios usus convertere. Verum neque obscura, neque anceps erit futura responsio, si varios, qui accidere possunt, casus distinguamus. Initio enim quis serio dubitet, an ea quae pietatis religionisque causa instituta sunt, liceat in usus a religione et pietate alienos convertere? Restat itaque ut de tribus haece dumtaxat quaeratur, utrum nempe liceat dinovere de loco instituta alioque transferre: aut immutare in usum consentaneum, qualis esset si schola in ecclesiam, coenobium in collegium, in domum pupillis aegrotisque recipiendis, vel vicissim mutaretur; aut demum, priore usu retento, novam causam sive usum inducere. Iam vero quominus duo illa prima, privata ipsorum auctoritate, religiosi sodales efficiant, obstat decretum Bonifacii VIII, qui eos vetuit « ad habitandum domos vel « loca quaecumque de novo recipere, seu hactenus recepta mutare »¹. Rursus qui fieri potest ex duobus illis alterutrum, nisi res recidat in fundationem novam « Monasteriorum, Collegiorum, domorum, conventuum « et aliorum Regularium locorum huiusmodi »? Atqui id perfecti prohibuit Urbanus VIII per Constitutionem, *Romanus Pontifex*, nisi « servata in omnibus et per omnia sacrorum canonum et Concilii Tridentini forma ». Sic unum superest de quo contendatur; num priore usu retento, nova causa vel usus adici valeat. Tunc autem pressius rem urgere oportet et accurate dispi-

¹ Cap. *Cum ex eo* de excess. praelat. in 6.

cere, utrum ea inductio alterius usus ad interiorē administrationem, disciplinamque domesticam spectet, velut si tirocinium aut collegium studiorum causa iunioribus sodalibus in coenobio constituatur; an fines interioris administrationis sit excessura, puta si inibi schola fiat aut collegium quod pateat etiam alienis. Plane si dictos fines excesserit, res redit ad alterutram illarum, quae a Bonifacio VIII et Urbano VIII fieri pro lubito, ceu diximus, prohibentur. Sin autem intrā limites domesticae disciplinae mutatio contineatur, suo certe iure Regulares utentur; nisi forte leges foundationis obstant. Ex quibus singillatim perpensis manifesto colligitur; Religiosis sodalibus non licere ea quae instituta sunt, in alios usus convertere absque expressa licentia Sedis Apostolicae et Ordinarii loci, nisi agatur de conversione, quae, salvis foundationis legibus, referatur dumtaxat ad internum regimen et disciplinam regularem.

Nunc ad illud progredimur controversiae caput, in quo de temporalibus missionum bonis disputatum est. Ex liberalitate fidelium ea parta bona sunt, cum sua sponte et voluntate dona largiantur, vel intuitu missionis id faciunt, vel eius qui missioni praestitit iam si missionis intuitu donatio contigerit, ambigi solet, an viri religiosi quibus donum sit traditum, accepti et expensi rationem reddere Episcopo teneantur. Atque istud quidem fieri oportere, sacrum Consilium christiano nomini propagando super dubio proposito ob missiones Britannicas religiosis Ordinibus sive Institutis commissas die XIX Aprilis MDCCCLXIX, rescripsit in haec verba: « 1^o Missionarii regulares bonorum temporalium, « ad ipsos qua regulares spectantium, rationem Episcopis reddere non tenentur. 2^o Eorum tamen bo-

« norum, quae missioni, vel regularibus intuitu missionis tributa fuerunt, Episcopi ius habent ab iisdem « missionariis regularibus, aequae ac a Parochis cleri « saecularis, rationem exigendi ». Quo vero tabulis accepti et expensi ratio constaret, sacer idem Coetus, die X Maii anno MDCCCLXVIII, in mandatis dederat ut bona missionum diligenter describerentur, ea discernendo quae propria missionum essent ab iis quae ad sodalitia sodalesve singulos pertinerent.

Nihil enimvero in his decernendis vel praecipendis est actum, quod iuris communis doctrinis vulgatissimis apprime non congruat. Nam quaevis oblatio parochi aut alteri Ecclesiae Rectori data, piae cuiusdam causae intuitu, ipsimet piae causae acquiritur. Ex quo fit, ut qui rem pecuniamve oblatam accepit, administratoris loco sit, cuius est illam erogare iuxta mentem et consilium largitoris¹. Quoniam vero administrantis officio incumbit rationes actus sui conficere, eisque reddere cuius res gesta fuit², ideo parochus vel Ecclesiae Rector facere non potest quin rationes reddat Ordinario loci, cuius est iurisdictio et causae piae tutela³. At missiones, de quibus apud Nos actum fuit, pleno iure ad Episcopum pertinent; huic ergo cuiusque oblationis earum intuitu collectae rationes oportet exhibere. Neque haec ex eo infirmantur, quod Urbanus II in Concilio Claromontano, alique post eum Romani Pontifices decreverunt⁴ circa Ecclesias parochiales, quoad tempo-

¹ Esgnan. in cap. *Pastoralis*, de his quae sunt a Praeulatis. n. 20 — Card. de Luca in *Cont. Tertii* discurs. 18, n. 5 — Reiffenst. Lib. 3. *Decret.* tit. 20, n. 195

² L. i § officio ff. de tutelae et vul. distr. — L. 2. § ei sane ff. de negot. gest. L. Curator. L. Tutor Cod. de negot. gest.

³ Sac. Cong. Concilii Nullius, seu Nonnullum. in iurium parochialium 27 Iunii 1744 ad dub. XII.

⁴ Lucius II ad Priorem S. Pancratii in Anglia, Alexander III ad

ralia Monasteriis iunctas, teneri vicarios respondere Episcopis de *plebis cura*, de temporalibus vero non ita, cum monasterio suo sint obnoxii; siquidem seposita etiam ratione historica unde ea profecta est iuris dispositio¹, certum exploratumque est, in iis pontificiis decretis ac literis appellatione *temporalium*, beneficii fructus et quae beneficiati personae adhaerent compendia significari.

Quae circa ea confirmantes quae a s. Congregatione de Propaganda Fide rescripta et mandata sunt, statuimus, religiosos sodales redditus Episcopo rationibus, docere debere de pecunia, intuitu missionum sibi allata, et quantum de ea et quos in usus impenderit aeque ac missionarios Cleri saecularis, iuxta praedictas resolutiones eiusdem Congregationis die XIX Aprilis MDCCCLXIX, et Instructionem die X Maii MDCCCLXVIII.

Tandem ne quis obrepat error aut dissensus in his quae modo iussimus exequendis, definiendum censemus, quae pecuniae, quaeque res viris religiosis oblatae intuitu missionum intelligantur. Namque receptum est hac in re, spectari primum oportere quid largitor voluerit; quod si non appareat, placuit, parochi vel rectori ecclesiae collatam donationem praesumi². At multum ab hac regula recessum est propter consuetudinem, quam quidam ecclesiastici iuris fere communem evasisse docent, cuius vi « hodie pene solae « oblationes quae in Ecclesia sub missis ad altare fiunt « et quae pro administratione sacramentorum, pro be-

Monaster. S. Arnulphi, Lucias III ad Superior. Praemonstrat. et ad Abbatissam S. Hilarii in diocesi Pevsana.

¹ Gonsal. Comment. in cap. I. de Cappel. Monach.

² Argum. ex cap. Pastoral. 9 de his quae fiunt a Praelat. cap. Transmissio, de Verb. sign. ac praesertim cap. I de Slatu Monach.

« nedicendis nuptiis aut mulieribus post partum, pro « exequiis et sepulturis, aut aliis similibus functionibus « specialiter offeruntur, ad parochum spectant; consuetudine reliquas ferme omnes ecclesiis ipsis aut sacellis « aut aliis certis finibus applicante »¹. Praeterea si in parochum rectoremve, a quibus spiritualia adiumenta fideles accipiunt², haud inconcinne praesumi potest collata liberalitas, ubi Ecclesia bonis praedita sit, per quae religionis decori et ministrorum tuitioni prospiciatur, longe aliud iudicium esse debet ubi eam honorum copiam Ecclesia non habeat, ac liberalitate fidelis populi unice aut potissimum sustentetur. Tunc enim largitores putandi forent voluisse consilere cultus divini splendori et religionis dignitati, ea ratione et modo quem ecclesiastica auctoritas decerneret. Ideo apud christianos primaevos lege cautum fuerat ut pecunia omnis dono accepta, inter Ecclesiam, Episcopum, Clericos et egenos divideretur. Legis porro sese interponens auctoritas, si largitionum tempora et causas praestituat, illud efficit quoque, ne fideles semper pro arbitrio possint modum et finem designare in quem oblatam stipem erogari oporteat; nequit enim facere privatorum voluntas, ut quod a legitima potestate in bonum commune praecipitur certo destituatur effectui. Haec Nobis considerantibus visi sunt prudenter et oportune egisse Patres Concilii Provincialis Westmonasteriensis II, cum partim interpretantes piam et aequam donantium voluntatem, partim ea, quae Episcopis inest, utentes potestate imperandi pecuniae collationes decernendique quo tempore et qua de causa conferri oport-

¹ Reiffenst. L. 5 Decretal. tit. 30 n. 191, Van Espen, in: *eccl. antiq.* part. 2. sect. 4, tit. 2, cap. 10, nn. 20 et 21.

² Argum. ex cap. quia Sacerdotes 13. caus. 10. quest. 1.

teat, statuerunt in capite *de bonis ecclesiasticis*, quid censendum sit intuitu missionis collatum. Iubet igitur ratio, itemque Nos constituimus, hac in re religiosos ad leges Westmonasteriensis Synodi sese affatim accommodare oportere¹.

Sublati controversiis cognitioni Nostrae propositis, confidimus, curam a Nobis in iis componendis adhibitam eo valituram, ut ad tranquillitatem et incrementum rei catholicae in Anglia non levis conferat. Equidem pronuntiationes Nostras ad iuris et aequitatis regulam studiose religioseque exegimus, nec dubitamus quin in iis exequendis par diligentia et religio eniteat illorum inter quos iudicium protulimus. Sic enim fiet, ut Episcoporum ductu et prudentia religiosi sodales de Anglicis missionibus apprime meriti strenue et alacriter e laboribus suis fructus salutis ferre pergant laetissimos, atque utrique (ut voce utamur Gregorii Magni ad Angliae Episcopos) *communi... consilio, concordique actione quae sunt pro Christi zelo agenda disponant unanimiter, recte sentiant, et quae senserunt, non sibi-mel discrepando perficiant*². Concordiam hanc postulat paterna caritas Episcoporum in adiutores suos et mutua Cleri in Episcopos observantia; hanc concordiam flagitat finis communis qui situs est in salute animarum iunctis studiis ac viribus quaerenda; hanc eandem exigit necessitas iis resistendi qui catholico nomini infensi sunt. Haec vires gignit et infirmos quoque pares efficit ad grandia quaeque gerenda; haec signum est quod sinceros Christi discipulos ab iis determinat qui se tales esse mentiuntur. Ad hanc igitur singulos et universos enixe cohortamur in Domino, rogantes cum

¹ (Vid. hoc docum. ad calcem praesentis Constii).

² Apud Bedam *Histor. Angl.* II. 29.

Paulo ut impleant gaudium Nostrum, ut idem sapient eandem caritatem habentes, unanimes, idipsum sentientes³.

Demum ut firmiter ea consistant quae constitutum, volumus atque decernimus, praesentes Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod praedicti religiosi sodales et alii quicumque in praemissis interesse habentes, cuiusvis status, gradus, ordinis et dignitatis existant, seu alias specifica mentione digni iis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi, causaeque propter quas praesentes emanaverint sufficienter adductae, verificateae et iustificatae non fuerint, aut ex alia qualibet etiam quantumvis iuridica et privilegiata causa, colore et capite etiam in corpore iuris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio seu intentionis Nostrae, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet, quantumvis magno et substantiali, individuumque expressionem requirente defectu, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas restitutionis in integrum aliudve quodcumque iuris remedium intentari vel impetrari; sed ipsas praesentes Litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, quibuscumque iuris seu facti defectibus, qui adversus illas ad effectum impediendi vel retardandi earum executionem quovis modo vel quavis de causa opponi possent minime refragantibus, suos plenarios et integros effectus obtinere, easque propterea, omnibus et singulis impediendis penitus reiectis, ab illis ad quos spectat, et pro tempore quantumque spectabit, inviolabiliter servari; sique et non

³ Philip. II.

aliter in praemissis per quoscumque iudices Ordinarios et delegatos iudicari ac definiti debere, ac irritum fore et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus praemissis, et quatenus opus sit Nostra et Cancellariae Apostolicae Regula *de iure quaesito non tollendo*, aliisque Apostolicis ac in Universalibus, Provincialibus et Synodalibus Conciliis editis constitutionibus et ordinationibus, nec non quorumcumque Ordinum, Congregationum, Institutorum, et Societatum, etiam Iesu, et quarumvis Ecclesiarum et alius quibuslibet, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis et consuetudinibus, ac praescriptionibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et Litteris Apostolicis quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, editis et factis ac licet pluries iteratis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum derogatione specialis forma servanda foret, tenores earundem praesentibus pro plene ac sufficienter expressis habentes ad praemissorum effectum dumtaxat specialiter et expresse derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Quocumque autem modo earundem praesentium Litterarum exempla in Anglia publica fuerint, volumus ut statim post huiusmodi publicationem omnes et singulos quos concernunt vel concernent in posterum perinde afficiant, ac si uniuscuique illorum personaliter intimatae ac notificatae fuissent.

Nulli ergo hominum liceat paginam hanc Nostrarum decisionum, declarationum, decretorum, praecceptorum, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesum-

perit, indignationem Omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Dominicae Incarnationis millesimo octingentesimo octuagesimo primo, Octavo Idus Maii, Pontificatus Nostri Anno IV. — C. Card. Sacconi Pro-Datarius — T. Card. Mertel. — Visa de Curia, I. De Aquila e Vice-comitibus.

Loco † Plumbi. — Reg. in Secretaria Brevium. — I. Cugnonius.

Leges ex Conc. Westmonast. II. de quibus agit S. Pontifex in Const. « Romanos Pontifices ».

I. Bona quae a fidelibus in Religionis propagationem et decorem, cleri sustentationem, pauperum sublevationem, aliosque pios usus erogantur, Deo et Ecclesiae donata censentur; eorumque administratores seu curatores, sive viri ecclesiastici sive laici fuerint, nihil amplius quam eorum dispensatores, Deo ipsi reddituri rationem, sunt habendi. Cum igitur hic iam inter dispensatores quaeratur, ut fidelis quis inveniatur, de iis, quae rectam honorum ecclesiasticorum administrationem respiciunt, in hac synodo plenius nobis agendum videtur, quia praesertim in primo provinciali Concilio, rebus maioris momenti occupati, huiusmodi materiam ad tempus opportunus remisimus.

II. Igitur adlaborandum ut omni modo determinetur (si dubium existat) intentio et animus donatoris vel testatoris alicuius fundi, et ut usui ab ipso definito ipsius fructus accuratissime applicentur.

III. Si vero huiusmodi intentio non constet ex aliquo certo documento, servandae sunt regulae sive canones, quibus de tali voluntate recte iudicari potest.

IV. Quotiescumque erigatur aut provideatur ecclesia, seu schola, sive aliud quodvis aedificium usibus religionis destinatum, sive ex integro sive ex parte pecuniis collatis a fidelibus, vel etiam a quavis societate piorum Catholicorum eleemosynarum administratrice, eiusmodi aedificium habendum est veluti in perpetuum illi loco addictum. Et quamvis missio de qua agitur sit ab aliqua corporacione religiosa occupata et administrata, eleemosynae illae praesumuntur non corporacioni ipsi, sed Dei cultui promovendo et pauperum levamini fuisse collatae, eoque in loco ad hosce usus erogandae.

V. Similiter iudicandum, si ab aliquo benefactore talia aedificia alicubi provideantur; nisi certissime constet declarasse se in tali erectione non loci eiusque fidelium commodum respexisse, sed Ordini illi donum voluisse conferre. (Regulae, sub numero praecedenti et sub hoc traditae quoad ius in fundaciones, sunt applicandae ad novas tantum fundaciones, cum de Regularibus agitur.)

VI. Non vero licebit Episcopo Missionem legitime alicui Ordini religioso conceditam, dicto titulo, ipsi auferre. Respiciunt enim hae regulae solummodo casum in quo Regularis illa familia vel nequeat vel velit illius Missionis curam retinere; si, exempli gratia, e Superiore ab illo loco revocetur, vel alia quavis de causa cesset omnino, et non ad tempus dumtaxat, ibidem existere.

VII. Si vero aliqua Missio fundatur exclusive, sive longe maiore ex parte sumptibus alicuius religiosae familiae, quae iustis de causis atque in perpetuum alio migrare poterit velle, hortamur ut pactio clara fiat inter Episcopum et Superiores Ordinis quid hoc in

casu sit agendum; ne iura ex una parte laedantur, neve scandalum ex altera oriatur, et grave animarum damnum emergat.

VIII. Multo minus licet clerico vel ipsi Episcopo bona Ecclesiae alienare, sicuti constat ex innumeris pene iuris canonici sanctionibus. Quod si propter causas ab ipso iure approbatas contigerit talem alienationem esse necessariam, sacerdos nunquam sine Episcopi auctoritate, nec Episcopus absque iis cautionibus quae a lege canonica requiruntur, illam efficere potest.

IX. In omni missione pecuniae quae a fidelibus contribuuntur modis infra recensendis, habendae sunt pro bonis Ecclesiae, non pro muneribus datis sacerdoti. Ex ea namque pecunia non solum eius honestae sustentationi, sed et sumptibus religiosi cultus, manutentioni fabricae, debitis, si quae sint, solvendis, aliisque huiusmodi providendum est. Idecirco, si discedere a Missione alicui sacerdoti contigerit in anni cursu, non ius habet ad ratam partem introitus annui nisi prius detrahatur pars iuste assignanda illis impensis. Similiter ea quae providerat pro Ecclesiae usu ex ipsis redditibus Ecclesiae, *v. g.* cereos, vinum pro sanctissimo sacrificio, sacram suppellectilem, post se relinquere debet absque compensatione, nisi constare faciat hanc provisionem aequam rationem excedere.

X. Diversas quidem methodos colligendi pecunias pro Missionum sustentatione praevalere omnibus satis patet. Sequentes imprimis non improbandas censemus, donec melius per caritatem fidelium provisum fuerit. Sunt igitur:

1° Sedium seu locorum assignatio certis personis seu familiis a quibus compensatio determinata datur Ecclesiae.

2^o Collectae ad Offertorium in ecclesia factae.

3^o Pro consuetudine generaliter in Anglia vigente, solutio nummi determinati iuxta qualitatem loci occupandi, ab iis qui locum assignatum non habent, nolunt vero locum liberum, ut aiunt, occupare.

4^o Conciones ab aliquo insigniori verbi Dei praecone, post quas generatim pro Ecclesia, vel pro aliqua eius parte seu attributione, colliguntur assistentium eleemosynae, qui saepe ex aliis congregationibus accurrunt, stipemque conferunt.

5^o Collectae quae vel de domo in domum fiunt, per viros ad hoc deputatos, aut per societates et confraternitates legitime institutas, vel exiguntur per decurias aut centurias, prout fieri solet a laudabili Societate Propagationis Fidei nuncupata, vel quae a ditioribus, statutis temporibus aut singulis annis, solvuntur.

XI. Quamvis equidem exoptandum esset, plures ex hisce modis sustentandi Ecclesiam posse e medio tolli, iam tamen experientia docuit adhuc impossibile esse talibus adiumentis omni ex parte supersedere. Ubi igitur usus iam inviguit unum vel plures ex ipsis adhibendi, continuari ita debet, ut nulla in eis innovatio absque episcopi arbitrio introducat. Praesertim vero spatium liberum non minuatur neque coarctetur, eo inconsulto. Quidquid vero pecuniae per ista media ad Missionem confluit, non ad ipsum sacerdotem, sed ad totas Missionis necessitates pertinere reputetur. Quidquid igitur suppellectilis, vel sacrae vel domesticae, ex his redditibus acquisierit sacerdos, vel quidquid in sarta tecta aedium sacrarum vel aedificiorum ad ecclesiam quomodocumque spectantium conservanda impenderit; non sibi, sed Missioni providit, ex bonis ad eam pertinentibus.

XII. Cum igitur sacerdos aliquis ad suam primum

Missionem accedit, accipiat a Vicario foraneo, vel ab alio deputato ab Episcopo, inventarium omnium ad Missionem pertinentium. Tenetur autem suppellectilem et aedificia integra servare, imo potius meliorare, ut saltem successori tantum tradat quantum ipse accepit. Quod si, vel ad reficienda quae vetustate obsoleta et squalida evaserunt, vel ad maiorem locorum decorem nova seu venustiora providerit, distinguendum est, quomodo ex fonte ista provenierint.

1^o Nam si ex proprio peculio, sive ex familiarum sibi bene affectarum donis, sive tandem ex ea parte proventuum Ecclesiae, quae sibi competit pro sua honesta sustentatione, sacerdos haec sibi comparaverit, habenda erunt ut propria, ratione semper habita obligationis conservandi in bono statu ea quae accepit.

2^o Si vero generatim proventibus Ecclesiae, vel donis sive collectis congregationis, vel tandem aere ab Episcopo vel administratoribus rerum temporalium dioceseos concessio, fuerint haec conquisita, omnino Missioni addicta dicenda sunt, neque ullo pacto licet sacerdoti ea sibi vindicare.

XIII. Communitur etiam censendum, nisi contrarium pateat, iuxta regulam in iure traditam, ea quae ecclesiasticis usibus apta, donantur viro missionario, esse Missioni donata. Ea vero quae personalem habent usum, ipsi data reputantur; sicuti etiam res sacrae, si expresse, veluti grati animi vel affectus pignus, a congregatione sacerdoti cuius donantur.

XIV. Honoraria Missarum ad sacerdotis peculium pertinent. Similiter ubi viget usus, antiquus quidem in Anglia, temporibus solemnibus Paschae et Nativitatis Domini, singulis sacerdotibus munuscula dandi, haec ad ipsos de iure pertinent. Caveat vero sacerdos ne

in suspicionem cadat aliquid recipiendi, intuitu sacramenti Poenitentiae ab ipso administrati.

XV. De applicatione pecuniae quae ex iribus stolae provenit, non una eademque praxis per totam obtinet Ecclesiam. Etenim, quamvis Ecclesia sordidum quaestum detestetur, ob quem pro Sacramentorum celebratione extorqueatur vel exigatur pecunia a fidelibus ea petentibus, Concilium tamen Lateranense, sub Innocentio III anno 1215 habitum, praescripsit ut observarentur laudabiles consuetudines, quarum vigore oblationes, ex occasione celebrationis Sacramentorum, a fidelibus altaris ministris fiunt. Proventus ex hoc fonte derivantes ordinario sacerdotibus adjudicantur, quamvis diversis modis, pro diversitate locorum, distribuantur. Anteferenda vero videtur coeteris ea distributio, quae magis ad allevanda onera Missionis possit conferre.

XVI. Dum igitur prohibemus ne aliquid petatur (multoque magis exigi) ante baptismatis vel matrimonii celebrationem, aut etiam post celebrationem veluti de iure, remittimus prudentiae Episcoporum ea in suis diocesanis Synodis, hac de re statuere quae consuetudinibus et conditioni locorum visa fuerint magis apta. Abusus praesertim omnes, si qui existant, tam in qualitate quam in exactione huiusmodi oblationum, diligentissime corrigant, modum ubique aequum imponendo.

XVII. Quicumque administrationi alicuius Missionis praestet, quocumque titulo, librum omnino teneat diurnum omnium receptarum et expensarum Missionis, in quo quotidie utrasque scribat accuratissime, et suo quasque ordine. Habeat etiam penes se alterum librum quem Magistrum (Ledger) vulgo vocant, in quem transferat, post mensem vel trimestrem, omnia quae in primo libro continentur; ita tamen ut in ordinem redi-

gantur, iuxta capita ad quae summa quaeque, sive recepta sive expensa, referri debet.

XVIII. Quivis administrator habeat «computum apertum» ut dicitur, in mensa aliqua nummularia duorum virorum honestorum nominibus, praeter suum, adscriptum. Isti vero solummodo ad conservationem pecuniae a quovis iacturae periculo assumptos se sciant, neque sese illius administrationi ingerere debent. Deficiente vero uno quacumque ex causa, duo qui supersunt alium ab Episcopo electum supplendum curabunt. Administrator igitur pecuniam ad Missionem pertinentem, scilicet eam quae ad proprium peculium non pertinet, ultra summam librarum viginti apud se plus quam decem dies non retineat, sed in dictam mensam diligenter referat.

XIX. Nullus Missionis administrator instrumenta legalia de bonis Ecclesiae conficiat sine expressa auctoritate Episcopi, qui legisperitos in huiusmodi negotiis versatissimos consulere non dubitabit, sicutque revisioni accuratissimae subiiciantur.

XX. Omnia aedificia ad Missionem pertinentia contra incendium secunda reddantur per annuam solutionem factam alicui societati ad hoc destinatae.

XXI. Omnis eleemosynas fidelium quaerens muniri debet autographo Ordinarii, vel Superioris proprii, obiectum quaestus pii declarante, et recognito ab Ordinario loci, ubi quaestum facit, cum conditione in eo expressa, quod ipse teneatur rationem accuratam reddere Episcopo vel Superiori suo omnium summarum ab eo collectarum, cum determinatione locorum in quibus versatus fuerit, et personarum a quibus eas habuerit, cum expressione temporis suae in singulis locis residentiae.

(Acta et Decreta II Concilii Prov. Westmonasteriensis, Anno 1855. — Pars II. — Coll. Lacen. III pag. 980.)

XLVII.

SS. D. N. Leonis XIII Litterae Apostolicae « In suprema », de Missae sacrificio in singulos dies festos « pro populo » ab omnibus Catholici Orbis Episcopis celebrando. — IV Idus Junii 1882.

ALP In suprema rei christianae procuratione, beato Petro Apostolorum principi eiusque successoribus divinitus data, illud Romanos Pontifices summa vigilantia providere necesse est, ut omnes sacrorum ministri curam animarum gerentes sui muneris officia, ex quibus commune Ecclesiae bonum magnopere pendet, studiose et accurate exercent. — In iis autem eminent sacrosanctum Missae sacrificium, pro salute populi cui quisque praecedit, nominatim faciendum; cuius vim officii Patres Tridentini ex praeepto divino proficisci tradiderunt¹. Quapropter, ne quis in ea re delinqueret, Benedictus XIV Decessor Noster, editis Apostolicis Litteris « *Cum semper oblatas* » die XIX Augusti an. MDCCXLV, edixit omnes et singulos, qui in aliqua parochiali Ecclesia quocumque titulo animarum curam gererent, in singulis Dominicis aliisque diebus festis « non modo sacrificium « Missae celebrare, sed etiam illius fructum medium « pro populo sibi commisso applicare debere: nec illud « pro aliis applicare, aut pro huiusmodi applicatione « elemosynam percipere posse ». — Quibus quidem in litteris aperta Episcoporum mentio nulla est: nihilominus dubitari non potest, quin Pontifex sapientissimus quod de Parochis tam graviter praecipiebat, idem de

¹ Ses. XXIV, cap. 1 de Reform.

maioribus animarum pastoribus intelligi tacite saltem et oblique voluerit. Idque multo verisimilius apparet ex eo, quod proximus eius successor Clemens XIII in hoc eodem genere exposuit et declaravit. Is enim in Litteris Encyclicis « *A quo die* » post. Id. Septemb. an. MDCCLVIII datis, cum multa de episcopatum munerum perfuntione dixisset, illud etiam adiecit, sacrum pro populo peragere crebro Episcopos oportere, de se deque Venerabilibus Fratribus suis in hanc sententiam locutus: « Cum non nostras tantummodo curare debeamus « infirmitates, sed etiam putare aliorum mala ad nos « pertinere et ea aequae habere ac nostra, vehementius « diutiusque intendenda nobis ad Dominum nostra est « oratio, qua, tamquam Ecclesiae fidelium interpretes, « omnium fidem, spem et caritatem ante oculos Domini statuente, quod omnibus in universum quodque « cuique fidelium opus est, a Domino impetremus. Dei « autem exorandi viam nobis muniet, et quidvis adipisci « scendi etiam aperiet augustissimum Eucharistiae sacrificium. Idcirco, vel maxime nostri muneris occupationibus etiam implicati, sacrosanctum Iesu Christi « Corpus et Sanguinem non recusabimus quominus « frequenter Deo offeramus, nullumque matius putemus « nobis datum esse negotium, quam crebro placationis « hostiam pro nostris populique peccatis Deo Patri « immolare ».

Haec Decessor ille Noster non minus sapienter quam pie. — Verum quibus Episcopi diebus peritäre pro populo debeant, nihil ille constituit: ex quo factum est, ut inter doctores catholicos atque etiam inter ipsos Episcopos de officio conveniret, de diebus discreparet. Cumque hanc opinionum varietatem Romanae Congregationes Nostrae ad hanc diem minime sustulerint, non

eadem ubique extitit disciplina, sed varia in locis variis consuetudo. Nunc vero Episcopi plures, omnem haesitationis causam sibi penitus eximi cupientes, significarunt avere se et orare, ut de ipsis diebus Sedis Apostolicae auctoritate decernatur, lata lege, cui omnes in reliquum tempus obtemperent. — Igitur cum nihil Nobis tam curae sit, quam publica christianorum utilitas et rerum sacrarum aequabilis in omnibus locis disciplina, simulque velimus Venerabilibus Fratribus Nostris Episcopis, praesertim tam aequa postulantibus, satis facere, nihil differendum ducimus, quin de ea re pro potestate Nostra statuamus ac iudicemus.

Generatim vero et univere officium istud episcopale, de quo loquimur, non est difficile cognoscere quam sit sacris litteris consentaneum et praeteritorum temporum memoria testatum. Quae enim loca causas rationesque suppeditant, cur generatim quotquot sunt animarum pastores fundere preces sacrumque facere debeant pro populo quem regunt, ex iisdem locis efficitur idem plane esse officium Episcoporum: sunt enim Episcopi in munere pastorali principes. Sic a primo Ecclesiae ortu rerum externarum administrationem deponere Apostoli properaverunt, quo sibi commodius orationi et ministerio verbi insistere liceret¹. Et Paulus ad Colossenses de se ipse: *Non cessamus, inquit, pro vobis orantes et postulantes ut impleamini agnitione voluntatis eius in omni sapientia et intellectu spiritali*². Et ad Philippenses: *Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri, semper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis cum gaudio deprecationem faciens*³. Et

¹ Act. VI, 4 et seq.

² Ad Coloss. I, 9.

³ Ad Philipp. I, 3-4.

ad hanc deprecationem, in qua Paulus cum gaudio et gratias agens Deo semper haerebat non est dubium, quin sacrificium Eucharisticum adhiberet, quod est praestantissimum preceationis genus, et cuius ille potissimum causa pontifices christianos testabatur esse constitutos. *Omnis pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis*¹.

Quemadmodum vero ex his locis perspicuum est, omnino Episcopos debere rem divinam pro salute populi saepe facere, ita facile intelligitur quam deceat, immo quam oporteat in diebus festis singulis facere. — Etenim festi dies singulari quadam ratione religioni addicti et consecrati sunt: per eosque, assueti intermissione laboris, christianis praecipitur plus operae iis rebus tribuere, quae ad excolendum expiandumque animum pertinent; maxime vero augustissimo sacrificio interesse, quo creatori et gubernatori rerum omnium Deo debitum patriae cultum adhibeant. Quamobrem ipsa videtur dierum festorum sanctitas postulare, ut Episcopi, Ecclesiae sibi commissae custodes et principes, sanctissimum Missae sacrificium pro populo offerant Deo, « quo tamquam Ecclesiae fidelium interpretes, omnium fidem, spem et caritatem ante oculos Domini stantes, quod omnibus in universum, quodque cuique fidelium opus est a Domino impetrent ».

Huius disciplinae probe opportunitatem utilitatemque viderant Episcopi veteres, qui summa cum religione sacrificandi munus per dies festos semper usurpaverunt. Quod sane complura christianarum antiquitatum monumenta confirmant: et in iis commemorandum videtur

¹ Ad Heb. V, 1.

S. Iustini M. testimonium ex Apologia I ad Antoninum Pium¹; in qua posteaquam nitide declarasset, consecratum in Eucharistico Sacrificio panem et vinum « non ut communem cibum et potum sumi » a christianis, sed ut « incarnati Iesu carnem et sanguinem », quemadmodum « Apostoli in commentariis suis, quae vocantur Evangelia, tradiderunt », mox graphice describit rationem totam unde ab initio Ecclesia catholica, per oblationem huius Eucharistici Sacrificii, solemnem cultum Deo optimo maximo exhibere consuevit Dominico quoque die, quem gentiles *diem solis* appellabant, ethnicum Imperatorem his verbis allocutus: « Ac solis, ut dicitur, die omnium sive urbes sive agros incolentium in eundem locum fit conventus, et commentaria Apostolorum aut scripta Prophetarum leguntur, quoad licet per tempus. Deinde ubi lector desit, is qui praest admonitionem verbis et adhortationem ad res tam praeclaras imitandas suscipit. Postea omnes simul consurgimus et preces emittimus: atque, ut iam diximus, ubi desimus precari, panis affertur et vinum et aqua: et qui praest preces et gratiarum actiones totis viribus emittit, et populus acclamatur: *Amen*, et eorum, in quibus gratiae actae sunt, distributio fit et communicatio unicuique praesentium, et absentibus per Diaconos mittitur ». — Quod vero S. Iustinus per ea verba qui praest non semel prolata designat hoc loco praesertim Episcopos, in ambiguo esse non sinit tot illae quae supersunt sanctorum Ecclesiae Patrum orationes seu Homiliae, quas inter Missarum solennia constat esse pro concione recitatas. Sic S. Gregorius M.² « quia, inquit, Missarum solennia ter hodie

¹ In edit. Maurin. pag. 83, n. 61.

² Hom. VIII in Evang.

« celebraturi sumus, loqui diu de evangelica lectione non possumus ». Immo in hac re tam constans disciplina tenuerat, ut si forte diebus festis a christianorum conventu abfuisset Episcopus; item si concionem habere aut divinam hostiam litare praetermisisset, novitatem et insolentiam rei haud secus mirarentur omnes³, quam si diebus iuri dicundo statutis vacuum tribunal, vacua iudicum subsellia cernerentur. Sacris autem in dies festos operante Episcopo, *communis sacrificii* oblatio fieri dicebatur⁴: cuius appellationis ea profecto vis est, ut satis significet, praesente populo et pro populo Sacrificium fieri consuevisse. — Huc aliud etiam spectat, quod erat in more positum Pontificum Romanorum: ii quippe Dominicis diebus, peracto Sacrificio, quidpiam *consecratorum munerum* mittere ad singulos Urbis Titulos seu curialia templa solebant, quibus in locis una cum inferioribus animarum pastoribus multitudo adesset, quae adesse Pontifici maximo sacrificanti non potuisset. Quae quidem consecratorum munerum pars communi sermone *fermentum* appellata ob hanc causam censetur, quod sicut modicum fermentum totam, cui iniicitur, farinae massam conglutinat atque attollit; ita mystico illo quasi fermento populus Urbanus univ ersus in unum veluti corpus coalesceret, ut singuli se cum Pontifice maximo fide et caritate coniunctos, et sacrificii, quod ille faceret, participes esse sentirent⁵.

Quod si mutata hodie consuetudine, nequaquam singulis diebus festis coram multitudine Episcopi sa-

¹ S. Io. Chrysostomus Hom. I de incomprehensibili Dei natura.

² Concil. I Prov. Mechlinien. Tit. de Epis.

³ Cfr. B. Ios. M. Thomasi Card. Opusc. vi in edit. Rom. Omnium Opp. Tom. vii pag. 57 seqq. Cfr. etiam Augustini Orsi Card. Hist. Eccl. Lib. xxxi, n. 58.

crum faciunt, facere tamen pro populo necesse est. Revera Patres Tridentini, qui hoc officium ex praecepto divino repetunt¹, cum deinceps² iubent Episcopos curare ut omnes Presbyteri « saltem diebus Dominicis et festis solemnitibus, si autem curam habuerint animarum, tam frequenter ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent », eos profecto tacite monuerunt, ne officio iusto ac debito, quod ab inferioribus animarum pastoribus exigerent, ipsi deessent. Quapropter in Concilio Provinciali Mediolanensi I, cui maxime proposita erat decretorum Tridentinorum promulgatio, praesentibus et suffragia ferentibus iis ipsis Episcopis, qui paulo ante ad sedes suas Tridento reverterant³, constitutum est: « Cum Pontifices, ut inquit Apostolus, ex hominibus assumpti pro hominibus constituentur in iis quae sunt ad Deum, ut offerant dona et sacrificia pro peccatis, Episcopus Dominicis et aliis festis diebus, nisi iure impediatur, Missam celebret »⁴.

Quapropter mirum videri non debet, si Theologiae moralis et iuris pontificii doctorum una fere sententia est, officium celebrandi Missam pro populo maiore ratione ad Episcopos, quam ad Parochos pertinere. Omnium loco sit S. Alphonsi De Ligorio, Ecclesiae Doctoris, auctoritas: « Si autem Parochi, et omnes quibus cura animarum commissa est, tenentur in Dominicis et festis de praecepto Missam celebrare et applicare pro populo, tanto magis ad id tenentur Episcopi tamquam principales animarum pasto-

¹ Sess. xxiii, *De Reform.* c. 1.

² Ead. Sess. c. 14.

³ Cfr. Orationem a S. Carolo Borromeo habitam.

⁴ Tit. de frequent. divini Sacrificii obtinione.

« res »⁵. Cuius doctrinae ratio in eo maxime consistit, quod cum Parochi auctoritate ecclesiastica instituti sint, eorum officium ex iure divino, quod *mediatum et hypotheticum* vocant, proficiscitur. Contra vero ad Episcopos pastorale munus *immediate* pertinet, quippe quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei: pertinet etiam *principaliter*, quia inest in eis perfecta et plena cura pastoralis, cuius partem dumtaxat Parochi exercent, Ecclesiae auctoritate sibi demandatam. Quod sane praeclare S. Thomas his verbis complectitur: « Episcopi principaliter habent curam ovium suae dioecesis: presbyteri autem curati habent aliquas subministraciones sub Episcopis », id est « secundum quod eis ab Episcopo committitur »⁶.

His itaque omnibus diu multumque consideratis, auditisque Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum sententiis, declaramus et declaramus, omnes et singulos Episcopos, quacumque dignitate, etiam Cardinalitia, auctos, item Abbates iurisdictionem quasi episcopalem in Clerum et populum cum territorio separato habentes, in Dominicis aliisque festis diebus, qui ex praecepto adhuc servantur, et qui ex dierum de praecepto festorum numero sublatis sunt, omni exiguitatis reductum excusatione aut alia quavis exceptione remota, ad Missam pro populo sibi commisso celebrandam et applicandam teneri.

Et ne cui dubitationi aditus pateat, declaramus, eosdem Episcopos et Abbates huic officio satis esse facturos per celebrationem et applicationem unius Missae pro universo populo sibi commisso, etiamsi duas

⁵ Theol. Moral. lib. vi, num. 306.

⁶ 2-2, q. 184, art. 6 ad 2 et 3. Vide etiam opuscul. XIX cap. 4.

vel plures Dioeceses et Abbatias aeque principaliter unitas regant. — Novimus quidem Romanas Congregationes Nostras aliud decrevisse de Parochiis duas vel plures parochiales Ecclesias aeque principaliter unitas gerentibus: in quibus singulis singulae per dies festos Missae celebrentur et pro populo applicentur necesse est. Sed alia est Parochorum, alia Episcoporum ratio. Etenim cum cuique Parocho specialis in unaquaque Paroecia ac definita populi cura commissa sit, festis diebus Parochus non modo celebrare pro populo debet, sed etiam in parochiale templum populum admittere, ut sacrosancto Missae sacrificio intersit, et audiat verbum Dei, et sacramenta pro opportunitate recipiat, et iis omnibus officiis excolatur, quae diebus praesertim Dominicis aliisque festis praestanda sunt. At non haec valere possunt pro Episcopis, qui dissimili in conditione et causa versantur, cum nulla lege hodie iubeantur omnibus diebus festis sanctum Sacrificium in Cathedrali templo peragere.

Quamquam vero minime necessarium, opportunum tamen ducimus declarare, ea quae supra constituta sunt, ad Episcopos non spectare, qui *Titulares* dicuntur, quique ad dignitatem episcopalem promoti, ideo a Romano Pontifice titulo decorantur Ecclesiarum Cathedralium, quae olim florentes, nunc Clero populoque catholico destituuntur, ne scilicet antiqua earum dignitas et memoria penitus deleatur. Cum enim ipsi sedium suarum possessionem non capiant, qua dumtaxat suscepta munus, de quo diximus, Episcopi implere tenentur, cumque nullus neque Clerus neque populus eorum regimini tradatur, satis constat, eos uti carent usu atque exercitio potestatis ex episcopali consecratione

† S. C. Rit. in *Marsor.* 12 Nov. 1851.

acceptae, ita etiam hand esse officiis atque oneribus curae episcopalis obnoxios. Sed tamen si aequitatis caritatisque episcopalis ratio habeatur, non potest non consentaneum videri, eos etiam interdum sacrificium offerre, ut respiciat Deus miseram Ecclesiarum illarum conditionem, quarum titulo et nomine ipsi honestantur. Huic rei optime congruunt quae a Pio VI Decessore Nostro in consecratione Episcopi Cyrenensis die IV Octobris MDCCCLXXXIII in Basilica Ostiensi dicta sunt: cum scilicet enumerans causas ob quas Apostolica Sedes Ecclesias etiam ab infidelibus occupatas conferre solet, « oportere, inquit, aliquem existere cui singulariter incumbat, si non regere captivam illam miseri gregis portionem, preces saltem ac lacrymas pro eadem ad misericordiarum Patrem assidue effundere ».

Volumus autem praesentes Litteras, omniaque et singula in iis contenta inviolabiliter observari, et de subreptionis, obreptionis, aut cuiuscumque invaliditatis vitio intentionisque Nostrae et quocumque alio defectu a quoquam notari, impugnari, vel in controversiam vocari nullo unquam tempore posse; sublata cuilibet aliter de his iudicandi et definiendi potestate; et quidquid secus super his contigerit attentari, irritum et inane decernimus. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, etiam in generalibus Conciliis editis, nec non Cancellariae Apostolicae regulis, statutis quoque etiam iuratis, consuetudinibus etiam immemorabilibus, atque indultis etiam Apostolicis quomodolibet hactenus concessis, ceterisque contrariis quibuscumque. Atque hae Litterae Romae publicatae perinde habeantur ac si unicuique eorum, quos concernunt, personaliter intimatae et notificatae fuissent.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrarum Ordinationum et Constitutionum infringere, seu eidem ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo octuagesimo secundo, IV Id. Iunii, Pontificatus Nostri anno quinto. — C. Card. Sacconi, Pro-Datarius — Th. Cardinal Mertel. — Visa de Curia I. De Aquila e Vicecomitibus.

Loco  Plurim. — Reg. in Secretaria Brevium — I. Cugnonius.

XLVIII.

S. Congregationis de Propaganda Fide instructio de modo servanda in cognoscendis et definiendis causis criminalibus et disciplinariis Clericorum in Foederatis Statibus Americae Septentrionalis. — An. 1883.

Cum magnopere huius S. Consilii intersit in ecclesiasticis iudiciis eam methodum servari, quae et temporum circumstantiis opportune respondeat, et regulari iustitiae administrationi, nec non Praefectorum auctoritati tuendae, querelisque reorum praecavendis par omnino sit, placuit iterum ad examen revocari ea omnia quae in hac re pro ecclesiis foederatarum Americae Septentrionalis Statuum in Instructione diei 20 Iulii anni 1878, nec non in responsione ad dubia circa eandem posteriori proposita continebantur. Itaque S. C. omnibus mature perpensis, SSmo D. N. Leone PP. XIII

approbante, haec quae sequuntur observanda decrevit, praecedenti Instructione ac successiva declaratione abrogata, iis exceptis quae in hac continentur.

I. Ordinarius pro suo pastorali munere tenetur disciplinam correctionemque clericorum ita diligenter curare, ut circa eorum mores assidue vigilet, ac remedia a canonibus statuta sive praecavendis, sive tollendis abusibus in clerum aliquando irrepentibus provide adhibeat.

II. Haec vero remedia, alia *praeventiva* sunt, alia *repressiva*. Illa quidem ad praepedienda mala, scandalorum stimulos amovendos, voluntarias occasiones et causas ad delinquendum proximas vitandas ordinantur. Haec vero eum in finem constituta sunt, ut delinquentes ad bonam frugem revocentur, ac culparum consectoria e medio tollantur.

III. Conscientiae Ordinarii remittitur cuiusque remedii applicatio, canonicis praescriptionibus servatis pro casuum ac circumstantiarum gravitate.

IV. Praeventiva remedia sunt praecipue spiritualia exercitia, monitiones, praeepta.

V. Antequam vero ea adhibeantur, summaria factorum recognitio praecedat oportet: cuius notitiam Ordinarius servari curet ut, si opus sit, ad ulteriora procedere possit, et ut auctoritati ecclesiasticae superioris gradus in casu legitimi recursus totius rei rationem reddat.

VI. Canonicae monitiones vel secreto fiunt (etiam per epistolam vel per interpositam personam) ad modum paternaee correctionis, vel servata forma legali adhibentur, ita tamen ut illarum executio ex aliquo actu pateat.

VII. Quod si monitiones in irritum cedant, Ordinarius iubet, per Curiam delinquenti analogum praeeptum

intimari ita, ut in hoc explicetur, quid ipse vel facere vel vitare debeat, addita respectivae poenae ecclesiasticae comminatione, quam si praeceptum transgredia-
tur, incurret.

VIII. Praeceptum delinquenti a Curiae Cancellario coram Vicario generali iniungitur, aut etiam coram duobus testibus ecclesiasticis vel laicis spectatae prohibitatis.

1. Actus iniunctionis praecepti signatur a partibus praesentibus, et a delincente etiam, si velit.

2. Vicarius Generalis iusiurandum testibus imponere potest de secreto servando, si prudenter a natura rei, de qua agitur, id requiratur.

IX. Quod vero pertinet ad remedia repressiva seu poenas, animadvertant Ordinarii in suo pleno vigore manere remedium extraiudiciale, ex informata conscientia, pro occultis reatibus a S. Concilio Tridentino constitutum C. I. § 14. de Reform.

X. In actione criminali vel ob praecepti inobservantiam, vel ob communes reatus, vel ob ecclesiasticarum legum transgressionem, processus summarie et sine strepitu iudicii, servatis semper in tota sua substantia iustitiae regulis, conficiatur.

XI. Processus ex officio instruitur, vel accepto supplicii libello, vel accusatione, vel nuncio quoquomodo ad Curiam perlato; et usque ad terminum perducitur eo consilio, ut omni studio ac prudentia veritas detegatur, ac tum de crimine tum de reitate vel innocentia accusati causa eliquetur.

XII. Ubi Curiae iam constitutae sunt, compilatio processus committi potest probo ac perito viro ecclesiastico, cui assistat acturarius. In dioecibus vero in quibus Curiae episcopales nondum possint institui, in-

terim observanda est Instructio anni 1878 cum responsione eam subsequenti ad proposita dubia. Videlicet singuli Antistites in Synodo Dioecesana, audito clericorum consilio, quod tamen sequi non teneantur, quinque, vel ubi adiuncta rerum id fieri non sinant, tres saltem presbyteros ex probatissimis et, quantum fieri poterit, in iure canonico peritis seligant ad huiusmodi officium, ut in praedicta Instruktionem declaratum exstat, exercendum. Quod si ob aliquam gravem causam Synodus haberi nequeat, quinque vel tres ut supra ecclesiastici viri per episcopum ad idem munus deputentur. Electi in officio manebunt usque ad proximam Dioecesanae Synodi celebrationem, in qua vel confirmantur, vel alii eorum loco designentur. Quod si interdum morte aut renuntiatione vel alia causa praescriptus consiliariorum numerus minuat, episcopus audito consilio caeterorum ad commissionem pertinentium alios sufficiet. Porro commissio haec Consultorum iureiurando obstricta tenetur ad officium fideliter adimplendum, et praeside Episcopo vel Vicario Generali rem suamaget.

XIII. In qualibet Curia episcopali procurator fiscalis constituatur, ut iustitiae et legi satisfiat.

XIV. Pro intimationibus vel notificationibus, si Apparitores Curiae desint, utatur Episcopus persona aliqua qualificata, quae eas exhibeat, ac de hoc ipsum certiore reddat: vel etiam a Curia per publicos tabularios commendatae (quibus locis hoc systema vigeat) transmittantur, exquisita fide exhibitionis atque acceptionis vel repudii. Intimationes et notificationes semper in scriptis absolute fiant.

XV. Delicti fundamentum erui potest ex ipsa expositione habita in processu, quae authenticis informationibus vel confessione extraiudiciali, vel testium de-

positionibus confirmetur: transgressio vero praecepti ex ipso decreto et actu intimationis ad normam art. VII et VIII factae deducitur.

XVI. Ad admittendam vero rei culpabilitatem necessaria est probatio legalis, quae iis momentis constare debet, quibus veritas vere demonstrata elucescat, vel saltem moralis convictio inducatur, quocumque rationabili dubio oppositi remoto.

XVII. Personae quae examini subiiciendae sunt, separatim audiuntur.

XVIII. Testes ad probationem, sive ad defensionem, si legalia impedimenta id non prohibeant, audiantur, praestito iuramento de veritate dicenda, et si res postulet, etiam de secreto servando. Itaque antequam testificentur, cum de veritate tum de secreto iurent. Eo magis de officio fideliter adimplendo et de secreto, pro rei, de qua agitur, exigentia servando, omnes iuramento obstricti sint oportet, qui in instructione processus ex suo munere partem aliquam habeant.

XIX. Testes qui in locis longe dissitis vel in aliena Dioecesi degunt, mediante auctoritate ecclesiastica loci in quo manent, examinentur, in quem finem specimen factorum transmittetur; quae quidem auctoritas in responsione normas in hac Instructione contentas observabit.

XX. Si indicentur testes, qui de factis vel circumstantiis ad meritum causae substantiale spectantibus interrogandi essent, nec examinari possint, vel quia non licet aut decet eos citare in iudicium, vel quia rogati adesse recusent, necesse est id in actis commemorare, eorumque deficientia suppletur testimoniis aliorum, qui vel de relato vel aliter rem de qua quaeritur, noverint.

XXI. Ubi id omne quod ad veritatem factorum constituendam et culpam accusati probandam pertinet, absolutum fuerit, imputatus intimatione scripta ad examen vocatur.

XXII. In intimatione, nisi prudentia obstet, accusationes contra reum perlatæ per extensum referuntur, ut ad responsionem se praeparare possit.

XXIII. Quod si ob accusationum qualitatem vel alia de causa haud expediat, ut in intimatione exprimentur, in hac satis erit innuere, ipsum ad examen vocari ut in causa, de qua contra eum fit inquisitio, sese defendat.

XXIV. Si ad examen accedere recuset, iterum fit intimatio, atque in ea congruum tempus peremptorium praefinitur, intra quod reus coram tribunali se sistere debeat, eique significatur, si non pareat, contumacem esse iudicandum; quam intimationem si haud probato legitimo impedimento transgrediatur, ut contumax de facto habebitur.

XXV. Verum si ad examen accedat, audiatur: et ubi inductiones alicuius valoris exhibeat, eae, quantum fieri potest, accurate discutiuntur.

XXVI. Dein accedendum est ad contestationem delicti et argumentorum, quae prostant, ut inquisitus et culpabilis habeatur et in poenas canonicas incurrisse censeatur.

XXVII. Inquisitus, ubi ex his noverit, quae in actis contra ipsum relata sunt, ad ea respondere potest, ac, si velit, utetur iure defensionis a se ipso peragendae.

XXVIII. Potest etiam, si postulet, obtinere, ut terminus ad defensionem scripto exhibendam praefigatur: maxime si ob ea quae art. XXIII indicata sunt, responsionem ad accusationes contra se latas parare non poterit.

XXIX. Absoluto processu, redactor actorum summarium praecipuorum argumentorum, quae ex ipso elucent, conficiat.

XXX. Qua die causa proponetur, inquisito fiet facultas defensionem suam per alium sacerdotem suo nomine peragendi. Quod si idoneum non reperiat, laicum catholicum adhibere potest. Quisque autem ex iis ab Ordinario approbandus est.

XXXI. Si vero reus defensorem deputare recuset, Ordinarius illum ex officio designabit.

XXXII. Defensor debitis sub cautelis in Cancellaria Curiae processum eiusque summarium inspiciet, ut reum tucatur; ac defensionem ante causae ipsius propositionem scripto exhibere poterit. Ipse quoque ad iuramentum de secreto servando tenetur, quando iudex indolem causae id postulare censuerit.

XXXIII. Processus eiusque summarium ad procuratorem fiscalem mittitur, ut officio suo fungi possit; dein ad Ordinarium remittitur qui, ubi in plenam causae cognitionem devenit, diem constituet, in qua eius discussio ac decisio locum habeat, idque inquisito significari curet.

XXXIV. Praestituta die, causa coram Episcopo vel Vicario Generali, praesente procuratore fiscali, defensore et Cancellario, proponitur.

XXXV. Audito fisci procuratore ac defensione rei, sententia pronuntiatur, eiusque pars dispositiva Cancellario dictatur, expressa mentione facta, si damnationi sit locus, sanctionis canonicae quae contra imputatum applicatur.

XXXVI. Sententia reo intimetur, qui potest ad auctoritatem superioris instantiae appellationem interponere *.

* Quoad appellationem, in Concilio Plen. Baltimor. III. hoc notatur: « Quod si a iudicio curiae metropolitanae primae instantiae ad

XXXVII. In appellatione observentur normae expressae in Constit. sa. me. Benedicti XIV, *Ad militantis*, diei 30 Martii 1742, ac caeterae indictae a S. C. Episcoporum et RR. decreto diei 18 Decembris 1835, et epistola circulari diei 1 Augusti 1851.

XXXVIII. Intra terminum decem dierum a notificatione sententiae interpositio appellationis fieri debet, quo elapso tempore, sententiae executio locum habet.

XXXIX. Appellatione interposita, continuo Curia ad auctoritatem ecclesiasticam superioris instantiae omnia acta causae in suis autographis, idest processum, eius summarium, defensionem ac sententiam mittit.

XL. Haec porro superioris instantiae auctoritas appellatione cognita appellanti iniungit, ut intra triginta dies defensorem deputet, qui ab ipsa approbandus est.

XLI. Eo termino peremptorio frustra elapso, censetur reus beneficio appellationis renuntiasse, quam propterea iudex gradus superioris peremptam declarat.

XLII. In appellatione a sententia Curiae episcopalis ad metropolitanam, Archiepiscopus in causa cognoscenda ac definienda eadem procedendi methodo utetur, quae in hac instructione indicatur.

XLIII. Si clericus ob communes reatus a civili potestate, privilegio fori non obstante, processui ac iudicio subiciatur, Ordinarius summariam informationem criminis assumit; ac inquit, num ad normam sacrorum canonum infamiae, irregularitatis, vel alii ecclesiasticae sanctioni locus esse possit.

§ 1. Pendente iudicio, vel imputato in carcere detento, prudens consilium erit, ut Ordinarius ordinationes mere provisoriae adhibeat.

« aliam curiam appellandum sit, appellatio ex speciali concessione S. Sedis « fiet ad Metropolitanam viciniorum ».

§ 2. Iudicio absoluto, si liber accusatus remittatur, Curia episcopalis iuxta informationes ut supra assumptas ea ratione procedet, quae in hac instructione constituitur.

XLIV. In casibus dubiis diversisque in praxi difficultatibus Ordinarii Sacram hanc Congregationem consulant, ut contentiones ac nullitatem actorum devitent.

XLV. Haud ita facile Curiae episcopales ad damna vel expensas resarciendas damnari poterunt; quoties enim ex processu informativo indicia sufficientia ad agendum contra inquisitum appareant, iudex appellationis a talibus damnationibus absteineat, cum ea indicia sufficientia ut in iudice, qui antea processit, ea vera et propria calumnia excludatur, quae ad huiusmodi damnationem requiritur.

XLVI. Concilii plenarii Baltimorensis II. decreta N. 125 quoad naturam missionum, et N. 77, 108 quoad iuridicos effectus remotionis missionariorum ab officio, nullatenus innovata seu infirmata intelliguntur, salvo iis quae recentius de Parochis seu Rectoribus inamovibilibus constituta sunt.

(Coll. P. F. n. 78).

XLIX.

S. Officii decretum de matrim. Massonum. — 21 Februarii 1883. (Vic. Ap. Bombayen.)

Utrum iuramentum massonicum non retractatum considerari et tractari possit vel debeat ad instar impedimenti matrimonium impediens aut etiam dirimentis; et quae cautelae exigi debeant ut matrimonium

puellae catholicae cum viro franco-muratore iurato licite aut etiam valide a parochio benedici possit.

R. Quod attinet ad matrimonium, in quo una contrahentium pars clandestinis aggregationibus notorie adhaeret, donec Apostolica Sedes generale decretum hac in re non ediderit, oportet, ut Pastores caute et prudenter se gerant, et debent potius in casibus particularibus ea statuere, quae magis in Domino expedire iudicaverint, quam generali regula aliquid decernere. Omnino vero excludatur celebratio Sacrificii Missae, nisi quando gravia adiuncta aliter exigant.

(Coll. P. F. n. 1534).

L.

S. Officii decretum de vi decreti « Tametsi » circa clandestinitatem in America Latina. — 30 Ianuarii 1884. (Vic. Ap. Arizonae).

1. Utrum pro tota regione quae sub regimine hispanico extitit, tamquam promulgatum censi debeat Concilium (id est decretum *Tametsi* Concilii Tridentini): an solum pro hac parte regionis quae tunc temporis nicolas habebat?

2. Quid agendum sit pro matrimoniis contractis contra legem Ecclesiae?

R. — Ad 1. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

Ad 2. Matrimonia inter catholicos, non servata forma tridentina iuta, esse nulla, praeterquam si contrahentes in locis dissitis degentes non sine magna difficultate sacerdotem proprium adire potuissent, et

matrimonium inierint saltem coram duobus vel tribus testibus. Si vero agatur de matrimoniis hæreticorum inter se vel cum catholicis, et coniuges sint in bona fide, R. P. D. Vicarius Apostolicus dissimulet. Si alteruter vel ambo in bona fide non sint, prudenter curet ut consensus renovetur, prævia Apostolica dispensatione ab impedimento mixtæ religionis, servatis servandis. Quod si alteruter vel ambo ad alias nuptias transire velint, diligenter inquirent utrum pars olim vel adhuc hæresi addicta baptismum susceperit, et si certo constet non fuisse baptizatam, matrimonium declarandum est nullum; secus recurat ad S. Sedem, expositis omnibus facti adiunctis.

(Coll. Prop. F. n. 1412).

LI.

Decretum S. Congr. Indulg. de Gregoriano Tricenario. — 11 Martii 1884.

Ordinis Monachorum Camaldulensium. — De Gregoriano Tricenario, de Altari S. Gregorii in Monte Coelio, et de Altaribus Gregorianis ad instar.

Decretum.

Pro animabus et Purgatorio liberandis, ab antiquis temporibus Christifideles celebrandas curarunt et curant Missas, quæ Gregorianæ seu Gregorianum Tricenarium appellantur, quæ nimirum per triginta continentes dies, exemplo S. Gregorii Magni, in quovis Altari dicuntur. In eundem finem, et ab antiquis pariter temporibus, Christifideles afferri expostulaverunt et expostulant Missæ Sacrificium in Altari S. Gregorii in eius Ecclesia Coelimoniana. Tum in triginta illis Missis, tum

in quavis Missa ad Altare S. Gregorii specialem fiduciam Christifideles et habuerunt et habent, velut si ipsæ ita efficaces sint censendæ ut anima, præ qua celebrantur, e Purgatorii poenis illico liberetur. Verum de duplici huiusmodi praxi dubitari coeptum est a præstantibus quibusdam viris, ea potissimum de causa, quod huiusmodi Christifidelium fiducia haud solido fundamento inniti videatur.

Quod quidem adeo permovet hodiernum Abbatem generalem Monachorum Camaldulensium, quibus custodienda tradita fuit Ecclesia in qua Gregoriani Tricenarii praxis initium forte sumpsit et Altare S. Gregorii existit, ut Antecessoris sui preces urgeret et S. Congregationi Indulgentiis præpositæ dubia aliqua authentice dirimenda exhiberet. Cum vero anteactis temporibus Romani Pontifices, præsertim Gregorius XIII, plurima Altaria tum Romæ tum alibi, formula usi solenni *privilegiata* declaraverint *ad instar* Altaris S. Gregorii in Monte Coelio, et Christifideles haud dissimilem a superius dicta fiduciam reposuerint et reponunt in Missis quæ huiusmodi in Altaribus ad iuvandas animas in Purgatorio detentas celebrantur; quumque hæc Altaria *Gregoriana ad instar* nuncupata usque ad annum 1852 concessa, ob exorta dubia de discrimine Altaris *gregoriani ad instar* ab Altari sine addito *Privilegiato*, Pius S. M. PP. IX die 15 Martii illius anni prohibuerit quominus in posterum concederentur, quoad res maturius perpenderetur, et absolveretur, hinc opportunum visum est dubiis a Rmo P. Abbate propositis aliud ex officio subnectere et dirimere respiciens amussim suspensionem a S. M. Pio PP. IX indictam.

Dubia vero proposita hæc sunt quæ sequuntur:

1. Utrum fiducia, qua Fideles retinent, celebratio-

nem triginta Missarum, quae vulgo *Gregoriana* dicuntur, uti specialiter efficacem ex beneplacito et acceptatione divinae Misericordiae ad animae a Purgatorii poenis liberationem pia sit et rationabilis, atque praxis easdem Missas celebrandi sit in Ecclesia probata?

2. Utrum fiducia, qua Fideles retinent celebrationem Missae in Altari S. Gregorii in eius Ecclesia Coelimoniana uti specialiter efficacem ex beneplacito et acceptatione divinae Misericordiae ad animae a Purgatorii poenis liberationem pia sit et in Ecclesia probata?

3. Utrum idem dicendum sit de Altaribus Gregorianis ad instar?

4. Utrum expediat revocare suspensionem novae concessionis Altaris Gregoriani latam ex mandato SSmi in Audientia diei 15 Martii 1852?

Quibus in Congregatione Generali habita die 11 Martii 1884 in Aedibus Apostolicis Vaticanis Eminent. Patres rescripserunt:

Ad I. II. et III. Affirmative.

Ad IV. Consulendum SSmo ut revocet suspensionem novae concessionis Altaris Gregoriani ad instar.

Die vero 15 eiusdem mensis et anni, facta de omnibus ab infrascripto Sacrae Congregationis Secretario relatione SS. Dño Nostro, Leoni Papae XIII, Sanctitas Sua Patrum Cardinalium responsiones approbavit, et suspensionem novae concessionis Altaris Gregoriani ad instar sustulit.

Datum Romae, ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die 15 Martii 1884. — Al. Card. Oreglia a S. Stephano, Praefectus. — Franciscus Della Volpe, Secretarius.

LII.

SS. D. N. Leonis XIII Encyclica « *Humanum genus* » de secta Massonum. — 20 Aprilis 1884.

Humanum genus, postea quam a Creatore munerumque caelestium largitore Deo, *invidia Diaboli*, miserrime defecit, in partes duas diversas adversasque discessit; quarum altera assidue pro veritate et virtute propugnat, altera pro iis, quae virtuti sunt veritatisque contraria. — Alterum Dei est in terris regnum, vera scilicet Iesu Christi Ecclesia, cui qui volunt ex animo et convenienter ad salutem adhaerescere, necesse est Deo et Unigenito Filio eius tota mente ac summa voluntate servire; alterum Satanac est regnum, cuius in ditione et potestate sunt quicumque funesta ducis sui et primorum parentum exempla secuti, parere divinae aeternaeque legi recusant, et multa posthabito Deo, multa contra Deum contentunt. Duplex hoc regnum, duarum instar civitatum contrariis legibus contraria in studia abeuntium, acute vidit descripsitque Augustinus, et utriusque efficientem causam subtili brevitate complexus est, iis verbis: *fecerunt civitates duas amores duo; terrenam scilicet amor sui usque ad contemptum Dei; caelestem vero amor Dei usque ad contemptum sui*¹. — Vario ac multiplici cum armorum dimicationis genere altera adversus alteram omni saeculorum aetate confligit, quamquam non eodem semper ardore atque impetu. Hoc autem tempore, qui

¹ De Civit. Dei Lib. XIV, c. 17.

nem triginta Missarum, quae vulgo *Gregoriana* dicuntur, uti specialiter efficacem ex beneplacito et acceptatione divinae Misericordiae ad animae a Purgatorii poenis liberationem pia sit et rationabilis, atque praxis easdem Missas celebrandi sit in Ecclesia probata?

2. Utrum fiducia, qua Fideles retinent celebrationem Missae in Altari S. Gregorii in eius Ecclesia Coelimoniana uti specialiter efficacem ex beneplacito et acceptatione divinae Misericordiae ad animae a Purgatorii poenis liberationem pia sit et in Ecclesia probata?

3. Utrum idem dicendum sit de Altaribus Gregorianis ad instar?

4. Utrum expediat revocare suspensionem novae concessionis Altaris Gregoriani latam ex mandato SS^{mi} in Audientia diei 15 Martii 1852?

Quibus in Congregatione Generali habita die 11 Martii 1884 in Aedibus Apostolicis Vaticanis Eminent. Patres rescripserunt:

Ad I. II. et III. Affirmative.

Ad IV. Consulendum SS^{mo} ut revocet suspensionem novae concessionis Altaris Gregoriani ad instar.

Die vero 15 eiusdem mensis et anni, facta de omnibus ab infrascripto Sacrae Congregationis Secretario relatione SS. D^{no} Nostro, Leoni Papae XIII, Sanctitas Sua Patrum Cardinalium responsiones approbavit, et suspensionem novae concessionis Altaris Gregoriani ad instar sustulit.

Datum Romae, ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die 15 Martii 1884. — Al. Card. Oreglia a S. Stephano, Praefectus. — Franciscus Della Volpe, Secretarius.

LII.

SS. D. N. Leonis XIII Encyclia « *Humanum genus* » de secta Massonum. — 20 Aprilis 1884.

Humanum genus, postea quam a Creatore munerumque caelestium largitore Deo, *invidia Diaboli*, miserime defecit, in partes duas diversas adversasque discessit; quarum altera assidue pro veritate et virtute propugnat, altera pro iis, quae virtuti sunt veritatisque contraria. — Alterum Dei est in terris regnum, vera scilicet Iesu Christi Ecclesia, cui qui volunt ex animo et convenienter ad salutem adhaerescere, necesse est Deo et Unigenito Filio eius tota mente ac summa voluntate servire; alterum Satanac est regnum, cuius in ditione et potestate sunt quicumque funesta ducis sui et primorum parentum exempla secuti, parere divinae aeternaeque legi recusant, et multa posthabito Deo, multa contra Deum contentunt. Duplex hoc regnum, duarum instar civitatum contrariis legibus contraria in studia abeuntium, acute vidit descripsitque Augustinus, et utriusque efficientem causam subtili brevitate complexus est, iis verbis: *fecerunt civitates duas amores duo; terrenam scilicet amor sui usque ad contemptum Dei; caelestem vero amor Dei usque ad contemptum sui*¹. — Vario ac multiplici cum armorum dimicationis genere altera adversus alteram omni saeculorum aetate confligit, quamquam non eodem semper ardore atque impetu. Hoc autem tempore, qui

¹ De Civit. Dei Lib. XIV, c. 17.

deterioribus favent partibus videntur simul conspirare vehementissimeque cuncti contendere, auctore et adiutrice ea, quam *Massonum* appellant, longe lateque diffusa et firmiter constituta hominum societate. Nihil enim iam dissimulantes consilia sua, excitant sese adversus Dei numen audacissime: Ecclesiae sanctae perniciem palam aperteque moliantur, idque eo proposito, ut gentes christianas partis per Iesum Christum Salvatorem beneficiis, si fieri posset, funditus despolient. — Quibus Nos ingemiscentes malis, illud saepe ad Deum clamare, urgente animum caritate, compellimur: *Ecce inimici tui sonnerunt, et qui oderunt te extulerunt caput. Super populum tuum malignaverunt consilium, et cogitaverunt adversus sanctos tuos. Dixerunt: venite, et disperdamus eos de gente.*

In tam praesenti discrimine, in tam immani pertinacique christiani nominis oppugnatione, Nostrum est indicare periculum, designare adversarios, horumque consiliis atque artibus, quantum possumus, resistere, ut aeternum ne pereant quorum Nobis est commissa salus: et Iesu Christi regnum, quod tuendum accepimus, non modo stet et permaneat integrum, sed novis usque incrementis ubique terrarum amplificetur.

Romani Pontifices Decessores Nostri, pro salute populi christiani sedulo vigilantes, hanc tam capitale hostem ex occultae coniurationis tenebris prosilientem, quis esset, quid vellet, celeriter agnoverunt: iidemque praecipientes cogitatione futura, principes simul et populos, signo velut dato, monuerunt ne se paratis ad decipiendum artibus insidiisque capi paterentur. — Prima significatio periculi per Clementem XII anno

¹ Pa. 87, v. 3-4.

MDCCXXXVIII facta¹: cuius est a Benedicto XIV² confirmata ac renovata Constitutio. Utriusque vestigiis ingressus est Pius VII³: ac Leo XII Constitutione Apostolica « *Quo graviora* »⁴ superiorum Pontificum hac de re acta et decreta complexus, rata ac firma in perpetuum esse iussit. In eandem sententiam Pius VIII⁵, Gregorius XVI⁶, persaepe vero Pius IX⁷ locuti sunt.

Videlicet cum sectae Massonicae institutum et ingenium compertum esset ex manifestis rerum indicis, cognitione caussarum, prolatis in lucem legibus eius, ritibus, commentariis, ipsis saepe accedentibus testimoniis eorum qui essent conscii, haec Apostolica Sedes denunciavit aperteque edixit, sectam Massonum, contra ius fasque constitutam, non minus esse christianae rei, quam civitati perniciosam: propositisque poenis, quibus solet Ecclesia gravior in fontes animadvertere, interdixit atque imperavit, ne quis illi nomen societati daret. Qua ex re irati gregales, earum vim sententiarum subterfugere aut debilitare se posse, partim contemnendo, partim calumniando rati, Pontifices maximos, qui ea decreverant, criminati sunt aut non iusta decrevisse, aut modum in decernendo transisse. Hac sane ratione Constitutionum Apostolicarum Clementis XII, Benedicti XIV, itemque Pii VII et Pii IX conati sunt auctoritatem et pondus eludere. Verum in ipsa illa societate non defuere, qui vel invito faterentur, quod

¹ Const. *In eminenti*, die 24 Aprilis 1738.

² Const. *Providay*, die 18 Maii 1751.

³ Const. *Ecclesiam a Iesu Christo*, die 15 Septembris 1821.

⁴ Const. data die 15 Martii 1825.

⁵ Encyc. *Traditi*, die 21 Maii 1829.

⁶ Encyc. *Mirari*, die 15 Augusti 1832.

⁷ Encyc. *Qui pluribus*, die 9 Novembris 1864. Alloc. *Multiplices inter*, die 25 Septembris 1865, etc.

erat a romanis Pontificibus factum, id esse, spectata doctrina disciplinaque catholica, iure factum. In quo Pontificibus valde assentiri plures viri principes rerumque publicarum rectores visi sunt, quibus curae fuit societatem Massonicam vel apud Apostolicam Sedem arguere, vel per se, latis in id legibus, noxae dammare, ut in Hollandia, Austria, Helvetia, Hispania, Bavaria, Sabaudia aliisque Italiae partibus.

Quod tamen prae ceteris interest, prudentiam Decessorum Nostrorum rerum eventus comprobavit. Ipsorum enim providae paternaeque curae nec semper nec ubique optatos habuerunt exitus: idque vel hominum, qui in ea noxa essent, simulatione et astu, vel inconsiderata levitate ceterorum, quorum maxime interfuisset diligenter attendere. Quare unius saeculi dimidiati que spatio secta Massonum ad incrementa properavit opinione maiora; inferendoque sese per audaciam et dolos in omnes reipublicae ordines, tantum iam posse coepit, ut prope dominari in civitatibus videatur. Ex hoc tam celeri formidolosoque cursu illa revera est in Ecclesiam, in potestatem principum, in salutem publicam pernicies consecuta, quam Decessores Nostri multo ante praeviderant. Eo enim perventum est, ut valde sit reliquo tempore metuendum non Ecclesiae quidem, quae longe firmitus habet fundamentum quam ut hominum opera laefactari queat; sed earum causa civitatum, in quibus nimis polleat ea, de qua loquimur, aut aliae hominum sectae non absimiles, quae priori illi sese administras et satellites impertiunt.

His de causis, ubi primum ad Ecclesiae gubernacula accessimus, vidimus planeque sensimus huic tanto malo resistere oppositu auctoritatis Nostrae, quoad fieri posset, oportere. — Sane opportunam saepius

occasione nacti, persecuti sumus praecipua quaedam doctrinarum capita, in quas Massonicarum opinionum influxisse maxime perversitas videbatur. Ita Litteris Nostris Encyclicis « *Quod Apostolici muneris* » aggressi sumus *Socialistarum* et *Communistarum* portenta convincere: aliis deinceps « *Arcanum* » veram germanaque notionem societatis domesticae, cuius est in matrimonio fons et origo, tuendam et explicandam curavimus: iis insuper, quarum initium est « *Distur-num* », potestatis politicae formam ad principia christianae sapientiae expressam proposuimus, cum ipsa rerum natura, cum populorum principumque salute mirifice cohaerentem. Nunc autem, Decessorum Nostrorum exemplo, in Massonicam ipsam societatem, in doctrinam eius universam, et consilia, et sentiendi consuetudinem et agendi, animum recta intendere decrevimus, quò vis illius malefica magis magisque illustretur, idque valeat ad funestae pestis prohibenda contagia.

Variae sunt hominum sectae, quae quamquam nomine, ritu, forma, origine differentes, cum tamen communione quadam propositi summarumque sententiarum similitudine inter se contineantur, re congruunt cum secta Massonum, quae cuiusdam est instar centri unde abeunt et quo redeunt universae. Quae quamvis nunc nolle admodum videantur latere in tenebris, et suos agant coetus in luce oculisque civium, et suas edant ephemerides, nihilominus tamen, re penitus perspecta, genus societatum clandestinarum moremque retinent. Plura quippe in iis sunt arcanis similia, quae non externos solum, sed gregales etiam bene multos exquisitissima diligentia celari lex est: cuiusmodi sunt intima atque ultima consilia, summi factionum principes, oc-

culta quaedam et intestina conventicula: item decreta, et qua via, quibus auxiliis perficienda. Huc sane facit multiplex illud inter socios discrimen et iuris, et officii, et muneris: huc rata ordinum graduumque distinctio, et illa, qua reguntur, severitas disciplinae. Initiales spondere, immo praecipuo sacramento iurare ut plurimum iubentur, nemini se ullo unquam tempore ullove modo socios, notas, doctrinas indicaturos. Sic eminentia specie eodemque semper tenore simulationis quam maxime Massones, ut olim Manichaei, laborant abdere sese, nullosque, praeter suos, habere testes. Latebras, commodum quaerunt, sumpta sibi litterarum sopherumve persona, eruditionis causa sociatorum: habent in lingua promptum cultioris urbanitatis studium, tenuioris plebis caritatem; unice velle se meliores res multitudini quaerere, et quae habentur in civili societate commoda cum quamplurimis communicare. Quae quidem consilia quamvis vera essent, nequaquam tamen in istis omnia. Praeterea qui cooptati sunt, promittant ac recipiant necesse est, duobus ac magistris se dicto audientes futuros cum obsequio fideque maxima: ad quemlibet eorum nutum significationemque paratos, imperata facturos: si secus fecerint, tum dira omnia ac mortem ipsam non recusare. Revera si qui prodidisse disciplinam, vel mandatis restitisse iudicentur, supplicium de iis non raro sumitur, et audacia quidem ac dexteritate tanta, ut specularicem ac vindicem scelerum iustitiam sicarius persaepe fallat. — Atqui simulare, et velle in occulto latere; obligare sibi homines, tanquam mancipia, tenacissimo nexu, nec satis declarata causa: alieno addictos arbitrio ad omne facinus adhibere: armare ad caedem dextras, quaesita impunitate peccandi, immanitas quaedam est, quam rerum natura non patitur.

Quapropter societatem, de qua loquimur, cum iustitia et naturali honestate pugnare, ratio et veritas ipsa convincit.

Eo vel magis, quod ipsius naturam ab honestate dissidentem alia quoque argumenta, eademque illustra, redarguunt. Ut enim magna sit in hominibus astutia celandi consuetudoque mentiendi, fieri tamen non potest, ut unaquaeque causa ex iis rebus, quarum causa est, qualis in se sit non aliqua ratione appareat. *Non potest arbor bona malos fructus facere; neque arbor mala bonos fructus facere*¹. Fructus autem secta Massonum perniciosos gignit maximaque acerbitate permixtos. Nam ex certissimis indiciiis, quae supra commemoravimus, erumpit illud, quod est consiliorum suorum ultimum, scilicet evertere funditus omnem eam, quam instituta christiana pepererunt, disciplinam religionis rei que publicae, novamque ad ingenium suum extruere, ductis e medio *Naturalismo* fundamentis et legibus.

Haec, quae diximus aut dicturi sumus, de secta Massonica intelligi oportet spectata in genere suo, et quatenus sibi cognatas foederatasque complectitur societates: non autem de sectatoribus earum singulis. In quorum numero utique possunt esse, nec pauci, qui quamvis culpa non careant quod sese istius modi implicuerint societatibus, tamen nec sint flagitiose factorum per se ipsi participes, et illud ultimum ignorent quod illac nituntur adipisci. Similiter ex consociationibus ipsis nonnullae fortasse nequaquam probant conclusiones quasdam extremas, quas, cum ex principiis communibus necessario consequantur, consentaneum esset amplexari, nisi per se foeditate sua turpitudine ipsa

¹ Math. VII, 18.

deterret. Item nonnullas locorum temporumve ratio suadet minora conari, quam aut ipsae vellent aut ceterae solent: non idcirco tamen alienae a Massonico foedere putandae, quia Massonicum foedus non tam est ab actis perfectisque rebus, quam a sententiarum summa iudicandum.

Iamvero, Naturalistarum caput est, quod nomine ipso satis declarant, humanam naturam humanamque rationem cunctis in rebus magistram esse et principem oportere. Quo constituto, officia erga Deum vel minus curant, vel opinionibus pervertunt errantibus et vagis. Negant enim quidquam esse Deo auctore traditum, nullum probant de religione dogma; nihil veri, quod non hominum intelligentia comprehendat; nullum magistrum, cui propter auctoritatem officii sit iure credendum. Quoniam autem munus est Ecclesiae catholicae singulare sibi quae unice proprium, doctrinas divinitus acceptas auctoritatemque magisterii cum ceteris ad salutem caelestibus adjuvantibus plene complecti et incorrupta integritate tueri, idcirco in ipsam maxima est inimicorum iracundia impetusque conversus. — Nunc vero in his rebus, quae religionem attingunt, spectetur quid agat, praesertim ubi est ad agendi licentiam liberior, secta Massonum: omninoque iudicetur, nonne plane re exequi Naturalistarum decreta velle videatur. Longo sane pertinacique labore in id datur opera, nihil ut Ecclesiae magisterium, nihil auctoritas in civitate possit: ob eamque causam vulgo praedicant et pugnant, rem sacram remque civilem esse penitus distrahendas. Quo facto saluberrimam religionis catholicae virtutem a legibus, ab administratione reipublicae excludunt: illudque est consequens, ut praeter instituta ac praecepta Ecclesiae totas constituendas putent civitates. — Nec vero non

curare Ecclesiam, optimam ducem, satis habent, nisi hostiliter faciendo laeserint. Et sane fundamenta ipsa religionis catholicae adoriri sando, scribendo, docendo, impune licet: non iuribus Ecclesiae parcitur; non monera, quibus est divinitus aucta, salva sunt. Agendarum rerum facultas quam minima illi relinquitur, idque legibus specie quidem non nimis vim inferentibus, re vera natis aptis ad impediendam libertatem. Item impositas Clero videmus leges singulares et graves, multum ut ei de numero, multum de rebus necessariis in dies decedat: reliquias honorum Ecclesiae maximis adstrictas vinculis, potestati et arbitrio administratorum reipublicae permissas: sodalitates ordinum religiosorum sublatas, dissipatas. — At vero in Sedem Apostolicam romanumque Pontificem longe est inimicorum incitata contentio. Is quidem primum factis de causis deturbatus est propugnaculo libertatis iurisque sui, principatu civili: mox in statum compulsus iniquum simul et objectis undique difficultatibus intolerabilem: donec ad haec tempora perventum est, quibus sectarum fautores, quod abscondite secum agitarant diu, aperte denunciant, sacram tollendam Pontificum potestatem, ipsumque divino iure institutum funditus delendum Pontificatum. Quam rem, si cetera deessent, satis indicat hominum qui conscii sunt testimonium, quorum plerique cum saepe alias, tum recenti memoria rursus hoc Massonum verum esse declararunt, velle eos maxime exercere catholicum nomen implacabilibus inimicitiiis, nec ante quieturos, quam excisa omnia viderint, quaecumque summi Pontifices religionis causa instituisent. — Quod si, qui adscribuntur in numerum, nequaquam eiurare conceptis verbis instituta catholica iubentur, id sane tantum abest, ut consiliis Massonum repugnet, ut potius adserviat.

Primum enim simplices et incautos facile decipiunt hac via, multoque pluribus invitamenta praebent. Tum vero obvis quibuslibet ex quovis religionis ritu accipiendis, hoc assequuntur, ut re ipsa suadeant magnum illum huius temporis errorem, religionis curam relinquere in mediis, nec ullum esse inter genera delictum. Quae quidem ratio comparata ad interitum est religionum omnium, nominatim ad catholicae, quae, cum una ex omnibus vera sit, exaequari cum ceteris sine iniuria summa non potest.

Sed longius Naturalistae progrediuntur. In maximis enim rebus tota errare via auctacter ingressi, praecipiti cursu ad extrema delabuntur, sive humanae imbecillitate naturae, sive consilio iustas superbiae poenas repetentis Dei. Ita fit, ut illis ne ea quidem certa et fixa permaneant, quae naturali lumine rationis perspicuntur, qualia profecto illa sunt, Deum esse, animos hominum ab omni esse materiae concretionem segregatos, eosdemque immortales. — Atqui secta Massonum ad hos ipsos scopulos non dissimili cursu errore adhaerescit. Quamvis enim Deum esse generatim profiteantur, id tamen non haerere in singulorum mentibus firma assensione iudicioque stabili constitutum, ipsi sibi sunt testes. Neque enim dissimulant, hanc de Deo quaestionem maximum apud ipsos esse fontem causamque dissidii: immo non mediocrem hac ipsa de re constat exitisse inter eos proximo etiam tempore contentionem. Re autem vera initiatis magnam secta licentiam dat, ut alterutrum liceat suo iure defendere, Deum esse, Deum nullum esse: et qui nullum esse praefracte contendunt, tam facile initiantur, quam qui Deum esse opinantur quidem, sed de eo prava sentiunt, ut Pantheistae solent: quod nihil est aliud, quam divinae naturae absurdam

quamdam speciem retinere, veritatem tollere. Quo everso infirmatove maximo fundamento, consequens est ut illa quoque vacillent, quae natura admonente cognoscuntur, cunctas res libera creatoris Dei voluntate exitisse: mundum providentia regi: nullum esse animorum interitum: huic, quae in terris agitur, hominum vitae successuram alteram, eamque sempiternam.

His autem dilapsis, quae sunt tamquam naturae principia, ad cognitionem usumque praecipua, quales futuri sint privati publicique mores, facile apparet. — Silemus de virtutibus diviniis, quas absque singulari Dei munere et dono nec exercere potest quisquam, nec consequi: quarum profecto necesse est nullum in iis vestigium reperiri, qui redemptionem generis humani, qui gratiam caelestem, qui sacramenta, adipiscendamque in caelis felicitatem pro ignotis aspernantur. — De officiis loquimur, quae a naturali honestate ducuntur. Mundi enim opifex idemque providus gubernator Deus: lex aeterna naturalem ordinem conservari iubens, perturbari vetans: ultimus hominum finis multo excelsior rebus humanis extra haec mundana hospitium constitutus: hi fontes, haec principia sunt totius iustitiae et honestatis. Ea si tollantur, quod Naturalistae idemque Massones solent, continuo iusti et iniusti scientia ubi consistat, et quo se tueatur, omnino non habebit. Et sane disciplina morum, quae Massonum familiae probatur unico, et qua informari adolescentem aetatem contendunt oportere, ea est quam et *civicam* nominant et *solutam ac liberam*: scilicet in qua opinio nulla sit religionis inclusa. At vero quam inops illa sit, quam firmitatis expertis, et ad omnem auram cupiditatum mobilis, satis ostenditur ex iis, qui partim iam apparent, poenitentis fructibus. Ubi enim regnare illa liberius

coepit, demota loco institutione christiana, ibi celeriter deperire probi integrique mores: opinionum tetra portenta convalescere: plenoque gradu audacia ascendere maleficiorum. Quod quidem vulgo conqueruntur et deplorant; idemque non pauci ex iis, qui minime vellent, perspicua veritate compulsi, haud raro testantur.

Praeterea, quoniam est hominum natura primi labe peccati inquinata, et ob hanc causam multo ad vitia quam ad virtutes propensior, hoc omnino ad honestatem requiritur, cohibere motus animi turbidos, et appetitus obedientes facere rationi. In quo certamine despicientia saepissime adhibenda est rerum humanarum, maximique exhauriendi labores ac molestiae, quo suum semper teneat ratio victrix principatum. Verum Naturalistae et Massones, nulla adhibita iis rebus fide, quas Deo auctore cognovimus, parentem generis humani negant deliquisse: proptereaque liberum arbitrium nihil *viribus attenuatum et inclinatum*¹ putant. Quin immo exaggerantes naturae virtutem et excellentiam, in eaque principium et normam iustitiae unice collocantes, ne cogitare quidem possunt, ad sedandos illius impetus regendosque appetitus assidua contentione et summa opus esse constantia. Ex quo videmus vulgo suppeditari hominibus illecebras multas cupiditatum: ephemerides commentariosque nulla nec temperantia nec verecundia: ludos scenicos ad licentiam insignes: argumenta artium ex iis, quas vocant *versimi*, legibus protervae quaesita: excogitata subtiliter vitae artificia delicatae et mollis: omnia denique conquisita voluptatum blandimenta, quibus sopita virtus conniveat. In quo flagitiose faciunt, sed sibi admodum constant, qui expectationem tollunt bo-

¹ Conc. Trid. Sess. VI, *De Justif.* c. 1.

norum caelestium, omnemque ad res mortales felicitatem abiciunt et quasi demergunt in terram. — Quae autem commemorata sunt, illud confirmare potest non tam re, quam dictu inopinatum. Cum enim hominibus versutis et callidis nemo fere soleat tam obnoxie servire, quam quorum est cupiditatum dominatu enervatus et fractus animus, reperti in secta Massonum sunt, qui edicerent ac proponerent, consilio et arte enitendum ut infinita vitiorum licentia exsaturaretur multitudo: hoc enim facto, in potestate sibi et arbitrio ad quaelibet audenda facile futuram.

Quod ad convictum attinet domesticum, his fere continetur omnis Naturalistarum disciplina. Matrimonium ad negotiorum contrahendorum pertinere genus: rescindi ad voluntatem eorum, qui contraxerint, iure posse: penes gubernatores rei civilis esse in maritale vinculum potestatem. In educandis liberis nihil de religione praecipiat ex certa destinataque sententia: integrum singulis esto, cum adoleverit aetas, quod maluerint sequi. — Atqui haec ipsa assentiuntur plane Massones: neque assentiuntur solum, sed iamdiu student in morem consuetudinemque deducere. Multis iam in regionibus, iisdemque catholici nominis, constitutum est ut, praeter coniunctas ritu civili, iustae ne habeantur nuptiae: alibi divortia fieri, lege licet: alibi, ut quamprimum liceat, datur opera. Ita ad illud festinat cursus, ut matrimonia in aliam naturam convertantur, hoc est in coniunctiones instabiles et fluxas, quas libido conglutinat, et eadem mutata dissolvat. — Summa autem conspiratione voluntatum illuc etiam spectat secta Massonum, ut institutionem ad se rapiat adolescentium. Mollem enim et flexibilem aetatem facile se posse sentiunt arbitrato suo fingere, et, quo velint, torquere:

eaque re nihil esse opportunus ad sobolem civium, qualem ipsi meditantur, talem reipublicae educandam. Quocirca in educatione doctrinaeque puerili nullas Ecclesiae ministris nec magisterii nec vigilantiae sinunt esse partes: pluribusque iam locis consecuti sunt, ut omnis sit penes viros laicos adolescentium institutio: itemque ut in mores informandos nihil admisceatur de iis, quae hominem iungunt Deo, permagnis sanctissimisque officiis.

Sequuntur civilis decreta prudentiae. Quo in genere statuunt Naturalistae, homines eodem esse iure omnes, et aequa ac pari in omnes partes conditione: unumquemque esse natura liberum: imperandi alteri lus habere neminem: velle autem, ut homines cuiusquam auctoritati pareant, aliunde quam ex ipsis quaesitae, id quidem esse vim inferre. Omnia igitur in libero populo esse: imperium iussu vel concessu populi teneri, ita quidem, ut, mutata voluntate populari, principes de gradu deici vel invitos liceat. Fontem omnium iurium officiorumque civilium vel in multitudine inesse, vel in potestate gubernante civitatem, eaque novissimis informata disciplinis. Praeterea atheam esse rempublicam oportere: in variis religionis formis nullam esse causam, cur alia alii anteponatur: eodem omnes loco habendas.

Haec autem ipsa Massonibus aequae placere, et ad hanc similitudinem atque exemplar velle eos constituere res publicas, plus est cognitum, quam ut demonstrari oporteat. Iamdiu quippe omnibus viribus atque opibus id aperte moliantur: et hoc ipso expediunt viam audacioribus non paucis ad peiora praecipitantibus, ut qui aequationem cogitant communionemque omnium bonorum, deleto ordinem et fortunarum in civitate discrimine.

Secta igitur Massonum quid sit, et quod iter affectet, ex his, quae summam attigimus, satis elucet. Praecipua ipsorum dogmata tam valde a ratione ac tam manifesto discrepant, ut nihil possit esse perversius. Religionem et Ecclesiam, quam Deus ipse condidit, idemque ad immortalitatem tuetur, velle demoliri, moresque et instituta ethnicorum duodeviginti saeculorum intervallo revocare, insignis stultitiae est impietatisque audacissimae. Neque illud vel horribile minus, vel levius ferendum, quod beneficia repudientur per Iesum Christum benigne parta, neque hominibus solum singulis, sed vel familia vel communitate civili consociatis; quae beneficia ipso habeantur inimicorum iudicio testimonioque maxima. In huiusmodi voluntate vesana et tetra recognosci propemodum videtur posse illud ipsum, quod Satanas in Iesum Christum ardet, inexpiabile odium ulciscendique libido. — Similiter illud alterum, quod Massones vehementer conantur, recti atque honesti praecipua fundamenta evertere, adiutoresque se praebere iis, qui more pecudum quodcumque libeat, idem licere vellent, nihil est aliud quam genus humanum cum ignominia et dedecore ad interitum impellere. — Augent vero malum ea, quae in societatem cum domesticam tum civilem intenduntur pericula. Quod enim alias exposuimus, inest in matrimonio sacrum et religiosum quiddam omnium fere et gentium et aetatum consensu: divina autem lege cautum esse, ne coniugia dirimi liceat. Ea si profana fiant, si distrahi liceat, consequatur in familia necesse est turba et confusio, excidentibus de dignitate feminis, incerta rerum suarum incolumitatisque sobole. — Curam vero de religione publice adhibere nullam, et in rebus civicis ordinandis, gerendis, Deum nihilo magis respicere, quam si omnino non esset,

temeritas est ipsis ethnicis inaudita; quorum in animo sensuque erat sic penitus affixa non solum opinio deorum, sed religionis publicae necessitas, ut inveniri urbem facilius sine solo, quam sine Deo posse arbitrentur. Revera humani generis societas, ad quam sumus natura facti, a Deo constituta est naturae parente: ab eoque tamquam a principio et fonte tota vis et perennitas manat innumerabilium, quibus illa abundat, bonorum, legitur quemadmodum singuli pie Deum sancteque colere ipsa naturae voce admonemur, propterea quod vitam et bona quae comitantur vitae a Deo accepimus, sic eandem ob causam populi et civitates. Idecirco qui solutam omni religionis officio civilem civitatem volunt, perspicuum est non iniuste solum, sed etiam indocte absurdeque facere. — Quod vero homines ad conjunctionem congregationemque civilem Dei voluntate nascuntur, et potestas imperandi vinculum est civilis societatis tam necessarium ut, eo sublato, illam repente dirumpi necesse sit, consequens est ut imperandi auctoritatem idem gignat, qui genuit societatem. Ex quo intelligitur, imperium in quo sit, quicumque is est, ministrum esse Dei. Quapropter, quatenus finis et natura societatis humanae postulant, legitimae potestati iusta praecipiente aequum est parere perinde ac numini omnia moderantis Dei: illudque in primis a veritate abhorret, in populi esse voluntate positum obedientiam, cum libitum fuerit, abicere. — Similiter, pares inter se homines esse universos, nemo dubitat, si genus et natura communis, si finis ultimus unicuique ad assequendum propositus, si ea, quae inde sponte fluunt, iura et officia spectentur. At vero quia ingenia omnium paria esse non possunt, et alius ab alio distat vel animi vel corporis viribus, plurimaeque

sunt morum, voluntatis, naturarum dissimilitudines, idcirco nihil tam est repugnans rationi, quam una velle comprehensione omnia complecti, et illam omnibus partibus expletam aequabilitatem ad vitae civilis instituta traducere. Quemadmodum perfectus corporis habitus ex diversorum existit iunctura et compositione membrorum, quae forma usuque differunt, compacta tamen et suis distributa locis complexionem efficiunt pulchram specie, firmam viribus, utilitate necessariam: ita in republica hominum quasi partium infinita propemodum est dissimilitudo: qui si habeantur pares, arbitriumque singuli suum sequantur, species erit civitatis nulla deformior: si vero dignitatis, studiorum, artium distinctis gradibus, apte ad commune bonum conspirent, bene constitutae civitatis imaginem referent congruentemque naturae.

Ceterum ex iis, quos commemoravimus, turbulentis erroribus, maximae sunt civitatibus extimescendae formidines. Nam sublato Dei metu legumque divinarum verecundia, despecta principum auctoritate, permessa probataque seditionum libidine, prociectis ad licentiam cupiditatibus popularibus, nullo nisi poenarum freno, necessario secutura est rerum omnium commutatio et eversio. Hanc immo commutationem eversionemque consulto meditantur, idque prae se ferunt, plurimi *Communistarum* et *Socialistarum* consociati greges: quorum coeptis alienam ne se dixerit secta Massonum, quae et consiliis eorum admodum favet, et summa sententiarum capita cum ipsis habet communia. Quod si nec continuo nec ubique ad extrema experiendo decurrunt, non ipsorum est disciplinae, non voluntati tribuendum, sed virtuti religionis divinae, quae extingui non potest, itemque saniori hominum parti, qui societatum elande-

stinorum recusantes servitutem, insanos earum conatus forti animo refutant.

Atque utinam omnes stirpem ex fructibus iudicarent, et malorum quae premunt, periculorum quae impendent, semen et initium agnoscerent! Res est cum hoste fallaci et dososo, qui serviens auribus populorum et principum, utrosque mollibus sententiis et assentatione cepit. — Insinuando sese ad viros principes simulatione amicitiae, hoc spectarunt Massones, illos ipsos habere ad opprimendum catholicum nomen socios et adiutores potentes; quibus quo maiores admoverent stimulos, perviaci calumniam Ecclesiam criminati sunt de potestate iribusque regis cum principibus invidiose contendere. His interim artibus quaesita securitate et audacia, plurimum pollere in regendis civitatibus coeperunt, ceterum parati imperiorum fundamenta quater, et insequi principes civitatis, insimulare, eicere, quoties facere secus in gubernando viderentur, quam illi maluissent. — Haud absimili modo populos assentando ludificati sunt. Libertatem prosperitatemque publicam pleno ore personantes, et per Ecclesiam Principesque summos stetisse, quominus ex iniqua servitute et egestate multitudo eriperetur, populo imposuerunt, eumque rerum novarum sollicitum siti in oppugnationem utriusque potestatis incitaverunt. Nihilominus tamen speratarum commoditatum maior est expectatio, quam veritas: immo vero peius oppressa plebs magnam partem iis ipsis carere cogitur miseriarum solatiis, quae, compositis ad christiana instituta rebus, facile et abunde reperire potuisset. Sed quotquot contra ordinem nituntur divina providentia constitutum, has dare solent superbiae poenas, ut ibi afflictam et miseram offendant fortunam, unde prosperam et ad vota fluentem temere expectavissent.

Ecclesia vero, quod homines obedire praecipue et maxime iubet summo omnium principi Deo, iniuria et falso putaretur aut civili invidere potestati, aut sibi quicquam de iure principum arrogare. Immo quod civili potestati aequum est reddere, id plane iudicio conscientiaeque officii decernit esse reddendum. Quod vero ab ipso Deo ius accessit imperandi, magna est ad civilem auctoritatem dignitatis accessio, et observantiae benevolentiaeque civium colligendae adiumentum non exiguum. Eadem amica pacis, altrix concordiae, materna omnes caritate complectitur; et iuvandis mortalibus unice intenta, iustitiam oportere docet cum clementia, imperium cum aequitate, leges cum moderatione coniungere: nullius ius violandum, ordini tranquillitque publicae servandum, inopiam miserorum, quam maxime fieri potest, privatim et publice sublevandam. *Sed propterea putant, ut verba usurpemus Augustini, vel putari volunt, christianam doctrinam utilitati non convenire reipublicae, quia volunt stare reipublicam firmitate virtutum, sed impunitate vitiorum*¹. — Quibus cognitis, hoc esset civili prudentiae admodum congruens, et incolumitati communi necessarium, principes et populos non cum Massonibus ad labefactandam Ecclesiam, sed cum Ecclesia ad frangendos Massonum impetus conspirare.

Ut cumque erit, in hoc tam gravi ac nimis iam pervagato malo Nostrarum est partium, Venerabiles Fratres, applicare animum ad quaerenda remedia. — Quia vero spem remedii optimam et firmissimam intelligimus esse in virtute sitam religionis divinae, quam tanto peius Massones oderunt, quando magis pertimescunt, ideo caput esse censemus saluberrimam istam adversus

¹ *Epist. CXXXVII, al. III ad Volusianum, c. V, n. 20.*

communem hostem advocatam adhibere virtutem. Itaque quaecumque romani Pontifices Decessores Nostri decreverunt inceptis et conatibus sectae Massonum impediendis: quaecumque aut deterrendi ab eiusmodi societatibus aut revocandi causa sanxerunt, omnia Nos et singula rata habemus atque auctoritate Nostra Apostolica confirmamus. In quo quidem plurimum voluntate christianorum confisi, per salutem singulos suam precamur quaesumusque, ut religioni habeant vel minimum ab his discedere, quae hac de re Sedes Apostolica praeceperit.

Vos autem, Venerabiles Fratres, rogamus, flagitamus, ut collata Nobiscum opera, extirpare impuram hanc luem quae serpit per omnes reipublicae venas, enixe studeatis. Tuenda Vobis est gloria Dei, salus proximorum: quibus rebus in dimicando propositis, non animus Vos, non fortitudo deficit. Erit prudentiae vestrae iudicare, quibus potissimum rationibus ea, quae obstant et impediunt, eluctanda videantur. — Sed quoniam pro auctoritate officii Nostri par est probabilem aliquam rei gerendae rationem Nosmetipsos demonstrare, sic statuite, primum omnium reddendam Massonibus esse suam, dempta persona, faciem: populosque sermone et datis etiam in id Litteris episcopalibus edocendos, quae sint societatum eius generis in blandiendo alliciendoque artificia, et in opinionibus pravitas, et in actionibus turpitudine. Quod pluries Decessores Nostri confirmarunt, nomen sectae Massonum dare nemo sibi quapiam de causa licere putet, si catholica professio et salus sua tanti apud eum sit, quanti esse debet. Ne quem honestas assimilata decipiat: potest enim quibusdam videri, nihil postulare Massones, quod aperte sit religionis morumve sanctitati contrarium: verumta-

men quia sectae ipsius tota in vitio flagitioque est et ratio et causa, congregare se cum eis eosve quoquo modo iuvare, rectum est non licere.

Deinde assiduitate dicendi hortandique pertrahere multitudinem oportet ad praecepta religionis diligenter addiscenda: cuius rei gratia valde suademus ut scriptis et concionibus tempestivis elementa rerum sanctissimarum explanentur, quibus christiana philosophia continetur. Quod illuc pertinet, ut mentes hominum eruditione sanentur et contra multiplices errorum formas et varia invitamenta vitiorum muniantur in hac praesertim et scribendi licentia et inexhausta aviditate discendi. — Magnum sane opus: in quo tamen particeps et socius laborum vestrorum praecipue futurus est Clerus, si fuerit, Vobis admittentibus, a disciplina vitae, a scientia litterarum probe instructus. Verum tam honesta causa tamque gravis advocatam desiderat industriam virorum laicorum, qui religionis et patriae caritatem cum probitate doctrinaque coniungant, Consociatis utriusque ordinis viribus, date operam, Venerabiles Fratres, ut Ecclesiam penitus et cognoscant homines et caram habeant: eius enim quanto cognitio fuerit amorque maior, tanto futurum maius est societatum clandestinarum fastidium et fuga. — Quocirca non sine causa idoneam hanc occasionem nacti, renovamus illud quod alias exposuimus, Ordinem Tertium Franciscalum, cuius paulo ante temperavimus prudenti lenitate disciplinam, perquam studiose propagare tuerique oportere. Eius enim, ut est ab auctore suo constitutus, haec tota est ratio, vocare homines ad imitationem Iesu Christi, ad amorem Ecclesiae, ad omnia virtutum christianarum officia: proptereaque multum posse debet ad societatum nequissimarum suppressendam contagionem. Novetur itaque quotidianis

incrementis isthaec sancta sodalitas, unde cum multi expectari possunt fructus, tum ille egregius, ut traducantur animi ad libertatem, ad fraternitatem, ad aequalitatem iuris: non qualia Massones absurde cogitant, sed qualia et Iesus Christus humano generi comparavit et Franciscus secutus est. Libertatem dicimus *filiorum Dei*, per quam nec Satanæ, nec cupiditatibus, improbisimis dominis, serviamus: fraternitatem, cuius in Deo communi omnium procreatore et parente consistat origo: aequalitatem, quæ iustitiæ caritatisque constituta fundamentis non omnia tollat inter homines discrimina, sed ex vitæ, officiorum, studiorumque varietate mirum illum consensum efficiat et quasi concentum, qui natura ad utilitatem pertinet dignitatemque civilem.

Tertio loco una quaedam res est, a maioribus sapienter instituta, eademque temporum cursu intermissa, quæ tamquam exemplar et forma ad simile aliquid valere in præsentia potest. — Scholas seu collegia opificum intelligimus, rebus simul et moribus, duce religione, tutandis. Quorum collegiorum utilitatem si maiores nostri diuturni temporis usu et periclitatione senserunt, sentiet fortasse magis aetas nostra, propterea quod singularem habent ad elidendas sectarum vires opportunitatem. Qui mercede, manuum inopiam tolerant, præterquam quod ipsa eorum conditione uni ex omnibus sunt caritate solatioque dignissimi, maxime præterea patēt illecebris grassantium per fraudes et dolos. Quare iuvandi sunt maiore qua potest benignitate, et invitandi ad societates honestas, ne pertrahantur ad turpes. Huius rei causa collegia illa magnopere vellemus auspiciis patrocinioque Episcoporum convenienter temporibus ad salutem plebis passim restituta. Nec mediocriter Nos delectat, quod pluribus iam locis sodalitates eiusmodi, itemque cœtus

patronorum constituti sint: quibus propositum utrisque est honestam proletariorum classem iuvare, eorum liberos, familias, praesidio et custodia tegere, in eisque pietatis studia, religionis doctrinam, cum integritate morum tueri. — In quo genere silere hoc loco nolumus illam spectaculo exemploque insignem, de populo inferioris ordinis tam præclare meritam societatem, quæ a Vincentio patre nominatur. Cognitum est quid agat, quid velit: scilicet tota in hoc est, ut egentibus et calamitosis suppetias eat ultro, idque sagacitate modestaque mirabili: quæ quo minus videri vult, eo est ad caritatem christianam melior, ad miseriarum levamen opportunior.

Quarto loco, quo facilius id quod volumus assequamur, fidei vigiliæque vestrae maiorem in modum commendamus iuventutem, ut quæ spes est societatis humanæ. — Partem curarum vestrarum in eius institutione maximam ponite: nec providentiam putetis ullam fore tantam, quin sit adhibenda maior, ut iis adolescens aetas prohibeatur et scholis et magistris, unde pestilens sectarum afflatus metuatur. Parentes, magistri pietatis, Curiones inter christianæ doctrinæ præceptiones insistant, Vobis auctoribus, opportune commoneare liberos et alumnos de eiusmodi societatum flagitiosa natura, et ut mature cavere discant artes fraudulentas et varias, quas earum propagatores usurpare ad illaqueandos homines consueverunt. Immo qui adolescentulos ad sacra percipienda ritè erudiunt, non inepte fecerint, si adducant singulos ut statuant ac recipiant, inscientibus parentibus, aut non auctore vel Curione vel conscientiae iudice, nulla se unquam societate obligaturos.

Verum probe intelligimus, communes labores nostros evellendis his agro Dominico perniciosis seminibus haud-

quaquam pares futuros, nisi caelestis Dominus vineae ad id quod intendimus benigne adiuverit. — Igitur eius opem auxiliumque implorare necesse est studio vehementi ac sollicito, quale et quantum vis periculi et magnitudo necessitatis requirunt. Effert se insolenter, successu gestiens, secta Massonum, nec ullum iam videtur pertinaciae factura modum. Asseclae eius universi nefario quodam foedere et occulta consiliorum communitate iuncti operam sibi mutuam tribuunt, et alteri alteros ad rerum malarum excitant audaciam. Oppugnatio tam vehemens propugnationem postulat parem: nimirum boni omnes amplissimam quamdam coeant opus est et agendi societatem et praecandi. Ab eis itaque petimus, ut concordibus animis contra progredientem sectarum vim conferti immotique consistant: iidemque multum gementes tendant Deo manus supplices, ab eoque contendant, ut christianum floreat vigeatque nomen: necessaria libertate Ecclesia potiatur: redeant ad sanitatem devii: errores veritati, vitia virtuti aliquando concedant. — Adutricem et interpretem adhibeamus MARIAM Virginem Matrem Dei, ut quae a conceptu ipso Satanam vicit, eadem se impertiat improbarum sectarum potentem, in quibus perspicuum est contumaces illos mali daemone spiritus cum indomita perfidia et simulatione reviviscere. — Obtestemur principem Angelorum caelestium, depulsorem hostium infernorum, MICHAELM: item IOSEPHUM Virginis sanctissimae sponsum, Ecclesiae catholicae patronum caelestem salutarem: PETRUM et PAULUM Apostolos magnos, fidei christianae satores et vindices invictos. Horum patrocinio et communium perseverantia praecum futurum confidimus, ut coniecto in tot discrimina hominum generi opportune Deus benigneque succurrat.

Caelestium vero munerum et benevolentiae Nostrae testem Vobis, Venerabiles Fratres, Clero populoque universo vigilantiae vestrae commisso Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xx Aprilis An. MDCCCLXXXIV, Pontificatus Nostri Anno Septimo. — LEO PP. XIII.

LIII.

S. Officii instructio ad omnes catholici orbis Episcopos de secta Massonum. — 10 Maii 1884.

Ad gravissima avertenda mala, a *Massonum* secta alisque ex ea prognatis in Ecclesiam et in omnes civium ordines illata, Sanctissimus Dominus Noster Leo XIII sapienti prorsus consilio Encyclicas Litteras *Humanum genus* ad omnes catholici orbis Episcopos nuperrime dedit. Quibus Litteris earundem sectarum doctrinas, finem, consilia detegit, curas Romanorum Pontificum liberandae a tam nefaria peste humanae familiae enarrat, easdem sectas iterum et Ipse damnationis et censurae nota inurit, simulque docet, qua ratione, et quibus armis sit contra illas dimicandum, quibusque remediis, illatis ab iisdem vulneribus sit medendum. At cum Sanctitati Suae perspectum sit, tum demum ex curis suis uberes fructus sperandos esse, cum in rem tanti momenti omnium Ecclesiae Pastorum opera, consilia, labores unanimi nisu conferantur, mandavit huic Supremae Congregationi S. Romanae et Universalis Inquisitionis, ut quae agenda ipsis Pastoribus potissimum essent, apte eisdem proponeret. Quibus

Summi Pontificis mandatis uti par est Eminentissimi Patres una mecum Inquisitores Generales morem gerentes, omnibus Episcopis aliisque locorum Ordinariis hanc Instructionem dandam esse censuerunt.

1.^o Imprimis peroptans clementissimus Pontifex animarum saluti prospicere, vestigia sequutus Salvatoris nostri Iesu Christi, qui non venit vocare iustos sed peccatores ad poenitentiam, paterna voce eos omnes qui Massonicae aliisque damnatis sectis nomen dedere, ad detergendas animae sordes et ad divinae misericordiae sinum peramanter invitat. In hunc finem eadem usus benignitate, qua eius Decessor Leo XII, ad integram anni spatium post rite vulgatas supra memoratas Apostolicas Litteras in unaquaque dioecesi, suspendit tum obligationem denunciandi earundem sectarum occultos coryphaeos et duces, tum etiam reservationem censurarum, in quas inciderunt; et facultatem concedit omnibus confessariis ab Ordinariis locorum adprobat, ut eos qui vere resipuerint, et sectas deseruerint, ab iisdem censuris absolvere, et Ecclesiae reconciliare valeant. Erit igitur sacerorum Praesulum hanc Pontificis Maximi benignitatem fidelibus suae fidei concreditis nuntiare. Facerent autem rem pastorali sua sedulitate dignam, si hoc vertente anno, quem clementiae peculiari modo addictum vult Pontifex, sacris exercitationibus, Missionum in morem, oves suas ad aeternas veritates meditandas, et spiritum rectum innovandum excitarent.

2.^o Mens porro est eiusdem Sanctitatis Suae, ut Encyclicae Litterae quam diligentissime evulgentur, quo facilius omnes christifideles intelligant, quam dirum inter eos venenum serpat, quantaque eos eorumque prolem pernicijs maneat, nisi tempestive sibi caveant.

Tum sollertissima et impensissima opera danda erit, ut remedia tam quae a Pontifice proponuntur, quam quae propria cuiusque prudentia suaserit, adhibeantur. — Primum omnium excitare in hanc rem oportet industriam sedulitatemque parochorum; deinde adsciscenda generatim eorum opera est, quibus a bonorum omnium largitore Deo facultas dicendi aut scribendi tributa est, vel quibus divini verbi annuntiandi vel christianae plebis a culpis expiandae, vel etiam iuventutis instituendae cura demandata fuerit, ut et ipsi labores suos conferant ad detegenda Massonum, aliarumque damnatarum societatum impia placita et infanda molimina, et ad reducendos in viam salutis eos, qui sive temere et incaute, sive consulto et cogitato ad eas accesserint, atque ad illos praemonendos, qui nondum in earum laqueos inciderunt.

3.^o Ne quis vero erroris locus fiat, cum diudicandum erit, quanam ex his perniciosis sectis censurae, quae vero prohibitioni tantum obnoxiae sint, certum imprimis est, excommunicatione latae sententiae multari Massonicam aliasque eius generis sectas quae capite 2. n. IV. Pontificiae Constitutionis *Apostolicae Sedis* designantur, quaeque contra Ecclesiam vel legitimas potestates machinantur, sive id clam sive palam fecerint, sive exegerint, sive non, a suis asseclis secreti servandi iuramentum.

4.^o Praeter istas sunt et aliae sectae prohibitae atque sub gravi culpa reatu vitandae, inter quas praecipue recensendae illae omnes, quae a sectatoribus secretum nemini pandendum, et omnimodam obedientiam occultis ducibus praestandam iureiurando exigunt. Animadvertendum insuper est, adesse nonnullas societates, quae licet certo statui nequeat, pertineant necne

ad has, quas memoravimus, dubiae tamen et periculi plenae sunt, tum ob doctrinas quas profitentur, tum ob agendi rationem quam sequuntur ii, quibus ducibus ipsae coaluerunt et reguntur. Ab his etiam Sacrorum Antistites, quibus germana Christi fides et morum integritas maximae curae esse debet, noverint oves suas deterrendas et arcendas esse, et eo quidem diligentius, quod, ob servatam ab iisdem quandam honestatis speciem, corruptelae periculum, quod in ipsis latet, difficilias a simplicibus praesertim hominibus et adolescentibus persentiri et praecaveri poterit.

5.^o Rem proinde facient sacri Pastores suis ovibus apprimè utilem et Sanctitati Suae pericundam, si praeter commune et usitatum concionandi genus, quod omnino retinendum est, illud adiungent, quod defendendis catholicis veritatibus adhiberi solet, et aptissimum est profigandis erroribus, quos latius et maximo cum animarum detrimento hodie disseminari Apostolicae Litterae *Humanum genus* deplorant. Quod quidem concionandi genus tum erit christianae plebi saluberimum, cum, refutatis erroribus, christianae doctrinae vim, praestantiam et utilitatem dilucide et ordine explanabit, et amorem erga catholicam Ecclesiam, quae eandem doctrinam integram incorruptamque servat, in animis auditorum excitabit.

6.^o Cum vero vaferrimis sectarum artibus fraudibusque adolescentes, pauperes artifices et operarii facilius allici et capi soleant, ad hos etiam peculiare curae sunt convertendae. Atque ad iuventutem quod attinet, admittendum summopere est, ut a teneris annis tam intra domesticos parietes, quam in templis et in scholis ad christianam fidem, christianosque mores accurate informetur, et mature doceatur, qua ratione

sibi ab insidiis tenebricosarum sectarum cavere debeat, ne si in earum laqueos inciderit, sit ipsi imposterum tam iniquis dominis maximo cum aeternae salutis et humanae dignitatis detrimento turpissime servendum. Juvenum incolumitati perbene consultum erit, si ex iis conflatae fuerint societates, quae a Beatissima Virgine aliove caelesti Patrono nomen sumpserint. In his coetibus veluti in palaestris, si praesertim iis praeficiantur Sacerdotes laicique homines sapientia et dexteritate praestantes, adolescentes animum sument virtutibus colendis, et religioni aperto ore, contemptis impiorum irrisionibus, profitendae, simulque assuescent horrere quidquid a catholica veritate et sanctitate alienum sit.

7.^o Perutile etiam est, hinc patres, illinc matres-familias fraterno foedere coniungere eum in finem, ut viribus unitis aeternae propriae sobolis saluti rectaeque institutioni aptius studere, et efficacius consulere possint. Plures huius generis consociationes huc illuc inductae sunt, sive de viris, sive de feminis agatur, quae Caecitis alicuius tutelae sese commiserunt, et lactissimos religionis ac pietatis fructus edunt.

8.^o De *artificibus* autem et *operariis*, inter quos potissimum delectus haberi solet ab iis, quibus vel ipsa religionis et societatis fundamenta convellere propositum est, ponant sibi ante oculos Sacrorum Antistites prisca illa collegia fabrum, vel artificum universitates aut sodalitates, quae adscito sibi caelesti Patrono anteactis temporibus praeclaro fuerunt civitatibus ornameto, et artibus sive politioribus sive humilioribus incremento. Hos aliosque coetus ex iis etiam hominibus qui mercaturae negotiis vel humanioribus disciplinis sese dederunt, iterum excitabunt, in quos qui coiverint religionis officia sedulo edocebuntur et obibunt, et una

simul in humanis necessitatibus, quas ferre aut corporis aegritudo aut senium aut paupertas solet, mutuo sibi sint auxilio. Qui his coetibus praesunt, sedulo advigilabunt, ut socii morum probitate, operum affabre effingendorum peritia, laborum ferendorum docilitate et assiduitate maxime commendentur, quo facilius, quae ad vitam sunt necessaria, sibi parare queant. Nec detrectabunt fidem Antistites huiusmodi societatibus advigilare, leges proponere aut adprobare, gratiam divitum conciliare, patrocinio suo eas prosequi, ope iuvare.

9.^o Neque peculiarem eorum curam fugiet mirabilis illa *praeum et operum societas*, quae nonnullis in locis nata, in aliis iam adolescere coepit. Curandum summo studio est, ut in hanc adscribantur quotquot recte de religione sentiunt. Nam cum ei propositum sit, generali quadam animorum consensione, in universa qua late patet catholica Ecclesia, religionis ac pietatis opera fovere et amplificare, divinaeque indignationi placandae assidue studere, facile intelligitur quantae ea miseris haece temporibus futura sit utilitati. Ex precandi autem formulis eam Episcopi commendabunt maxime, quae a Deiparae Rosario nomen habet, quamque tamquam praestantissimam amplissimis laudibus haud ita pridem Sanctissimus Dominus Noster prosequutus est et impensissime inculcavit. Inter opera vero pietatis ea eligant, quae obiri ab his solent qui *tertium* S. Francisci *Ordinem* profitentur, inter quos sicut et inter sodales S. Vincentii a Paulo vel Marianos, quo plures fieri poterit conscribendos curabunt, ut praeclarissima opera, quae tanto cum catholici orbis plausu et animarum fructu ab iisdem peraguntur, latius in dies manent.

10.^o Optimum denique factu esset, si ubi id locorum et personarum adiuncta siverint, catholicae scien-

tiarum Academiae excitarentur, illique peritiles conventus seu *Congressus*, uti vocant, haberentur, ad quos unius vel plurium regionum lectissimi homines deputarentur, eosque praesentia sua Sacrorum Antistites honestare non dedignarentur, ut simul consilia rei catholicae provehendae sub eorum auspiciis iniri et quae tum huic tum publicae utilitati magis conferunt, statui possent. Neque abs re esset si, qui sibi provinciam depoposcerunt assiduis scriptis et lucubrationibus defendendi Dei et Ecclesiae iura, et recidendi novos qui in dies subolescunt errores et cavillationes, sociato agmine, Episcopis ducibus, dimicarent. Fieri enim non potest, quin, si vires omnes, quae vividae adhuc, Deo opitulante, in Ecclesia vigent valentque, in idem consenserint, uberrimi referantur fructus ad hodiernam hominum societatem ab exitiali iniquarum sectarum contagione vindicandam, et in Christi libertatem asserendam.

11.^o Quae hactenus proposita sunt, haud ita facile optatum finem assequentur, nisi vires uniantur, ac proinde nisi Archiepiscopi cum suis Suffraganeis una consuluerint et statuerint, quid facto opus sit, ut Supremae Pastoris desideriis obsecundetur. Cuius, sicut et Supremae huic Congregationis in votis est, ut eorum singuli quantocius renuntient, et imposterum quoties statum describent dioeceseon, referre ne praetermittant, quid quisque vel singillatim vel una cum suis in Episcopatu collegis egerint, et quem exitum eorum studia sortita fuerint.

Datum Romae ex Cancellaria Sancti Officii die 10 Maii 1884. — Raphael Card. Monaco.

LIV.

S. Congr. Concilii epistola « Quamvis » ad omnes Ordinarios, circa clericos inhiantes titulos honoris et insignia. — 16 Sept. 1884.

Perillustri ac Romæ Dñe vti Frater. — Quamvis Ecclesiasticos Viros maxime deceat humanos honores non quaerere, sed de benefactis retributionem a Domino unice expectare, consuevere tamen Ecclesiae Praesules titulis, dignitatibus, aliisque honoris signis eos decorare, qui, prae cæteris, de re christiana meruerunt: dum enim praestantiores honorantur, virtutem ac scientiam in magno pretio esse habendas ostenditur, et insimul desides ad currendam viam Domini excitantur.

Ast non raro evenit, veluti nonnulli Episcopi con-questi sunt, ut dum Sacerdotes, aetate ac omni virtutum genere venerandi, amant nesciri et pro nihilo reputari, iuniores et qui parum adhuc aut nihil in Ecclesiae bonum contulerunt, dignitates appetant, insignia titulosque inhiant. Et ubi nulla spes illis arrideat haec omnia apud suos obtinere, externos circumvent Pastores, qui aliquando decepti eorum vota facile excipiunt. Quo saepissime accidit, ut miseri isti in propria Diocesi, inscio Ordinario, et omnibus admirantibus, vel irridentibus, se alienis vestibus indutos exhibeant, seque novis titulis praeditos iactent, et ita meliores despiciant.

Porro Eminentissimi Patres Tridentini Iuris interpretes ac vindices, dum acerbe deplorant, quod sensus Christi de die in diem in quibusdam evanescat, confidunt Amplitudinem Tuam nil intentatum relicturam, ut

omnes de Clero Tibi concredito, aemulentur charismata meliora, terrena despiciant, ament coelestia, et nonnisi in Cruce D. N. Iesu Christi glorientur.

Ne vero in posterum et dignioribus iniuria fiat, et honores ecclesiastici vilescant, ipsi Eminentissimi Patres, Sanctissimi mandata exequentes, auctores Tibi sunt, ut raro admodum et caute honoris titulos vel insignia Clericis tuis impertias, sed probatissimis tantum et optime de Ecclesia meritis; Clericis vero alienis nullum unquam conferas honoris signum aut titulum, inscio et invito Ordinario, cuius potestati subduntur.

Haec dum Tibi nomine huius S. C. significo, impensum animi mei studium profiteor Amplitudini Tuae, cui fausta quaeque ac salutaria precor a Domino.

Romae, 16 Septembris 1884.

LV.

S. Congr. de Prop. Fide instructio de Suspensionibus ex informata conscientia. — 20 Octob. 1884.

Omni tempore sollicita fuit Ecclesia ut non solum ascensus ad sacros Ordines interdiceretur indignis, verum etiam ab eorumdem exercitio criminosi suspensi manerent.

Cum autem occultorum quoque criminum, quaeque proderi non expediret, facilis et prompta, nempe a iudicialiis formis libera, coercitio aliquando necessaria sit ad sacri ministerii dignitatem et fidelium utilitatem tuendam; hinc sapientissimo consilio Tridentini Patres (Sess. XIV. cap. 1. de Ref.) decreverunt: « Ei, cui ascensus ad sacros Ordines a suo Praelato ex quacunque causa, etiam ob occultum crimen, quomodolibet,

LIV.

S. Congr. Concilii epistola « Quamvis » ad omnes Ordinarios, circa clericos inhiantes titulos honoris et insignia. — 16 Sept. 1884.

Perillustri ac Romæ Dñe vti Frater. — Quamvis Ecclesiasticos Viros maxime deceat humanos honores non quaerere, sed de benefactis retributionem a Domino unice expectare, consuevere tamen Ecclesiae Praesules titulis, dignitatibus, aliisque honoris signis eos decorare, qui, prae cæteris, de re christiana meruerunt: dum enim praestantiores honorantur, virtutem ac scientiam in magno pretio esse habendas ostenditur, et insimul desides ad currendam viam Domini excitantur.

Ast non raro evenit, veluti nonnulli Episcopi con-questi sunt, ut dum Sacerdotes, aetate ac omni virtutum genere venerandi, amant nesciri et pro nihilo reputari, iuniores et qui parum adhuc aut nihil in Ecclesiae bonum contulerunt, dignitates appetant, insignia titulosque inhiant. Et ubi nulla spes illis arrideat haec omnia apud suos obtinere, externos circumvent Pastores, qui aliquando decepti eorum vota facile excipiunt. Quo saepissime accidit, ut miseri isti in propria Diocesi, inscio Ordinario, et omnibus admirantibus, vel irridentibus, se alienis vestibus indutos exhibeant, seque novis titulis praeditos iactent, et ita meliores despiciant.

Porro Eminentissimi Patres Tridentini Iuris interpretes ac vindices, dum acerbe deplorant, quod sensus Christi de die in diem in quibusdam evanescat, confidunt Amplitudinem Tuam nil intentatum relicturam, ut

omnes de Clero Tibi concredito, aemulentur charismata meliora, terrena despiciant, ament coelestia, et nonnisi in Cruce D. N. Iesu Christi glorientur.

Ne vero in posterum et dignioribus iniuria fiat, et honores ecclesiastici vilescant, ipsi Eminentissimi Patres, Sanctissimi mandata exequentes, auctores Tibi sunt, ut raro admodum et caute honoris titulos vel insignia Clericis tuis impertias, sed probatissimis tantum et optime de Ecclesia meritis; Clericis vero alienis nullum unquam conferas honoris signum aut titulum, inscio et invito Ordinario, cuius potestati subduntur.

Haec dum Tibi nomine huius S. C. significo, impensum animi mei studium profiteor Amplitudini Tuae, cui fausta quaeque ac salutaria precor a Domino.

Romae, 16 Septembris 1884.

LV.

S. Congr. de Prop. Fide instructio de Suspensionibus ex informata conscientia. — 20 Octob. 1884.

Omni tempore sollicita fuit Ecclesia ut non solum ascensus ad sacros Ordines interdicteretur indignis, verum etiam ab eorumdem exercitio criminosi suspensi manerent.

Cum autem occultorum quoque criminum, quaeque proderi non expediret, facilis et prompta, nempe a iudicialiis formis libera, coercitio aliquando necessaria sit ad sacri ministerii dignitatem et fidelium utilitatem tuendam; hinc sapientissimo consilio Tridentini Patres (Sess. XIV. cap. 1. de Ref.) decreverunt: « Ei, cui ascensus ad sacros Ordines a suo Praelato ex quacumque causa, etiam ob occultum crimen, quomodolibet,

etiam extrajudicialiter, fuerit interdictus, aut qui a suis ordinibus seu gradibus vel dignitatibus ecclesiasticis fuerit suspensus, nulla contra ipsius Praelati voluntatem concessa licentia de se promoveri faciendo, aut ad priores ordines, gradus et dignitates sive honores restitutio suffragetur. »

Ex hoc provido decreto, in eo quod refertur ad clericorum crimina, quae extrajudicialem suspensionem ab ecclesiasticis officiis merentur, iamdudum in usu fuit suspensionis poena ex causis Praelato notis; quae nempe audit *Suspensio ex informata conscientia*. Ad hoc itaque ut in eadem infligenda, cum maiori qua potest cautela et securitate Ordinarii catholicarum Missionum procedant, S. Congregatio de Propaganda Fide praesentem instructionem edendam censuit, cui iidem Ordinarii in adhibendo hoc extraordinario remedio sese conformare curabunt.

1. *Suspensio ex informata conscientia*, non secus ac illa quae per iudicalem sententiam infligitur, personam ecclesiasticam a suis ordinibus, seu gradibus, vel dignitatibus ecclesiasticis exercendis interdicat.

2. In hoc praecipue ipsa differt a iudiciali suspensione, quod adhibetur tamquam extraordinarium remedium in poenam admissi criminis; ideoque ad eiusmodi impositionem non requiruntur nec formae iudiciales, nec canonicae admonitiones. Satis erit proinde, si Praelatus hanc poenam infligens, simplici utatur praecepto, quo declaret se suspensionem ab exercitio sacrorum officiorum vel ecclesiasticorum munium indicere.

3. Huiusmodi praeceptum semper in scriptis intimandum est, die et mense designato; ideoque autem fieri debet vel ab ipso Ordinario, vel ab alia persona de expresso ipsius mandato. In eadem tamen intima-

tione exprimendum est, quod eiusmodi punitio irrogatur in vim Tridentini Decreti Sess. XIV. cap. 1. de Ref. ex informata conscientia, vel ex causis ipsi Ordinario notis.

4. Debent insuper exprimi partes exercitii Ordinis, vel officii, ad quas extenditur suspensio; quod si suspensus interdictus sit ab officio, cui alter in locum ipsius substituendus est, ut puta Oeconomus in cura animarum, tunc substitutus mercedem percipiet ex fructibus beneficii in ea portione, quae iuxta prudens Ordinarium arbitrium taxabitur. At si suspensus in hac taxatione se gravatum senserit, moderationem provocare poterit apud Curiam Archiepiscopalem, aut etiam apud Sedem Apostolicam.

5. Exprimi item debet tempus durationis eiusdem poenae. Abstineant tamen Ordinarii ab ipsa infligenda in perpetuum. Quod si ob graviore causas Ordinarius censuerit eam imponere non ad tempus determinatum, sed ad suum beneplacitum, tunc ipsa habetur pro temporanea, ideoque cessabit cum iurisdictione Ordinarii suspensionem infligentis.

6. *Suspensionem ex informata conscientia* iustam ac legitimam causam praebet crimen, seu culpa a suspensio commissa. Haec autem debet esse occulta, et ita gravis, ut talem promeretur punitioem.

7. Ad hoc autem ut sit occulta requiritur, ut neque in iudicium, neque in rumores vulgi deducta sit, neque insuper eiusmodi numero et qualitate personarum cognita sit, unde delictum censeri debeat notorium.

8. Verum tenet etiam suspensio si ex pluribus delictis aliquod fuerit notum in vulgus; aut si crimen, quod ante suspensionem fuerat occultum, deinceps post ipsam fuerit ab aliis evulgatum.

9. Prudenti arbitrio Praelatorum relinquitur suspensionis causam, seu ipsam culpam delinquenti aut patrefacere, aut reticere. Partes alioquin pastoralis sollicitudinis et charitatis eorumdem erunt, ut si istiusmodi poenam suspensio manifestare censuerint, ipsa ex paternis, quas interponent, monitionibus, nedum ad expiationem culpae, verum etiam ad emendationem delinquentis, et ad occasionem peccandi eliminandam inserviant.

10. Meminerint vero Praesules, quod si contra decretum, quo irrogata fuit suspensio, promoveatur recursus ad Apostolicam Sedem, tunc apud ipsam comprobari debet culpa, quae eidem praebuit occasionem. Consultum ideo erit, ut antequam haec poena infligatur, probationes illius quantumvis extraiudicialiter et secreto colligantur; ita ut eo ipso, quod cum omni certitudine culpabilitatis in punitione inferenda proceditur, si deinceps causa examinanda est apud Apostolicam Sedem, probationes criminis in eas difficultates haud impingant, quae ut plurimum occurrunt in istiusmodi iudiciis.

11. A decreto suspensionis ex informata conscientia non datur appellatio ad tribunal superioris ordinis. Postquam ideo clericus intimationem suspensionis habuerit, si nihilominus appellationem interponere, eiusque obtentu in altari ministrare, seu quovis modo suum ordinem solemniter exercere praesumat, statim incidit in irregularitatem.

12. Semper tamen patet aditus ad Apostolicam Sedem; et in casu quo clericus absque sufficienti ac rationabili causa se hac poena mulctatum reputet, recurrere poterit ad Summum Pontificem, Interim tamen in vigore permanet decretum suspensionis, usque dum

ab ipso Pontifice, vel a S. Congregatione, quae de recursu iudicare debet, non fuerit rescissum aut etiam moderatum.

13. Ceterum ex quo istiusmodi poena est remedium omnino extraordinarium, quod praesertim ad expiationem criminum absque formis iudicialibus adhibetur, prae oculis habeant Praelati id quod sapientissime admonet Summus Pontifex s. m. Benedictus XIV in suo tractatu *de Synodo Dioecesis*. l. XII. cap. 8 n. 6, quod nimirum reprehensibilis foret Episcopus, si in sua Synodo declararet, se deinceps ex privata tantum scientia cum poena suspensionis a divinis animadversurum in clericis, quos graviter deliquisse compererit, quamvis eorum delictum non possit in foro externo concludenter probari, aut illud non expediat in aliorum notitiam deducere.

Romae ex Aedibus S. Congr. de Prop. Fide die 20 Octobris 1884.

LVI.

Encycl. S. Officii circa cap. « Cogentes » Const. « Apostolicae Sedis ». — 23 Jan. 1886.

In Constitutione Pii IX s. m. quae incipit *Apostolicae Sedis moderationi*, IV. id. Oct. 1869, cautum est, excommunicationem Romano Pontifici reservatam speciali modo incurrere, « *Cogentes sive directe sive indirecte iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal « personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones: « item adentes leges vel decreta contra libertatem et iura « Ecclesiae ».*

Cum de vero sensu et intelligentia huius capituli

saepe dubitatum fuerit, haec Suprema Congregatio S. Romanae et Universalis Inquisitionis non semel declaravit - caput *Cogentes* non officere nisi legislatores et alias auctoritates cogentes sive directe sive indirecte iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones. — Hanc vero declarationem Sanctissimus D. N. Leo Papa XIII probavit et confirmavit; ideoque S. haec Congregatio illam cum omnibus locorum Ordinariis pro norma communicandam esse censuit.

Ceterum in iis locis in quibus fori privilegio per Summos Pontifices derogatum non fuit, si in eis non datur iura sua persequi nisi apud iudices laicos, tenentur singuli prius a proprio ipsorum Ordinatio veniam petere ut clericos in forum laicorum convenire possint: eamque Ordinarii nunquam denegabunt tum maxime, cum ipsi controversiis inter partes conciliandis frustra operam dederint. Episcopos autem in id forum convenire absque venia Sedis Apostolicae non licet. Et si quis ausus fuerit trahere ad iudicem sen iudices laicos vel clericum sine venia Ordinarii, vel Episcopum sine venia S. Sedis, in potestate eorundem Ordinariorum erit in eum, praesertim si fuerit clericus, animadvertere poenis et censuris ferendae sententiae uti violatorem privilegii fori, si id expedire in Domino iudicaverint.

LVII.

Sancti Officii declaratio circa cremationem cadaverum.
— 19 Maii 1886.

Non pauci Sacrorum Antistites cordatique Christianifideles, animadvertentes ab hominibus vel dubiae fidei, vel massonicae sectae addictis magno nisu hodie contendendi, ut ethnicorum usus de hominum cadaveribus comburendis instauretur, atque in hunc finem speciales etiam societates ab iisdem institui: veriti, ne eorum artibus et cavillationibus fidelium mentes capiantur, et sensim in eis imminuatur existimatio et reverentia erga christianam constantem et solemnibus ritibus ab Ecclesia consecratam consuetudinem fidelium corpora humandi: ut aliqua certa norma iisdem fidelibus praesto sit, qua sibi a memoratis insidiis caveant; a Suprema S. Rom. et Univ. Inquisitionis Congregatione declarari postularunt:

1.^o An licitum sit nomen dare societatibus, quibus propositum est promovere usum comburendi hominum cadavera?

2.^o An licitum sit mandare, ut sua aliorumve cadavera comburantur?

Eminentissimi ac Reverendissimi Patres Cardinales in rebus fidei Generales Inquisitores, supra scriptis dubiis serio ac mature perpensis, praehabitoque DD. Consultorum Voto, respondendum censuerunt:

Ad 1.^m Negative, et si agatur de societatibus massonicae sectae filialibus, incurri poenas contra hanc latas.

Ad 2.^m Negative.

Factaque de his Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII relatione, Sanctitas Sua resolutiones Eminentissimorum Patrum adprobavit et confirmavit, et cum locorum Ordinariis communicandas mandavit, ut opportune instruendos curent Christifideles circa detestabilem abusum humana corpora cremandi, utque ab eo gregem sibi concreditum totis viribus deterreant.

— Ios. Mancini S. Rom. et Univ. Inquis. Notarius.

LVIII.

S. Officii Encycl. circa dispensat. matrimoniales in mortis articulo et appellationem « Ordinarii ». — 20 Februarii 1888.

De mandato Sanctissimi Dni N. Leonis XIII Supremae Congregationi S. Rom. et Univ. Inquisitionis, nuperrimis temporibus, duplex quaestionum genus expendendum propositum fuit. Primum respicit facultates, quibus urgente mortis periculo, quando tempus non suppetit recurrendi ad S. Sedem, augere conveniat locorum Ordinarios dispensandi super impedimentis publicis matrimonium dirimentibus cum iis, qui iuxta civiles leges sunt coniuncti, aut alias in concubinati vivunt, ut morituri in tanta temporis angustia in faciem Ecclesiae rite copulari, et propriae conscientiae consulere valeant: alterum spectat ad executionem dispensationum, quae ab Apostolica Sede impertiri solent.

Ad primum quod attinet, re serio diligenterque pensata, adprobatoque et confirmato Eminentissimorum Patrum ... Generalium Inquisitorum suffragio, Sanctitas Sua benigne annuit pro gratia, qua locorum Ordinarii dispensare valeant sive per se, sive per ecclesiasticam

personam sibi benevisam, aegrotos in gravissimo mortis periculo constitutos, quando non suppetit tempus recurrendi ad S. Sedem, super impedimentis quantumvis publicis matrimonium iure ecclesiastico dirimentibus, excepto sacro Presbyteratus Ordine, et affinitate lineae rectae ex copula licita proveniente.

Mens autem est eiusdem Sanctitatis Suae, ut, si quando, quod absit, necessitas ferat ut dispensandum sit cum iis, qui sacro Subdiaconatus Ordine sunt insigniti, vel solemnem professionem religiosam emisserint, atque post dispensationem et matrimonium rite celebratum convaluerint, in extraordinariis huiusmodi casibus, Ordinarii de impertita dispensatione Supremam Sancti Officii Congregationem certiores faciant, et interim omni ope curent, ut scandalum, si quod adsit, eo meliori modo quo fieri possit removeatur tum inducendo eosdem ut in loca se conferant, ubi eorum conditio ecclesiastica aut religiosa ignoratur, tum, si id obtineri nequeat, iniungendo saltem iisdem spiritualia exercitia aliasque salutares poenitentias, atque eam vitae rationem, quae praeteritis excessibus redimendis apta videatur, quaeque fidelibus exemplo sit ad recte et christiane vivendum.

De altero vero quaestionum genere, item adprobato et confirmato eorundem Eminentissimorum Patrum suffragio, Sanctissimus sanxit:

1. Dispensationes matrimoniales omnes in posterum committendas esse vel *Oratorum Ordinario* vel *Ordinario loci*.
2. Appellatione *Ordinarii* venire Episcopos, Administratores seu Vicarios Apostolicos, Praelatos seu Praefectos habentes iurisdictionem cum territorio separato, eorumque officiales seu Vicarios in spiritualibus

generales, et, Sede vacante, Vicarium Capitularem vel legitimum Administratorem.

3. Vicarium Capitularem seu Administratorem eas quoque dispensationes Apostolicas exequi posse, quae remissae fuerint Episcopo aut Vicario eius generali, vel Officiali, nondum executioni mandatas, sive hi illas exequi coeperint, sive non. Et vicissim, Sede deinde provisa, posse Episcopum vel eius Vicarium in spiritualibus generalem, seu Officiale exequi dispensationes quae Vicario Capitulari exequendae remissae fuerant, seu hic illas exequi coeperit, seu minus.

4. Dispensationes matrimoniales Ordinario oratorum commissas, exequendas esse ab illo Ordinario, qui litteras testimoniales dedit, vel preces transmisit ad S. Sedem Apostolicam, sive sit Ordinarius originis sive domicilii, sive utriusque sponsi sive alterutrius eorum; etiamsi sponsi, quo tempore executioni danda erit dispensatio, relicto illius diocesis domicilio, in aliam diocesim discesserint non amplius reversuri, monito tamen, si id expedire iudicaverit, Ordinario loci, in quo matrimonium contrahitur.

5. Ordinario praedicto fas esse, si ita quoque expedire iudicaverit, ad dispensationis executionem delegare alium Ordinarium, eum praesertim, in cuius diocesi sponsi actu degunt.

LIX.

S. Officii instructio pro simplici Sacerdote Sacramentum Confirmationis ex Sedis Apostolicae delegatione administrante. — m. Iulii 1888.

Etsi, iuxta Sacrosancti Tridentini Concilii definitionem, solus Episcopus sit ordinarius huius Sacramenti minister¹: solet tamen quandoque iustis de causis Sedes Apostolica simplici Sacerdoti, tamquam extraordinario ministro, facultatem tribuere illud conferendi².

Sacerdos igitur, cui facultas haec fuerit concessa, in primis curet apud se habere Chrisma, per Catholicum Antistitem cum eadem S. Sede communionem habentem confectum, ac sciat, sibi numquam licere³ sine eo Confirmationem administrare, vel illud ab Episcopis haereticis, aut schismaticis recipere.

Animadvertat insuper, num in facultate sibi ab Apostolica Sede impertita alia etiam facultas expressa legatur, utendi scilicet Chrismate ante annum benedicto, alias eo non utatur, nisi forte in casibus necessitatis⁴, cum a sacris canonibus id prohibuit sit⁵.

Licet omni tempore administrari valeat Confirmatio, congruum tamen est, ut praecipue in hebdomada Pentecostes, et circa horam tertiam, in qua Spiritus Sanctus illapsus est Apostolis, conferatur⁶.

¹ Soss. 7. de Confirm. can. 3.

² Eugen. IV in Decret. pro Armenis.

³ S. Thomas 3. par. quaest. 72, art. 5 in corp.

⁴ Bened. XIV. Constit. Anno vertente Bull. Tom. 3, pag. 288.

⁵ Can. Litteris de Consecr. dist. 3, et Can. Si quis de alio de Consecr. dist. 4.

⁶ Catech. Rom. de Sacram. Confirm., S. Carolus in V. Synodo Mediolanen. cap. de Confirm.

Quod ad aetatem Confirmandorum attinet, prae oculis habendum est Catechismi Romani ¹ monitum in haec verba: *Illud observandum est, omnibus quidem post Baptismum Confirmationis Sacramentum posse administrari, sed minus tamen expedire hoc fieri, antequam pueri usum rationis habuerint; quare si duodecimus annus non expectandus videatur, usque ad septimum certe hoc Sacramentum differre maxime convenit*: quod sane monitum in pueris benevolentibus locum habet. Nam, si agatur de eo, qui gravi morbo laboret, ex quo decessurus praevideatur, non solum prohibitum non est illi ante septennium sacrum Chrisma administrare, sed expedit, ut id fiat, unde ex hac vita demigrans maiorem gloriam, iuxta S. Thomae doctrinam ², in coelis consequatur. Aliae insuper, iuxta probatam plurimum Theologorum sententiam ³, esse possunt legitima causa anteverendi septennium in collatione huius Sacramenti, et praesertim, cum praevidetur futura diutina absentia Episcopi, vel Presbyteri, cui, ut supra, facta sit facultas illud administrandi, vel alia urget necessitas seu iusta causa.

Ut Confirmandi, qui usum rationis habent, digne hoc Sacramentum recipiant, debent esse in gratia, et ideo conveniens valde est, ut illius susceptioni praemittant Sacramentalem Confessionem ⁴. Si enim concilii alicuius peccati lethalis, quod absit, ad Confirmationem accederent, non solum huius Sacramenti gratiam non reciperent, sed gravissimo sacrilegio se illigarent.

Iuxta veterem Ecclesiae usum, Confirmandi debe-

¹ Loc. cit.

² S. Thom. 3. par. quaest. 73, art. 8, ad 4.

³ Bened. XIV in lib. 7, cap. 10, n. 5, 6 et 7, de Syn. Dioeces.

⁴ Instructio Eminentiss. Almae Urbis Vicarii pro iis, qui suscipiuntur hoc Sacramentum an. 1773.

rent esse ieiunii ¹, optandumque propterea esset, ut id ipsum in praesenti etiam servaretur.

Sacro Chrismate liniendi ante diligenter erudiendi sunt, iuxta doctrinas Catechismi Romani, de natura, dignitate, effectibus, ac dispositionibus ad digne Sacramentum huiusmodi recipiendum praerequisitis. Item oportet, ut instruantur circa Fidei rudimenta, Decalogi, et Ecclesiae praecepta, Actus Virtutum Theologalium, ac Orationem Dominicam, et Apostolorum Symbolum memoria teneant.

Ceterum Parochi non omittant populos sibi creditos etiam hortari, ut Confirmationem debito tempore recipiant, nec non ut parentes filios suos confirmari curent; etsi enim hoc Sacramentum non sit de necessitate mediæ ad salutem, tamen sine gravis peccati reatu respui non potest, ac negligi ², cum illud suscipiendi opportuna adest occasio.

Cum hoc Sacramentum indelebilem in anima characterem imprimat, reiterari non debet, et propterea qui est confirmatus ad illud recipiendum non audeat accedere, sicuti nec excommunicatus, interdictus, in divinis communicans cum haereticis, aut schismaticis, vel qui ritus idololatrias usurpat, sive alio modo publice peccat; item qui praeceptum paschale non adimpleverit.

Caveant Confirmandi ne sordida fronte ³, capillisque impexis ad hoc Sacramentum accedant, vestibus tamen sint induti, quemadmodum et Patrini, simplicibus, et ad modestiam compositis. Mulieres vero illud suscipitur, et quae matricularum officium exercebant, non se

¹ Catech. Rom. de Confirm.

² Bened. XIV. in Constit. *Etsi Pastoralis* § 5, num. 4. Bull. T. I.

³ Concil. Aequense an. 1583. Instructio supradicta.

in Ecclesia cum vanis ornamentis, aut fucata facie, sed cum omni modestia, et reverentia praesentent.

Si quis ex confirmandis turpe nomen, vel Christiano homini non conveniens, haberet, aliud in confirmatione assumat¹.

Quamquam de necessitate huius sacramenti non sit, ut in eo recipiendo Patrinus, vel Matrina adhibeatur, id tamen laudabilis Ecclesiae consuetudo suadet, sacrique canones praescribunt².

Ab hoc vero munere excluduntur tum minores annis quatuordecim³, tum qui Sacramentum Confirmationis nondum receperunt⁴.

Quod si contingat, ut nullus adsit, qui antea confirmatus fuerit, permittitur in hoc casu, ut aliqui sine patris confirmantur, qui postea patris ceterorum esse poterunt.

Ad Patrinus huiusmodi quod attinet, hae insuper regulae erunt observandae: I. Ut non plures⁵, sed unus tantum, sive vir, sive mulier, in Patrinum, aut Matrinam adhibeatur. II. Ut nec feminis mares⁶, nec maribus feminae Patris officium praestent, sed suo quisque sexui Patrinus adhibeatur. III. Ut, nisi necessitas cogat⁷, idem non sit, sed diversus Confirmationis Patrinus a Patris Baptismi. IV. Ut a Patris munere arceantur excommunicati⁸, interdicti, publici peccatores, aut qui praeceptum paschale omiserint.

¹ Concil. Agense an. 1585, Concil. Tolosan. anni 1590, S. Carol. Borrom. in V. Synodo Mediolanen.

² Sacramentar. S. Gregor. M., Ordo Romanus apud Hittorpiam.

³ Instructio praedicta.

⁴ Can. *In Baptismate* 102. de Consecrat. dist. 4.

⁵ Can. *Non plures* 101. dist. 4.

⁶ Pontif. Rom.

⁷ Can. *In Calcichismo* 100. de Consecr. dist. 4.

⁸ Pontific. Rom.

Circa cognationem spirituale, quae in hoc sacramento contrahitur, haec statuit Tridentina Synodus¹: *Ea quoque cognatio, quae ex Confirmatione contrahitur, Confirmantem, et confirmatum, illiusque patrem, et matrem, ac tenentem non egrediatur, omnibus inter alias personas huius spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis.*

Cum tempus advenerit, quo sacerdos utens facultate sibi ab Apostolica Sede, ut supra, tributa administrare Confirmationem intendit, vestibus sacerdotilibus, vel saltem alba, et Stola indutus, stans ante altare versus ad populum hinc inde dispositum (masculis a dexteris, feminis vero a sinistris) circumstantes summarie de praemissis admoneat, eisque praesertim denunciaret, quod nullus alius nisi solus Episcopus Confirmationis ordinarius minister est; se vero paratum esse illam conferre iure per S. Sedem delegato.

Mox delegationis decreto, lingua vernacula, alta et intelligibili voce lecto, iterum moneat adstantes, quod nullus Confirmatus discedat, nisi benedictione accepta, quam ipse post omnium Confirmationem daturus est. Item, quod infantes, si quos in prima aetate iusta de causa confirmandos existimaverit, per Patrinus teneantur in brachiis dexteris.

Hac altera monitione completa², pariter stans, et versa facie ad Confirmandos, iunctis ante pectus manibus, Confirmandis vero genua flectentibus, et manus ante pectus iunctas tenentibus, dicit:

¶ Spiritus Sanctus superveniat in vos, et virtus Altissimi custodiat vos a peccatis.

R. Amen.

¹ Sess. 24 de Reform. Matrimonii, cap. 2.

² Pontif. Rom.

Deinde signans se manu dextera a fronte ad pedus signo Crucis dicit:

ꝑ. *Adiutorium nostrum in nomine Domini.*

ꝛ. *Qui fecit coelum, et terram.*

ꝑ. *Domine exaudi orationem meam.*

ꝛ. *Et clamor meus ad te veniat.*

ꝑ. *Dominus vobiscum.*

ꝛ. *Et cum spiritu tuo.*

Tunc extensis versus Confirmandos manibus dicit:

OREMUS

Omnipotens sempiterna Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos tuos ex aqua, et Spiritu Sancto; qui que dedisti eis remissionem omnium peccatorum; emitte in eos septiformem Spiritum tuum Sanctum Paraclitum de caelis.

ꝛ. *Amen.*

ꝑ. *Spiritum Sapientiae, et Intellectus.*

ꝛ. *Amen.*

ꝑ. *Spiritum Consilii, et Fortitudinis.*

ꝛ. *Amen.*

ꝑ. *Spiritum Scientiae, et Pietatis.*

ꝛ. *Amen.*

Adimple eos Spiritu Timoris tui, et consigna eos signo Crucis Christi in vitam perpetuam aeternam. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum.

ꝛ. *Amen.*

Post haec Sacerdos confirmat per ordinem genuflexos, primo mares, secundo feminas. Uno ordine confirmato illi surgunt, et alii genuflectunt, et confirmantur, et sic usque in finem. Inquiret autem singillatim

de nomine cuiuslibet Confirmandi sibi per Patrum, vel Matrum flexis genibus praesentati, et summitate pollicis dexterae manus Chrismate intincta dicit:

N. Signo te signo Crucis: quod dum dicit producit pollicem signum Crucis in frontem illius, deinde prosequitur: et Confirmo te Chrismate salutis. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.

ꝛ. *Amen.*

Deinde leviter in maxilla caedit, dicens: *Pax tecum.*

Ligentur deinde vitta linea recens Confirmatorum frontes, iuxta Pontificalis Romani praescriptum¹. Quod si huiusmodi vittae adherere nequeant, Sacerdos, postquam frontes Confirmandorum linierit sacro Chrismate, eas gossypio, mox comburendo, diligenter abstergat².

Omnibus confirmatis, tergit cum mica panis, et levat pollicem, et manus super pelvim: deinde aqua lotionis cum pane fundatur in piscinam Sacrarum, in qua reponi debent etiam supradictorum gossypiorum cineres.

Dum lavat manus, si adsint ministri, cantatur, vel legitur sequens Antiphona; alias post lotionem ab ipso Sacerdote dicitur: *Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis a templo sancto tuo, quod est in Ierusalem. Gloria Patri etc.* Et repetitur Antiphona tono octavo: *Confirma hoc Deus etc.*, qua repetita, conversus ad Altare iunctis ante pectus manibus dicit:

ꝑ. *Ostende nobis Domine misericordiam tuam.*

ꝛ. *Et salutare tuum da nobis.*

ꝑ. *Domine exaudi orationem meam.*

ꝛ. *Et clamor meus ad te veniat.*

ꝑ. *Dominus vobiscum.*

ꝛ. *Et cum spiritu tuo.*

¹ De Confirmandis.

² S. Carolus Borrom. in dict. V Synod. Mediolanen.

Iunctis vero adhuc ante pectus manibus, et omnibus confirmatis devote genuflectentibus, dicit:

OREMUS

Deus, qui Apostolis tuis Sanctum dedisti Spiritum, et per eos, eorumque successores ceteris fidelibus tradendum esse voluisti, respice propitius ad humilitatis nostrae famulatum, et praesta, ut eorum corda, quorum frontes sacro Chrismate delinivimus, et signo Sanctae Crucis signavimus, idem Spiritus Sanctus in eis superveniens, templum gloriae suae dignanter inhabitando perficiat: Qui cum Patre, et eodem Spiritu Sancto vivis, et regnas Deus in saecula saeculorum.

R. Amen.

Deinde dicit: *Ecco sic benedicetur omnis homo, qui timet Dominum:* et vertens se ad Confirmatos, ac faciens super eos signum Crucis pariter dicit:

Bene R. dicat vos Dominus ex Sion, ut videatis bona Ierusalem omnibus diebus vitae vestrae, et habeatis vitam aeternam.

R. Amen.

Expedita hoc pacto Confirmatione, Sacerdos sedens, iuxta memoratum Pontificale Romanum¹, Patrinos et Matrinas monet, quod instruant filios suos bonis moribus, unde fugiant mala et faciant bona, et si forte in infantili aetate essent confirmati, ut suo tempore doceant eos *Credo in Deum*, et *Pater noster*, et *Ave Maria*, quoniam ad hoc sunt obligati.

Hoc Sacramentum potest conferri minus solemniter, et praesertim tunc cum in privatis domibus, vel extra Ecclesiam, seu Oratorium, pueris aegrotantibus, de

¹ Loc. cit.

quibus supra, conferendum est, vel etiam adultis, qui ad Ecclesiam quacumque ex causa, legitima tamen, accedere nequeunt. In iis casibus Sacerdos non omitat uti saltem Stola, si superpelliceum habere non possit: cavere etiam debet, ne coram haereticis, aut schismaticis, et multo minus eis ministrantibus confirmet.

Haec Instructio iam a S. C. de Propaganda Fide pro Missionariis edita, a Suprema Congregatione Sancti Officii, adprobante SSmo D. N. Leone XIII, pro simplici Sacerdote Sacramentum Confirmationis ex Apostolica delegatione administrante accommodata fuit.

Datum Romae ex Cancellaria S. Officii m. Iulii 1888.

Joseph Mancini, S. Romanae et Univ. Inquisitionis Notarius.

LX.

Decretum S. C. Indulg. de Gregoriano Tricenario. — 24 Aug. 1888.

Sancti Severi. — De Gregoriano Missarum Tricenario.

Vicarius Generalis Dioeceseos Sancti Severi huic Sacrae Congregationi Indulgentiarum humiliter exponit in hac civitate Sancti Severi piam praxim a S. Gregorio Magno inventam celebrandi Missas per triginta continentes dies ad solamen illico afferendum animabus quae in Purgatorio detinentur ita invaluisse, ut nonnulli adhuc viventes praefatas Missas ad Suffragiorum saluti anticipationem pro se celebrari postulent. Nec Sacerdotes eas celebrare renuunt, rati se suscepto oneri satisfacturos iuxta institutionem Gregorianam, eo vel

magis quod putant omnes huic pie praxi nullam adnexam esse Indulgentiam, nequidem illam Altaris Privilegiati.

Verum grave obortum est dubium, an Gregorianum Missarum Tricenarium, quod ab antiquis temporibus animabus e Purgatorii poenis liberandis institutum est, suffragari etiam valeat Christifidelibus adhuc viventibus. Insuper in evulgato opere R. D. Louvet, quod e gallico in italicum idioma translatum est a Ioseph Giusti, et cui titulus « *Il Purgatorio secondo la Rivoluzione dei Santi* », sub finem cap. XVIII, pag. 291 edit. Taurin., haec leguntur: « Si crede poi generalmente che dal Sommo Pontefice sia stata accordata a questa Pia Pratica (delle Messe di San Gregorio) un' Indulgenza Plenaria in forma di Giubileo, in modo che se la giustizia di Dio non vi ponga ostacolo, si può nutrire fondata speranza di ottenere la liberazione dell' anima, per la quale si offre il Divin Sacrificio ».

Hinc quaeritur sequentium dubiorum solutio:

I. *An Missae quae Gregorianae appellantur et quae pro defunctis sunt celebrandae iuxta perantiquam Sancti Gregorii institutionem ab Ecclesia recognitam et approbatam, pro vivis etiam celebrari valeant?*

II. *An ipsis Missis Gregorianis aliqua adnexa sit Indulgentia a Summis Pontificibus, uti legitur in citato opere D. Louvet?*

Et quatenus affirmative?

III. *Pro quibus eadem Indulgentia sit concessa: pro defunctis tantum, vel etiam pro vivis?*

IV. *Si supradictae Missae pro vivis dici nequeunt, ad quid tenebitur Sacerdos qui bona fide pro vivis eas postulantis celebraverit?*

Porro Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, audito etiam unius ex Consultoribus voto, rescripsit:

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Non constat datam fuisse Indulgentiam; sed ex Decreto huius S. Congregationis sub die 15 Martii 1885 approbata fuit pia praxis et specialis fiducia qua fideles retinent celebrationem triginta Missarum specialiter efficacem ex beneficio et acceptatione divinae Misericordiae ad animae e Purgatorii poenis liberationem.*

Ad III. *Provisum in praecedentibus.*

Ad IV. *Ad nihil tenetur Sacerdos, qui putavit durante adhuc vita posse anticipari suffragia.*

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 24 Augusti 1888. — Seraph. Card. Vanutelli, Praef. — Alexander Episc. Oensis, Secret.

LXI.

Decretum S. C. Indulg. de Gregoriano Tricenario. — 14. Januar. 1889.

Anno 1889 Moderator cuiusdam pii operis, quod expiandis animabus in Purgatorio derelictis erectum existit in loco vulgo dicto *Beaune, Côte-d'Or*, diocesis Divionensis, Sacrae Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, quoad *Gregorianum Missarum Tricenarium* sequens dubium solvendum proposuit:

Est-ne necessarium, uti apud nos existimatur, quod

Missae triginta, quae Gregorianae appellantur, celebrantur:

1. In memoriam S. Gregorii, quin tamen in illis fiat de eo commemoratio?
2. Ab eodem Sacerdote?
3. Pro una tantum anima absque ulla alia speciali intentione?
4. Diebus triginta continuis sine interruptione?
5. In eodem altari?

Et Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita praefato dubio respondit:

Quoad 1^m partem: *Negative;*

Quoad 2^m: *Negative;*

Quoad 3^m: *Missae pro ea anima debent applicari, cuius liberatio a poenis Purgatorii a divina misericordia imploratur;*

Quoad 4^m: partem: *Affirmative;*

Quoad 5^m: *Negative.*

LXII.

S. Officii Encycl. circa interpret. Encycl. 20 Februarii 1888 de dispensat. matrim. in mortis articulo. — 1 Martii 1889.

Supremae huic Congregationi Sancti Officii propositum fuit dubium: « Utrum Ordinarii in casibus extremae necessitatis facultatem dispensandi super impedimentis publicis matrimonialibus in mortis periculo, « literis Supremae Congregationis die 20 Februarii 1888 concessam, parochis, et universim confessariis adprobatis modo generali subdelegare valeant, an non ».

Quo dubio mature perpenso, Eminentissimi Patres... Generales Inquisitores feria IV. die 9 Ianuarii 1889 dixerunt: « Supplicandum Sanctissimo ut decernere et « declarare dignetur, Ordinarios, quibus memorata facultas praecitatis literis diei 20 Februarii 1888 data « fuit, posse illam subdelegare habitualiter parochis « tantum, sed pro casibus, in quibus desit tempus ad « ipsos Ordinarios recurrendi, et periculum sit in mora ». Eadem feria ac die Sanctissimus D. N. D. Leo divina providentia PP. XIII, in solita audientia R. P. D. Adessori S. O. impertita, benigne annuere dignatus est iuxta Eminentissimorum PP. suffragium.

LXIII.

S. Officii declaratio circa impedimenta facillit probationis. — 5 Iunii 1889.

Quando agitur de impedimento disparitatis cultus, et evidenter constat unam partem esse baptizatam, et alteram non fuisse baptizatam; quando agitur de impedimento ligaminis, et certe constat primum conjugem esse legitimum et adhuc vivere; quando denique agitur de consanguinitate et affinitate ex copula licita, aut etiam de cognatione spirituali, aut de impedimento clandestinitatis in locis ubi Decretum Trid. *Tametsi* publicatum est, vel uti tale diu observatum; dummodo ex certo et authentico documento, vel, in huius defectu, ex certis argumentis evidenter constet de existentia huiusmodi impedimentorum, super quibus Ecclesiae auctoritate dispensatum non fuerit: hisce in casibus, praetermissis solemnitatibus in Constitutione

Apostolica *Dei miseratione* requisitis, matrimonium poterit declarari nullum, cum interventu tamen defensoris vinculi matrimonialis, quin opus sit secunda sententia.

LXIV.

S. Officii Decretum circa interpretationem Encycl. 20 Februarii 1888 et 1 Mart. 1889 de dispensat. matrim. in mortis articulo. — 23 Aprilis 1890.

Vicarius generalis N., ... sequentium dubiorum solutionem perhumiliter expostulat, nempe:

Litteris S. Officii datis die 20 Februarii anno 1888, concessa est locorum Ordinariis facultas dispensandi, sive per se sive per ecclesiasticam personam sibi benevisam, aegrotos in gravissimo mortis periculo constitutos, quando non suppetit tempus recurrendi ad S. Sedem super impedimentis quantumvis publicis matrimonium iure ecclesiastico dirimentibus, excepto sacro Presbyteratus Ordine et affinitate lineae rectae ex copula licita proveniente.

Decreto vero lato fer. IV die 9 Ianuarii 1889, declaratum est, Ordinarios quibus memorata facultas praecitatis litteris diei 20 Februarii 1888 data fuit, posse illam subdelegare habitualiter parochis tantum, sed pro casibus in quibus desit tempus ad ipsos Ordinarios recurrendi et periculum sit in mora.

Iam igitur quaeritur:

1. Utrum S. Congregatio, per verba « super impedimentis quantumvis publicis », confirmare intendit communem theologorum et praesertim S. Alphonsi

sententiam, quae habet posse. Episcopos in casibus urgentis necessitatis dispensare super impedimentis occultis, eamque facultatem veluti ordinariam probabiliter delegare etiam generaliter, ita ut mens Congregationis fuerit significare, Episcopos a fortiori ab impedimentis occultis in praedictis adiunctis dispensare posse?

2. Utrum in gravissimo mortis periculo coadiutores parochi, quando ob ingentem parochiarum illius diocesis amplitudinem ad eum recurrere non possunt, nomine parochi ab impedimentis publicis dispensare valeant?

3. Utrum in decreto diei 9 Ianuarii 1889 nomine parochorum veniant etiam vicarii temporales, qui post obitum parochorum vel in eorum absentia sufficiuntur?

R. — Ad I. Ex vi decreti, affirmative pro mortis articulo.

Ad II. et III. Detur responsum hac eadem feria datum R. P. D. Abbati Sanctissimae Trinitatis Caven., quod est sequens, scilicet:

« Propositis a R. P. D. Abbate supra laudato sequentibus dubiis:

« I. An sub nomine parochorum in subdelegatione facultatis, de qua in praecibus, intelligendi sint etiam viciparochi vel oeconomici-curati ad nutum amovibiles, in quibus parocci parochi stricto sumpti ac vere nominis non sunt creati? »

« Et quatenus negative, »

« II. Utrum saltem in diocesisibus, in quibus, sicut et in abbacia Nullius Sanctissimae Trinitatis Caven., ex privilegio vel ex antiquissima ac immemorabili consuetudine, nonnullae sunt parociae, quarum curati tanquam vicarii Abbatis sunt instituti sub nomine oeco-

nomi vel archipresbyteri curati, ad nutum amovibiles, ad hos quoque possit extendi?

« Eminentissimi Domini Cardinales in rebus fidei et morum Inquisitores Generales praedicta die ac feria rescribi mandarunt:

« Ad I. Comprehendi omnes, qui actu curam animarum exercent, exclusis vice-parochis et capellanis.

« Ad II. Provisum in praecedenti. »

LXV.

S. Officii decretum circa interpretationem Encycl. 20 Februarii 1888 de dispensat. matrim. in mortis articulo. — 23 April. 1890.

Utrum voce *parochorum* quibus Ordinarii possunt subdelegare facultatem dispensandi in casibus extremae necessitatis super impedimentis publicis matrimonialibus in mortis periculo, ex Indulto Supremae Congregationis 1 Martii 1889, intelligi possint et debeant *missionarii* curam animarum habentes, quamvis *parochi* stricte dici non valeant?

R. Affirmative pro iis *missionariis* qui parochialibus funguntur muneribus.

LXVI.

S. Officii instructio et norma ab Ordinariis locorum in *examinibus per generalia conficiendis observanda.* — 20 Iulii 1890.

Non raro ad hanc Congregationem Sanctae Romanae et Universalis Inquisitionis transmittuntur ab Ordinariis vel a Sacra Poenitentiaria denunciations contra Confessarios sollicitantes poenitentes ad turpia: et saepe accidit, ut in denunciationibus ipsis inducantur aliae poenitentes vel uti certo ad turpia sollicitatae, vel tantum ex indicio inductae, quae tamen obligationi de denuntiatione emittenda iuxta Sacros Canones satis non fecerunt. Ne autem crimen tam infandum absque debitis animadversionibus maneat, Sacra Congregatio ad tramitem Apostolicarum Constitutionum indicit locorum Ordinariis, ut inductas poenitentes opportuno examini subiiciant, ut inde legales probationes in processualibus tabulis resultent.

Verum experientia compertum est huiusmodi examina non ita scite seu legaliter assumi a Iudicibus delegatis; ita ut saepius causas ipsas, alioquin graviores et in damnum ac scandalum fidelium vertentes, prosequi datum non sit.

Quapropter, ne in posterum ex enunciatis defectibus in *examinibus assumendis* causae contra sollicitantes infectae remaneant, Sacra Suprema haec Congregatio opportunum, immo necessarium censet locorum Ordinariis instructionem iuxta decreta ac ordinationes alias editas exaratam transmittere, qua examina poenitentium per generalia rite et legaliter prosequi valeant.

Prænotandum quod nimia circumspectione utendum est in personis ad examen invitandis; etenim non semper opportunum erit eas ad publicum Cancellariae locum convenire, præsertim si examini subiiciendae sint vel puellae, vel uxoratae, aut famulatus addictae; tunc enim consultum erit eas vel in sacrario vel alio iuxta prudentem Ordinarii seu Iudicis aestimationem caute convocare ad earum examen assumendum. Quod si examinandae vel in Monasteriis aut Nosocomiis seu in piis puellarum domibus existant, tunc magna cum diligentia et diversis diebus iuxta circumstantias peculiares vocandae erunt.

Insuper animadvertant Iudices ad examina assumenda deputati, quod in eorum et Cancellarii seu Notarii (qui semper Ecclesiastici esse debent) praesentia, examinanda exclusive compareat absque socia, absque teste: etenim omnia sub inviolabili secreto perfici necesse est.

Tandem de actibus inde assumptis Ordinarii debent transmittere ad hanc Supremam Congregationem exemplar authenticum et cum suo originali collatum.

Hisce generatim praemonitis, subnectitur norma examinis conficiendi.

Datum Romae die 20 Iulii 1890. — R. Card. Monaco.

Norma examinis per generalia assumendi.

Vigore epistolae Sacrae Suprae Congregationis datae sub die... (vel vigore Decreti Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Archiepiscopi, Ordinarii) vocata personaliter comparuit coram Illustrissimo ac Reverendissimo Domino N. N. sistente in Cancellaria (vel in sacrario aut in collocatorio Monialium seu piae domus) in meique etc.

N. N. nubilis (vel uxorata) degens in hac Civitate N. N. in paroecia N. N., filia (vel uxor) N. N., aetatis suae... conditionis civilis (aut agricolae aut famulatus addictae) cui delato iuramento veritatis dicendae, quod praestitit, tactis SS. Dei Evangelis, fuit

Inter. An sciat vel imaginetur causam suae vocationis et praesentis examinis?

Resp.

Inter. A quot annis usa sit accedere ad Sacramentum poenitentiae?

Resp.

Inter. An semper apud unum eundemque Confessarium Sacramentum poenitentiae receperit vel apud plures Sacerdotes; insuper an in una, eademque, vel in pluribus Ecclesiis?

Resp.

Inter. An a singulis quibus confessata est Sacerdotibus exceperit sanctas admonitiones, et opportuna praecepta, quae ipsam examinatam edificarent, et a malo arcerent, et quatenus etc.

Resp.

Notandum: si responsio fuerit affirmativa, id est si dicat, se bene semper fuisse directam, tunc interrogetur sequenti modo:

Inter. An sciat vel meminert aliquando dixisse vel audivisse, quod quidam Confessarius non ita sancte et honeste sese gesserit erga poenitentes; quin murmurationes, seu verba contemptibilia contra ipsum Confessarium, prolata fuerint; ex. gr. quod ipsa examinata ab uno vel a pluribus poenitentibus, atque ab uno abhinc anno, vel a quatuor, aut tribus mensibus similia audierit?

Notandum: Si post hanc interrogationem et animad-

versionem examinata negare pergat, claudatur actus consueta forma, quae ad calcem huius instructionis prostat.

At si quidquam circa aliquem confessarium, iuxta ea de quibus interrogatur, aperuerit, ulterius interrogabitur prout sequitur:

Inter. Ut exponat nomen, cognomen, officium, aetatem Confessarii, et locum seu sedem confessionis; an sit presbyter Saecularis vel Regularis, et quatenus etc.

Resp.

Inter. Ut exponat seriatim, sincere et clare ea omnia, quae in Sacramentali confessione vel antea vel postea vel occasione confessionis, audierit a Confessario praedicto minus honesta: vel an ab eodem aliquid cum ipsa inhoneste actum fuerit nutibus, tactibus seu opere, et quatenus etc.

Notandum: hoc loco iudex solerter curabit ut referantur iisdem verbis, quibus confessarius usus fuerit, sermones turpes, seductiones, invitamenta conveniendi in aliquem locum ad malum finem, aliaque omnia, quae crimen sollicitationis constituunt, adhibita vernacula lingua in qua responsiones sedulo et iuxta veritatem exarabuntur: animum addat examinatae, si animadvertat, eam nimio timore aut verecundia a veritate patefacienda praepediri, eidem suadens omnia inviolabili secreto premenda esse. Denique exquiret tempus a quo sollicitationes inceperint, quamdiu perduraverint, quoties repetitae, quibus verbis et actibus malum finem redolentibus expressae fuerint. Cavebit diligenter ab exquirendo consensu ipsius examinatae in sollicitationem, et a quacumque interrogatione, quae desiderium prodat cognoscendi eiusdem peccata.

Inter. An sciât vel dici audierit praedictum Con-

fessarium alias poenitentes sollicitasse ad turpia; et quatenus eas nominet (atque hic iubebit nomen cognomen et saltem indicia clariora, quibus aliae personae sollicitatae detegi possint).

Notandum: Si forte inducantur aliae personae sollicitatae, erit ipsius iudicis eas prudenter advocare et singillatim examinare, iuxta formam superius expositam.

Resp.

Inter. De fama praedicti Confessarii tam apud se quam apud alios?

Resp.

Inter. An praedicta deposuerit ex iustitiae et veritatis amore, vel potius ex aliquo inimicitiae vel odii affectu, et quatenus etc.

Resp.

Quibus habitis et acceptatis dimissa fuit iurata de silentio servando iterum tactis SS. Dei Evangelis, eique perlecto suo examine in confirmationem praemissorum se subscripsit, (si fuerit illiterata dicatur) et cum scribere nesciret fecit signum Crucis.

(subscriptio personae examinatae)

Acta sunt haec per me N. N. Cancellarium vel Notarium ad hunc actum assumptum.

LXVII.

Sacrae Congregationis Concilii Litterae ad Episcopos et Ordinarios Italiae et Americae de sacerdotibus Italis ad Americanae regiones emigrantibus. — 21 Iulii 1890.

Non sine magno animi moerore Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII accepit, nonnullos sacerdotes, ex Italia, praesertim meridionali, ad Americanae regiones emigratos eam ducere vitam, quae a morum integritate et sanctitate, quam ecclesiasticus vir praesefere debet, prorsus abhorret.

Volens itaque Beatissimus Pater tantum mali ulteriori dilatationi pro viribus obsistere, eas renovando et ampliando cautelas ac remedia, quae praeteritis annis iam fuerant adhibita, audito voto Cardinalium sacrae Congregationis Concilii, mandavit eidem Congregationi mittere ad Episcopos et Ordinarios tum Italiae tum Americae sequentes praescriptiones.

I. Quoad Italos sacerdotes emigratos in America commorantes, locales Antistites contra delinquentes summarie procedant ad formam sacrorum Canonum, etiam tanquam Apostolicae Sedis delegati, si opus sit.

II. Quoad futurum vero, prohibetur absolute Italiae Episcopis et Ordinariis concedere suis presbyteris de clero saeculari litteras discessoriales ad emigrandum in regiones Americae.

III. Exceptio tantummodo admitti poterit, onerata Episcopi conscientia, pro aliquo eius dioecetano sacerdote maturae aetatis, sufficienti sacra scientia praedito, et omnino iustam afferente emigrationis cau-

sam. Qui tamen bonum testimonium habens intemperate vitae in operibus sacri ministerii cum laude veri spiritus ecclesiastici et zeli salutis animarum hactenus peractae; idcirco fundatam spem exhibeat aedificandi verbo et exemplo fideles ac populos ad quos transire postulat, nec non moralem certitudinem praestet nunquam a se maculatam iri sacerdotalem dignitatem exercitatione quarumcumque vulgarium artium et negotiationum.

IV. Sed in huiusmodi casu idem Italus Episcopus et Ordinarius, omnibus rite perpensis et probatis, rem, absque sacerdotis postulantis intermedio, directe agat cum Ordinario Americano ad cuius dioecesim ille transire cupit, et habita ab ipso Americano Ordinario eiusdem sacerdotis formali acceptatione una cum promissione eum ad aliquod ministerii ecclesiastici munus deputandi, de omnibus et singulis praefatae Sacrae Congregationi Concilii referat. Quae si tandem consensus dederit, tunc poterit Episcopus discessoriae litteras concedere, communicando Americano Antistiti per secretam epistolam, nisi ei iam cognitae sint, notas personales emigrantis sacerdotis, ad effectum impediendi fraudes circa subiecti identitatem. — Ex ea dioecesi ad aliam in America idem sacerdos emigrare nequeat absque nova sacrae Congregationis licentia.

V. Excluduntur in quacumque hypotesi presbyteri ritus orientalis.

VI. Quod si non agatur de emigratione, sed de aliquo Italiae sacerdote, qui ob personales et honestas temporaneas causas pergere velit ad Americae partes, satis erit ut proprius Ordinarius, his perspectis, ac dummodo de caetero nihil obstat, eum munit in scriptis sua licentia ad tempus (unius anni limitem non exce-

dens), in qua praefatae abeundi causae declarentur, cum conditione, ut suspensus illico maneat a divinis expirato praefixo termino, nisi eius legitimam prorationem obtinuerit.

VII. Non comprehenduntur his legibus de emigratione in Americas ii sacerdotes, qui ad hoc speciali aliquo gaudent apostolico privilegio.

Datum Romae ex S. Congregatione Concilii, die 27 Iulii 1890.



LXVIII.

S. Officii decretum circa interpretationem Encycl. 20 Februarii 1888 et 1 Martii 1889 de dispensat. matrim. in mortis articulo. — 17 Sept. 1890. (Archiep. Compostellano).

Utrum vi decretorum diei 20 Februarii 1888 et 1 Martii 1889 valeant Ordinarii per se vel parochos dispensare super impedimentis publicis iuris ecclesiastici, exceptis presbyteratu et affinitate in via recta, omnes in articulo mortis constitutos, licet matrimonium civile, quod vocant, non celebraverint, nec vivant in concubinato.

R. - *Negative.*

LXIX.

S. Congr. EE. et RR. decretum « Quemadmodum » circa manifestationem conscientiae. — 17 Dec. 1890.

Quemadmodum omnium rerum humanarum, quantumvis honestae sanctaeque in se sint; ita et legum sapienter conditarum ea conditio est, ut ab hominibus ad impropria et aliena ex abusu traduci ac pertrahi valeant; ac propterea quandoque fit, ut intentum a legislatoribus finem haud amplius assequantur; imo et aliquando, ut contrarium sortiantur effectum.

Idque dolendum vel maxime est obtigisse quoad leges plurium Congregationum, Societatum aut Institutorum sive mulierum, quae vota simplicia aut solemnia nuncupant, sive virorum professione ac regimine penitus laicorum; quandoquidem aliquoties in illorum Constitutionibus conscientiae manifestatio permessa fuerat, ut facilius alumni arduam perfectionis viam ab expertis Superioribus in dubiis addiscerent; e contra a nonnullis ex his intima conscientiae scrutatio, quae unice Sacramento Poenitentiae reservata est, inducta fuit. Idem in Constitutionibus ad tramitem SS. Canonum praescriptum fuit, ut Sacramentalis Confessio in huiusmodi Communitatibus fieret respectivis Confessariis ordinariis et extraordinariis; aliunde Superiorum arbitrium eo usque devenit, ut subditis aliquem extraordinarium Confessarium denegaverint, etiam in casu quo, ut propriae conscientiae consulerent, eo valde indigebant. Indita denique eis fuit discretionis ac prudentiae norma, ut suos subditos rite recteque

dens), in qua praefatae abeundi causae declarentur, cum conditione, ut suspensus illico maneat a divinis expirato praefixo termino, nisi eius legitimam prorationem obtinuerit.

VII. Non comprehenduntur his legibus de emigratione in Americae ii sacerdotes, qui ad hoc speciali aliquo gaudent apostolico privilegio.

Datum Romae ex S. Congregatione Concilii, die 27 Iulii 1890.



LXVIII.

S. Officii decretum circa interpretationem Encycl. 20 Februarii 1888 et 1 Martii 1889 de dispensat. matrim. in mortis articulo. — 17 Sept. 1890. (Archiep. Compostellano).

Utrum vi decretorum diei 20 Februarii 1888 et 1 Martii 1889 valeant Ordinarii per se vel parochos dispensare super impedimentis publicis iuris ecclesiastici, exceptis presbyteratu et affinitate in via recta, omnes in articulo mortis constitutos, licet matrimonium civile, quod vocant, non celebraverint, nec vivant in concubinato.

R. - *Negative.*

LXIX.

S. Congr. EE. et RR. decretum « Quemadmodum » circa manifestationem conscientiae. — 17 Dec. 1890.

Quemadmodum omnium rerum humanarum, quantumvis honestae sanctaeque in se sint; ita et legum sapienter conditarum ea conditio est, ut ab hominibus ad impropria et aliena ex abusu traduci ac pertrahi valeant; ac propterea quandoque fit, ut intentum a legislatoribus finem haud amplius assequantur; imo et aliquando, ut contrarium sortiantur effectum.

Idque dolendum vel maxime est obtigisse quoad leges plurium Congregationum, Societatum aut Institutorum sive mulierum, quae vota simplicia aut solemnia nuncupant, sive virorum professione ac regimine penitus laicorum; quandoquidem aliquoties in illorum Constitutionibus conscientiae manifestatio permessa fuerat, ut facilius alumni arduam perfectionis viam ab expertis Superioribus in dubiis addiscerent; e contra a nonnullis ex his intima conscientiae scrutatio, quae unice Sacramento Poenitentiae reservata est, inducta fuit. Idem in Constitutionibus ad tramitem SS. Canonum praescriptum fuit, ut Sacramentalis Confessio in huiusmodi Communitatibus fieret respectivis Confessariis ordinariis et extraordinariis; aliunde Superiorum arbitrium eo usque devenit, ut subditis aliquem extraordinarium Confessarium denegaverint, etiam in casu quo, ut propriae conscientiae consulerent, eo valde indigebant. Indita denique eis fuit discretionis ac prudentiae norma, ut suos subditos rite recteque

quoad peculiare poenitentiae ac alia pietatis opera dirigerent; sed et haec per abusionem extensa in id etiam extitit, ut eis ad Sacram Synaxim accedere, vel pro lubitu permiserint, vel omnino interdum prohiberint. Hinc factum est, ut huiusmodi dispositiones, quae ad spirituales alumnorum profectum et ad unitatis pacem et concordiam in Communitatibus servandam fovendamque salutariter ac sapienter constitutae iam fuerant, haud raro in animarum discrimen, in conscientiarum anxietatem, ac insuper in externae pacis turbationem versae fuerint, ceu subditorum recursus et querimoniae passim ad S. Sedem interiectae evidentissime comprobant.

Quare SS^{mus} D. N. Leo divina providentia Papa XIII, pro ea qua praestat erga lectissimam hanc sui gregis portionem peculiari sollicitudine, in Audientia habita a me Cardinali Praefecto S. Congregationis Episcoporum et Regularium negotiis et consultationibus praepositae die decimaquarta Decembris 1890, omnibus sedulo diligenterque perpensis, haec quae sequuntur voluit, constituit atque decrevit:

I. Sanctitas Sua irritat, abrogat, et nullius in posterum roboris declarat quascumque dispositiones Constitutionum, pliarum Societatum, Institutorum mulierum sive votorum simplicium sive solemnium, nec non virorum omnimode laicorum, etsi dictae Constitutiones approbationem ab Apostolica Sede retulerint in forma quacumque etiam quam aiunt specialissimam, in eo scilicet, quod cordis et conscientiae intimam manifestationem quovis modo ac nomine respiciunt. Ita propterea serio iniungit Moderatoribus ac Moderatricibus huiusmodi Institutorum, Congregationum ac Societatum ut ex propriis Constitutionibus, Directoriis ac Manua-

libus praefatae dispositiones omnino deleantur penitusque expungantur. Irritat pariter ac delet quoslibet ea de re usus et consuetudines etiam immemorabiles.

II. Districte insuper prohibet memoratis Superioribus ac Superiorissis, cuiuscumque gradus et praemi-
nentiae sint, ne personas sibi subditas inducere per-
tentent directe aut indirecte, praecepto, consilio, timore,
minis, aut blanditiis ad huiusmodi manifestationem con-
scientiae sibi peragendam; subditisque e converso prae-
cipit, ut Superioribus maioribus denuncient Superiores
minores, qui eos ad id inducere audeant; et si agatur
de Moderatore vel Moderatrice Generali, denunciatio
huic S. Congregationi ab iis fieri debeat.

III. Hoc autem minime impedit quominus subditi
libere ac ultro aperire suum animum Superioribus va-
leant ad effectum ab illorum prudentia in dubiis ac
anxietatibus consilium et directionem obtinendi, pro
virtutum acquisitione ac perfectionis progressu.

IV. Praeterea, firmo remanente quoad Confessarios
ordinarios et extraordinarios Communitatum quod a Sa-
cro sacro Concilio Tridentino praescribitur in *Sess. 25*
Cap. 10 de Regul. et a S. M. Benedicto XIV sta-
tuitur in Constitutione quae incipit « Pastoralis curae », Sanctitas Sua Praesules Superioresque admonet ne ex-
traordinarium denegent subditis Confessarium, quoties
ut propriae conscientiae consulant ad id subditi adi-
gantur, quin iidem Superiores ullo modo petitionis ra-
tionem inquirant, aut aegre id ferre demonstrent. Ac
ne evanida tam provida dispositio fiat, Ordinarios ex-
hortatur, ut in locis propriae Dioeceseos, in quibus
Mulierum Communitates existunt, idoneos Sacerdotes
facultatibus instructos designent, ad quos pro Sacra-
mento Poenitentiae recurrere eae facile queant.

V. Quod vero attinet ad permissionem vel prohibitionem ad Sacram Synaxim accedendi, Eadem Sanctitas Sua decernit, huiusmodi permissiones vel prohibitiones dumtaxat ad Confessarium ordinarium vel extraordinarium spectare, quin Superiores ullam habeant auctoritatem hac in re sese ingerendi, excepto casu quo aliquis ex eorum subditis post ultimam Sacramentalem Confessionem Communitati scandalo fuerit, aut gravem externam culpam patriverit, donec ad Poenitentiae sacramentum denuo accesserit.

VI. Monentur hinc omnes, ut ad Sacram Synaxim curent diligenter se praeparare et accedere diebus in propriis regulis statutis; et quoties ob fervorem et spiritualem alicuius profectum Confessarius expedire iudicaverit ut frequentius accedat, id ei ab ipso Confessario permitti poterit. Verum qui licentiam a Confessario obtinuerit frequentioris ac etiam quotidianae Communionis, de hoc certiorum reddere Superiorem teneatur: quod si hic iustas gravesque causas se habere reputet contra frequentiores huiusmodi Communiones, eas Confessario manifestare teneatur, cuius iudicio acquiescendum omnino erit.

VII. Eadem Sanctitas Sua insuper mandat omnibus et singulis Superioribus Generalibus, Provincialibus et Localibus Institutorum de quibus supra sive virorum sive mulierum ut studiose accurateque huius Decreti dispositiones observent sub poenis contra Superiores Apostolicae Sedis mandata violantes ipso facto incurrendis.

VIII. Denique mandat, ut praesentis Decreti exemplaria in vernaculum sermonem versa inserantur Constitutionibus praedictorum piorum Institutorum, et saltem semel in anno, stato tempore, in unaquaque Domo,

sive in publica mensa, sive in Capitulo ad hoc specialiter convocato, alta et intelligibili voce legantur.

Et ita Sanctitas Sua constituit atque decrevit, contrariis quibuscumque etiam speciali et individua mentione dignis minime obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria memoratae S. Congregationis Episcoporum et Regularium die 17 Decembris 1890. - I. Card. Verga, Praefectus. - Fr. Aloysius Ep. Callinicens., Secretarius.

LXX.

S. Officii decretum circa interpret. Encycl. 20 Febr. 1888 de dispensat. matrim. in mortis articulo. — 18 Martii 1891. (Archiep. Leopoliens. rit. graec.).

Relate ad facultates Episcopis a Sanctitate Sua concessas (quae etiam parochis subdelegari possunt) dispensandi in articulo mortis in impedimentis matrimonium dirimentibus, rogo quoad impedimenta mixtae religionis et disparitatis cultus benignissimam declarationem, an in istis etiam in articulo mortis non aliter dispensari possit nisi: 1. ambo contrahentes promittant educationem omnis proles in religione catholica; et quidem 2. non solum proles forte adhuc suscipiendae, sed etiam antea (in concubinato vel civili matrimonio) iam susceptae, in quantum scilicet hoc a parentibus adhuc dependet; atque nisi etiam 3. pars catholica (licet privatim tantum) promittat quod, in quantum poterit, conversionem partis non catholicae procurare sataget.

R. - Cautiones etiam in articulo mortis esse exigendas; disparitatem cultus, utpote impedimentum di-

rimens, in encyclica S. Officii 20 Februarii 1888 comprehendi: mixtam vero religionem, uti impedimentum impediens, non comprehendi.

(Coll. P. F. n. 2188).

LXXI.

Decret. S. C. Episc. et Regul. circa applicationem decreti « Quenamodum » 17 Dec. 1890 Filiabus Charitatis et Instit. virorum. — 15 April. 1891.

Rescriptum. — Sacra Congregatio Eñorum ac Rñorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, sequentibus dubiis propositis:

I. Se il decreto incipiente *Quenamodum* del 17 Dicembre 1890 comprende anche le Figlie della Carità instituite da S. Vincenzo de' Paoli? ¹

II. Se il decreto medesimo, oltre gl' istituti femminili, comprende solamente gl' istituti maschili di natura laicali, come i Fratelli delle Scuole Cristiane, ecc.; ovvero anche le Congregazioni ecclesiastiche, come i Salesiani, fondati da D. Bosco, i Rosminiani, i Lazzaristi e simili, nelle quali, oltre i Sacerdoti, sono molti fratelli laici? ²

¹ « An Decretum incipiens *Quenamodum*, diei 17 Decembris 1890, etiam Filias charitatis a S. Vincentio à Paulo institutas comprehendat? »

² « An Decretum praecitatum, praeter instituta feminarum, sola virorum Instituta conditionis laicalis, uti Fratres Scholarum Christianarum, etc. comprehendat; an etiam Congregationes ecclesiasticas, veluti Salesianorum a D. Bosco fundatorum, Rosminianorum, Lazzaristarum, et similitum, in quibus, praeter Sacerdotes, multi reperiuntur fratres laici? »

Censuit respondendum prout rescripsit:

Ad primum: *Affirmative iuxta modum.* Modus est: « Attenta peculiari Puellarum Charitatis institutione, attentisque Pontificiis declarationibus ac privilegiis indultis, praesertim a S. M. Pio VII et Leone XII, confirmatis a SSmo D. N. Leone XIII die 25 Junii 1882, publicationem et vigilantiam super executione praefati Decreti quoad dictas Puellas spectare ad Superiorem generalem pro tempore Congregationis Presbyterorum Missionis, sive per se, sive per eiusdem Congregationis Visitatores, salva tamen Delegatione Apostolica Ordinarium locorum in casu negligentiae Superiorum Congregationis Missionis ».

Ad secundum: *Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam.*

Et facta de praemissis relatione SSmo D. N. Leoni PP. XIII in audientia habita a me Cardinali Praefecto die 12 Aprilis 1891, Sanctitas Sua resolutiones S. Congregationis approbavit et confirmavit. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis Episcoporum et Regularium, die 15 Aprilis 1891. — I. Card. Verga, Praefectus. — Fr. Aloysius, Episc. Calliniceus, Secret.

LXXII.

S. Officii decretum circa interpret. Eneycl. 20 Febr. 1888 de dispensal. matrim. in mortis articulo. — 1 Iulii 1891.

Episcopus Vicensis ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus sequens reverenter exponit dubium. Ex literis istius Sacr. Rom. et Universalis Inquisitionis diei 20 Februarii 1888, Sanctitas Tua benigne annuit pro gratia, qua locorum Ordinarii dispensare valeant « aegrotos in gravissimo mortis periculo constitutos super impedimentis quantumvis publicis matrimonium iure ecclesiastico dirimentibus, excepto sacro Presbyteratus Ordine et affinitate lineae rectae ex copula licita proveniente ». Jamvero super intelligentia verborum « aegrotos in gravissimo mortis periculo constitutos », non leve exortum est inter quosdam dissidium. Sunt enim qui asserunt locum dispensationi tantum esse quum impedimentum afficiat directe aegrotum, non vero quum aegrotus sit solutus, et impedimentum tantum directe existat in bene valente. Dum alii e contra facultatem dispensandi Ordinariis concedi putant, quamvis aegrotans non habeat in se impedimentum, sed hoc directe tantum existat in bene valente. Unde quum civiliter sint coniuncti, aut alias in concubinato vivant, ex. gr., puella soluta et Diaconus, illaque aegrotante, hic valens sit, possetne Ordinarius cum his dispensare? Vel si monialis aegrotans in concubinato viveret cum Diacono bene valente, essetne locus dispensationi,

quum Diaconus non sit in gravissimo mortis periculo constitutus?

R. Ordinarios locorum, vi Decreti diei 20 Februarii 1888, in utroque casu allato dispensare posse, et in utroque pariter S. Congregationem S. Officii de impertita dispensatione certiore reddere, ac ea interim curare debere, quae in eodem decreto praescribuntur. — Sanctissimus adprobavit.

LXXIII.

Leonis XIII Const. « Consensus mutuus », de matrimonii praesumptis. — 15 Febr. 1892.

LEO PP. XIII. — Ad perpetuam rei memoriam. — Consensus mutuus, unde matrimonia iusta nascuntur, non verbis dumtaxat sed aliis quoque signis exterioribus patefieri ac declarari potest. Quamobrem Alexander III¹, Innocentius III², et Gregorius IX³, decessores Nostri, merito decreverunt ut carnalis copula, si sponsalia de futuro certa ac valida praecessissent, cum in iudicio tum extra iudicium pro vero coniugio haberetur, nisi impedimentum canonicum obstitisset. Et in hac iuris praesumptione tantum roboris inesse voluerunt, ut firmum ipsa statueret sanciretque ius nec probationem contrariam ullam admitteret. Deinde vero matrimonia clandestina, id est non praesente Parocho et duobus tribusve testibus inita, quum Concilium Tri-

¹ Cap. *Veniens*, de Sponsal.

² Cap. *Tua nos*, eodem tit.

³ Cap. *Es qui fidem*, eodem tit.

dentinum¹ irrita infectaque esse iussisset, ius illud priscum, ut erat necesse, valere desiit ubicumque promulgata vel moribus usuque recepta Tridentina lex. Quibus autem illa locis non viget, in iis semper Apostolicae Sedis iudicium fuit, canones, quos indicavimus, ratos atque firmos permansisse. Sed actatum decursu, ex conscientia et cognitione christianorum sensim effluxere. Plures enim Episcopi ex iis regionibus, in quibus matrimonia clandestina contra fas quidem inita, sed tamen valida iudicantur, haud ita pridem rogati quid populus ea de re sentire videretur, plane retulerunt, canonicam de coniugiis praesumptis disciplinam passim exolevisse desuetudine atque oblivione deletam: propterea vix aut ne vix quidem contingere ut copula inter sponso affectu maritali nec fornicario habeatur: eamque non matrimonii legitimi usum, sed fornicationis peccatum communi hominum opinione existimari: Imo vix persuaderi populo posse, sponsalia de futuro per coniunctionem carnalem in matrimonium transire.

His igitur rebus et causis, de consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium in rebus fidei Inquisitorum generalium, supra memoratos canones et alias quascumque iuris canonici ea de re dispositiones, etiam speciali mentione dignas, per hoc Decretum Nostrum abrogamus et abolemus, et pro abolitis et abrogatis, ac si nunquam prodissent, haberi volumus.

Simul per has litteras Nostras decernimus ac mandamus, ut deinceps illis in locis in quibus coniugia clandestina pro validis habentur, a quibusvis iudici-

¹ Sess. XXIV. Cap. 1. de Reform. matrim.

bus ecclesiasticis, in quorum foro causas eiusmodi matrimoniales agitari et iudicari contigerit, copula carnalis sponsalibus superveniens non amplius ex iuris praesumptione coniugalis contractus censeatur, nec pro legitimo matrimonio agnoscatu seu declaretur. Huius tamen auctoritate Decreti induci nolumus necessitatem formae Tridentinae servandae ad matrimonii validitatem, ubi illa forma modo non viget.

Datum Romae apud S. Petrum die 15 februarii MDCCCLXXXII, Pontificatus Nostri anno decimo quarto.
— LEO PP. XIII.

(Coll. P. F. n. 2179).

LXXIV.

SS. D. N. Leonis XIII. Litterae Apost. « Neminem fugit » de Consociatione Sacrae Familiae, cum annexis documentis. — 14 Iunii 1892.

Neminem fugit rei privatae et publicae faustitatem a domestica potissimum institutione pendere. Quo enim altiores domi egerit radices virtus, quo solertius parentum voce et exemplo fuerint puerorum animi ad religionis praecepta informati, eo uberiores in rem communem fractus redundabunt. Quapropter summo interest ut domestica societas non solum sancte sit constituta, sed sanctis etiam regatur legibus; in eaque religionis spiritus et christianae vitae ratio diligenter constanterque foveatur. Hinc profecto est quod misericors Deus cum humanae reparationis opus, quod diu saecula expectabant, perficere decrevisset, ita eisdem operis rationem ordinemque disposuit, ut prima ipsa eiusdem initia augustam mundo exhiberent spe-

dentinum¹ irrita infectaque esse iussisset, ius illud priscum, ut erat necesse, valere desiit ubicumque promulgata vel moribus usuque recepta Tridentina lex. Quibus autem illa locis non viget, in iis semper Apostolicae Sedis iudicium fuit, canones, quos indicavimus, ratos atque firmos permansisse. Sed actatum decursu, ex conscientia et cognitione christianorum sensim effluxere. Plures enim Episcopi ex iis regionibus, in quibus matrimonia clandestina contra fas quidem inita, sed tamen valida iudicantur, haud ita pridem rogati quid populus ea de re sentire videretur, plane retulerunt, canonicam de coniugiis praesumptis disciplinam passim exolevisse desuetudine atque oblivione deletam: propterea vix aut ne vix quidem contingere ut copula inter sponso affectu maritali nec fornicario habeatur: eamque non matrimonii legitimi usum, sed fornicationis peccatum communi hominum opinione existimari: Imo vix persuaderi populo posse, sponsalia de futuro per coniunctionem carnalem in matrimonium transire.

His igitur rebus et causis, de consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium in rebus fidei Inquisitorum generalium, supra memoratos canones et alias quascumque iuris canonici ea de re dispositiones, etiam speciali mentione dignas, per hoc Decretum Nostrum abrogamus et abolemus, et pro abolitis et abrogatis, ac si nunquam prodissent, haberi volumus.

Simul per has litteras Nostras decernimus ac mandamus, ut deinceps illis in locis in quibus coniugia clandestina pro validis habentur, a quibusvis iudici-

¹ Sess. XXIV. Cap. 1. de Reform. matrim.

bus ecclesiasticis, in quorum foro causas eiusmodi matrimoniales agitari et iudicari contigerit, copula carnalis sponsalibus superveniens non amplius ex iuris praesumptione coniugalis contractus censeatur, nec pro legitimo matrimonio agnoscatu seu declaretur. Huius tamen auctoritate Decreti induci nolumus necessitatem formae Tridentinae servandae ad matrimonii validitatem, ubi illa forma modo non viget.

Datum Romae apud S. Petrum die 15 februarii MDCCCLXXXII, Pontificatus Nostri anno decimo quarto.
— LEO PP. XIII.

(Coll. P. F. n. 2179).

LXXIV.

SS. D. N. Leonis XIII. Litterae Apost. « Neminem fugit » de Consociatione Sacrae Familiae, cum annexis documentis. — 14 Iunii 1892.

Neminem fugit rei privatae et publicae faustitatem a domestica potissimum institutione pendere. Quo enim altiores domi egerit radices virtus, quo solertius parentum voce et exemplo fuerint puerorum animi ad religionis praecepta informati, eo uberiores in rem communem fractus redundabunt. Quapropter summo interest ut domestica societas non solum sancte sit constituta, sed sanctis etiam regatur legibus; in eaque religionis spiritus et christianae vitae ratio diligenter constanterque foveatur. Hinc profecto est quod misericors Deus cum humanae reparationis opus, quod diu saecula expectabant, perficere decrevisset, ita eisdem operis rationem ordinemque disposuit, ut prima ipsa eiusdem initia augustam mundo exhiberent spe-

ciem Familiae divinitus constitutae, in qua omnes homines absolutissimum domesticae societatis, omnisque virtutis ac sanctitatis intuerentur exemplar. Talis quidem Familia extitit Nazarethana illa, in qua, antequam gentibus universis pleno lumine emicuisset, Sôl iustitiae erat absconditus: nimirum Christus Deus Servator Noster cum Virgine Matre et Ioseph viro sanctissimo, qui erga Iesum paterno fungebatur munere. Minime dubium est quin ex iis laudibus, quae in societate et consuetudine domestica ex mutuis caritatis officiis, ex sanctitate morum, ex pietatis exercitatione proficiuntur, maxima quaeque enituerit in sacra illa Familia, quae siquidem earum futura erat ceteris documento. Ac propterea benigno Providentiae consilio sic illa constitit: ut singuli christiani quaecumque conditione vel loco, si ad eam animum advertant, facile possint cuiuscumque virtutis exercendae habere causam et invitamentum. Habent revera patresfamilias in Ioseph vigilantiae providentiaeque paternae praeclarissimam normam: habent matres in sanctissima Virgine Deipara amoris, verecundiae, submissionis animi perfectaeque fidei insigne specimen: filii vero familias in Iesu, qui *erat subditus illis*, habent divinum obedientiae exemplar quod admirentur, colant, imitentur. Qui nobiles nati sunt, discant a Familia regii sanguinis quomodo et in edita fortuna se temperent, et in afflictâ retineant dignitatem: qui dites, noscent ab ea quantum sint virtutibus posthabendae divitiae. Operarii autem et ii omnes, qui, nostris praesertim temporibus, familiarum rerum angustiis ac tenuiore conditione tam acriter irritantur, si ad sanctissimos illius domesticae societatis consortes respectent, non deerit eis causa cur loco, qui sibi obtigit, delectentur potius quam do-

leant. Communes enim cum sacra Familia sunt illis labores; communes curae de vita quotidiana: debuit et Ioseph de mercede sua vitae rationibus consulere; imo ipsae divinae manus se fabrilibus exercuerunt. Nec mirum sane est si sapientissimi homines divitiis affluentes, eas abicere voluerint, sociamque cum Iesu, Maria et Ioseph sibi eligere paupertatem. Quibus e rebus iure meritoque apud catholicos sacrae Familiae cultus mature inductus, maius in dies singulos incrementum capit. Id quidem probant tum christianorum sodalitates sub invocatione Sacrae Familiae institutae, tum singulares honores ei redditi, tum potissimum a decessoribus Nostris ad excitandum erga eam pietatis studium impertita privilegia et gratiae. Huiusmodi cultus magno in honore habitus est iam inde a saeculo decimo septimo, lateque per Italiam, Galliam et Belgium propagatus, totam fere Europam pervasit: deinde praetergressus vastos Oceani tractus, in America per Canadensem regionem, cura praesertim atque opera Venerabilis Servi Dei Francisci de Montmorency-Laval primi Quebecensis Episcopi, et Venerabilis Servae Dei Margaritae Bourgeoise, sese extendit, faustisque effloruit auspiciis. Postremis hisce temporibus dilectus filius Franciscus Philippus Francoz Societatis Iesu piam Consociationem a Sacra Familia Lugduni fundavit, quae fructus laetos atque uberes, Deo iuvante, de se pollicetur. Consociationi tam auspiciato conditae illud est salutare propositum: nimirum familias christianas arctiori pietatis nexu Sacrae Familiae devincire, vel potius omnino devovere, eo etiam consilio, uti scilicet Iesus, Maria et Ioseph familias sibi deditas tamquam rem propriam teneantur et foveant. Qui sociorum in numerum sunt adsciti, debent ex in-

stituto cum iis qui domi commorantur, in unum convenire, coram imagine Sacrae Familiae decreta pietatis officia praestare: providere, ea opitulante, ut inter se colligatis fide mentibus, caritate voluntatibus in amore Dei atque hominum, vitam ad propositum exigant exemplar. Piam hanc consociationem Bononiae ad instar Lugdunensis institutam decessor Noster felicis recordationis Pius IX. similibus litteris approbavit, deinceps Epistola die v. Ianuarii MDCCLXX. ad pium auctorem data, singularis laudis praeconio est prosecutus. Ad Nos quod attinet, cum summo opere curemus, et diligamus quaecumque ad animarum salutem iuvandam maxime valent, nolumus desiderari laudem et commendationem Nostram: datisque ad dilectum Filium Nostrum Augustinum, S. R. E. Cardinalem Bausa, ex dispensatione Apostolica Archiepiscopum Florentinum, litteris, eam Consociationem utilem ac salutarem, nostrisque temporibus valde accommodatam esse significavimus. Quas vero Nostra sacrorum Rituum Congregatio, suffragante dilecto Filio Nostro Caietano S. R. E. Presbytero Cardinali Aloisi-Masella eidem Congregationi Praefecto, consecrationis christianarum familiarum formulam, et precationem coram imagine Sacrae Familiae recitandam Nobis proposuerat, probavimus, et utramque ad locorum Ordinarios transmittendam curavimus. Deinde veriti ne germanus memoratae devotionis spiritus tractu temporis oblanguesceret, eidem Nostrae Sacrorum Rituum Congregationi mandavimus, ut Statuta concinnaret, quibus in universo catholico orbe pie consociationes sacrae Familiae instituendae adeo inter se coniunctae forent, ut unus omnibus praeficeretur praeses, qui eas auctoritate summa regeret et moderaretur. Statuta post accurate

tum examen ab eadem Sacra Congregatione exarata, sunt eadem quae subscribuntur.

Statuto della Pia Associazione universale delle famiglie consacrate alla Sacra Famiglia di Nazaret.*

1. Scopo della Pia Associazione si è che le famiglie cristiane si consacrino alla Sacra Famiglia di Nazaret e la proponano alla propria venerazione ed esempio, adorandola davanti la sua immagine con preghiera quotidiana, e modellando la vita sulle sublimi virtù, delle quali essa diede l'esempio ad ogni classe sociale, e particolarmente all'operaia.

2. La Pia Associazione ha il suo centro in Roma presso l'Emo Cardinale Vicario *pro tempore* di Sua Santità, che ne è il Protettore. Egli coadiuvato da Monsignor Segretario della Sacra Congregazione dei Riti e da due altri Prelati a sua scelta, ed oltre a questi da un Ecclesiastico coll'ufficio di *Segretario*, dirige l'Associazione medesima in tutte le parti del mondo, procurando che essa conservi lo spirito e il carattere della propria istituzione, e sempre più si propaghi.

3. In ogni Diocesi o Vicariato Apostolico, l'Ordinario per meglio promuovere la Pia Associazione tra i suoi fedeli, si varrà dell'opera di un ecclesiastico a sua scelta, col titolo di *Direttore Diocesano*.

4. I Direttori Diocesani, terranno corrispondenza coi Parrochi, a' quali soli è affidata l'iscrizione delle famiglie della rispettiva loro Parrocchia. Nel maggio poi di ciascun anno i Parrochi comunicheranno ai Di-

* Vide versiones hispanicam et lusitanam in docum. adnex.

rettori Diocesani, e questi, sotto la dipendenza dell'Ordinario, alla Sede centrale di Roma il numero delle nuove famiglie ascritte alla Pia Associazione.

5. La consacrazione delle famiglie si farà secondo la formola approvata e prescritta dal Sommo Pontefice Leone XIII. Essa può farsi in particolare da ciascuna famiglia, ovvero da più famiglie riunite nella Chiesa Parrocchiale presso il proprio Parroco, o suo Delegato.

6. L'immagine della Sacra Famiglia di Nazaret dovrà trovarsi in ciascuna delle famiglie ascritte, ed i membri di esse almeno una volta al giorno, e possibilmente la sera, pregheranno in comune innanzi la medesima. Si raccomanda a tal uopo in modo particolare la formola di preghiera approvata dal Regnante Sommo Pontefice, ed altresì l'uso frequente delle tre note giaculatorie.

Gesù, Giuseppe e Maria, vi dono il cuore e l'anima mia.

Gesù, Giuseppe e Maria, assistetemi nell'ultima agonia.

Gesù, Giuseppe e Maria, spiri in pace con Voi l'anima mia¹.

7. L'immagine della Sacra Famiglia può essere o quella menzionata nella Lettera della sa. me. di Pio IX del 5 Gennaio 1870, o qualunque altra in cui sia rappresentato il Nostro Signore Gesù Cristo nella sua vita nascosta che menò con la Bm̃a Vergine Sua Madre e col castissimo Sposo di Lei, San Giuseppe. Rimane però sempre nell'Ordinario, a norma del Tridentino, il diritto di escludere quelle immagini che

¹ Indulgenza *toties quoties* di 300 giorni per le tre unite, e di 100 giorni per ciascuna. — Pio Papa VII, 28 Aprile 1807.

non fossero secondo il concetto proprio di questa Associazione.

8. Le famiglie ascritte all'Associazione godono delle Indulgenze e dei vantaggi spirituali concessi dai Sommi Pontefici, come viene indicato nella pagella di aggregazione.

9. Il Cardinale Protettore col suo Consiglio formerà e pubblicherà un Regolamento, nel quale si troveranno particolari disposizioni intorno a ciò che può tornare più utile alla Pia Associazione, e specialmente s'indicheranno le sue Feste proprie, il giorno della Festa Titolare, la rinnovazione annua dell'atto di consacrazione da farsi collettivamente, le adunanze da tenersi, ecc.

Quae quidem Statuta, cum de iis supradictus Cardinalis Praefectus ad Nos retulisset, comprobavimus et Apostolica Auctoritate Nostra rata habuimus et confirmavimus, derogatis abrogatisque quae super hanc rem scita actaque sunt, nominatim Apostolicis Litteris die III Octobris anno MDCCCLXV datis, et omnibus actis, quae ad primariam Lugdunensem Consociationem spectant. Volumus autem, iubemus ut Consociationes omnes Sacrae Familiae cuiuscumque tituli, quae nunc existunt, in hanc unam et universam coalescant. Excipimus tamen religiosas Congregationes huius tituli quae constitutionibus utantur ab hac S. Sede approbatis, et Confraternitates proprie dictas, dummodo canonice sint erectae, et ad regulas et normas dirigantur a Romanis Pontificibus praescriptas, nominatim a Clemente VIII. in Constitutione *Quaecumque*, die VI Decembris anno MDCIV. Hae vero Confraternitates ac religiosas Congregationes, quae fortasse adscribendis familiis operam hactenus dederunt, in posterum ab

huiusmodi cura, quae solummodo Parochis commissa est, prorsus absteineant. Haud tamen necesse est ut familiae iam alicui Consociationi adscriptae, pro indulgentiis aliisque muneribus spiritualibus obtinendis iterum adscribantur, dummodo servant ea quae in novis hisce Statutis praescripta sunt. Consociationis universae Praesidem eligimus, renuntiamus Nostrum in hac alma Urbe Vicarium in spiritualibus generalem pro tempore, atque in perpetuum Patronum damus cum omnibus iuribus et facultatibus, quae nimirum potestatem gerenti iudicentur necessariae.

Illi autem Concilium adesse volumus Urbanorum Antistitem, in quibus Secretarius pro tempore Nostrae Sacrorum Rituum Congregationis. Quod superest, Nobis spes bona est omnes, quibus est animarum credita salus, maxime Episcopos, studii huius Nostrum in hac pia Consociatione provehenda socios ac participes sese facturos. Qui enim cognoscunt et Nobiscum deplorant christianorum morum demutationem et corruptelam, restinctum in familiis religionis et pietatis amorem, et accensas supra modum rerum terrestrium cupiditates, ipsi siquidem vel maxime optabunt tot tantisque malis opportuna afferri remedia.

Et siquidem nihil magis salutare aut efficax familiis christianis cogitari potest exemplo Sacrae Familiae, quae perfectionem absolutionemque complectitur omnium virtutum domesticarum. Quapropter curent ut familiae quamplurimae, praesertim operariorum, in quas insidiarum vis maior intenditur, piae huic Consociationi dent nomen. Cavendum tamen est ne a proposito suo Consociatio deflectat, neve spiritus immutetur; sed quae et quomodo decretae sunt pietatis exercitationes et preces integrae serventur. Sic implorati inter do-

mesticos parietes adsint propitii Iesus, Maria et Ioseph, caritatem alant, mores necesse est ut virtutem provocent imitatione sui, et quae undique instant mortales aerumnas, eas leniendo faciant tolerabiliores. Decernentes haec omnia et singula, uti supra edicta sunt, firma rataque in perpetuum permanere, non obstantibus constitutionibus, litteris Apostolicis, privilegiis, indultis, Nostris et Cancellariae Apostolicae Regulis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIV Iunii MCCCXCII, Pontificatus Nostrum Anno XV. — S. Card. Vannutelli.

ADNEKA DOCUMENTA.

A. — Leonis XIII. Litt. Apost. « Quum nuper ». — 20 Iunii 1892.

Quum nuper Nobis obtigisset, ut nova Statuta Consociationis Sacrae Familiae Apostolicis litteris probaremus et sanciremus, satis muneri atque Officio Nostrum facturos esse duximus, si eandem Consociationem amplissimis verbis collaudaremus, eamque christianis Familiis summopere commendaremus. Laudavimus autem, et commendavimus ea voluntate eoque proposito, ut nimirum populus christianus, cuius aeterna salus est Nobis commissa, ad christianarum virtutum laudem exemplo sacrae Familiae et invitatione Nostra temperate revocarentur. Christiana quippe virtus tam est efficax, tantumque pollet, ut in ea magnam partem posita sit vel sanatio malorum, quae premunt, vel depulsio periculorum, quae metuuntur. Ad virtutem vero mirifice excitantur homines exemplo; quod quidem eo magis imitatione dignum iudicatur, quo integrior et

sanctior est persona, unde petitur. Quare haud mirum est si Nos, qui nihil magis cupimus atque optamus, quam posse, excitata ubique virtute christiana, praesentibus malis mederi, et proxima pericula deprecari, Consociationem Sacrae Familiae singulari benevolentia et studio prosequimur, utpote quae sanctitatem divinae illius Familiae sibi proponit exemplar. Omnes enim ii, qui in huiusmodi Consociationem adsciti sunt, praeclarissimas Iesu, Mariae, et Ioseph virtutes contemplantes, necesse est ut similitudinem earum aliquam adripiant, fierique studeant imitatione meliores. Quare vigeat floreatque haec pia Consociatio quum sodalium numero, tum recte factorum laude; augeatur et ad plures in dies singulos propagetur: ea enim florente, facile fides, pietas, et omnis christiana laus in Familiis revirescent. Quum vero soleant homines permoveri maxime praemio; Nos, quod in facultate Nostra est, praemium spiritualium honorum, non quidem fragile et caducum, illis, quasi invitamentum, proponimus. Ceterum maiora expectent ab iis, quibus se devoerunt, nimirum a Iesu, Maria, et Ioseph, qui sint servis suis praesentes propitii in omni vitae cursu, et postmodum efficiant, ut sua sanctissima ac suavissima nomina illorum morientium labris insideant. Quare quod bonum sanctumque sit, Deique gloriae, et animarum saluti benevertat, Nos auctoritate Nostra Apostolica, his literis, poenarum remissionibus seu indulgentiis, privilegiisque, quae infra in apposito indice recensentur, omnes et singulos sodales Consociationis sacrae Familiae tam praesentes quam futuros uti posse volumus et iubemus.

INDEX INDULGENTIARUM ET PRIVILEGIORUM PIAE CONSOCIATIONI SACRAE FAMILIAE TRIBUENDORUM.

Indulgentiae Plenariae.

Sodalibus Consociationis Sacrae Familiae ex utroque sexu singulis, qui admissorum confessione ritu christiano expiati sacram Eucharistiam sumpserint, et Parochialem aedem, vel oratorium publicum, devote visitaverint, ibique aliquandiu ad mentem Nostram orando perstiterint, indulgentiam plenariam consequendi ius esto, diebus, qui infra scripti sunt:

I. Die quo Consociationem adierint, emissa Consociationis formula a Nobis per Nostram Rituum Congregationem probata, et in fine huius indicis relata.

II. Quo die in anno generalis conventus habebitur, iuxta cuiusque loci, in quo extat Consociatio, consuetudinem, ad sodalium pactum renovandum.

III. Diebus festivitatum

- | | |
|--|---------------|
| 1°. Nativitatis | } D. N. I. C. |
| 2°. Circumcisionis | |
| 3°. Epiphaniae | |
| 4°. Resurrectionis | |
| 5°. Ascensionis | |
| 6°. Immaculae Conceptionis | } B. M. V. |
| 7°. Nativitatis | |
| 8°. Annuntiationis | |
| 9°. Purificationis | |
| 10°. Assumptionis | |
| item diebus festis | |
| 11°. S. Ioseph Sponsi B. M. V. die undevigesima mensis Martii. | |

12°. Patrociniū eiusdem, Dominica tertia post Pascha.

13°. Desponsationis B. M. V. die vigesima tertia mensis Ianuarii.

IV. Die festo titulari universae Consociationis.

V. Die per menses singulos sodalium arbitrio eligendo, dummodo mense ipso in Familiis praescriptas preces coram Sacrae Familiae imagine una simul recitaverint.

VI. Morituris si, non compotes sacra Confessione atque Eucharistia, animi dolore culpas expiaverint, et sanctum nomen Iesu aut voce, aut si loqui posse desierint, voluntate imploraverint.

Partiales.

I.

Sodales Consociationis Sacrae Familiae ex utroque sexu singuli, qui corde saltem contriti Parochialem Ecclesiam, in qua est sedes Consociationis constituta, vel aliquod templum sacrariumve celebraverint, Deoque pro rei christianae incolumitate supplicaverint, lucrari possint et valeant partiales indulgentias septem annorum totidemque quadragenarum

1°. Die Visitationis

2°. Die Praesentationis } B. M. V.

3°. Die Patrociniū

4°. Quolibet die iidem sodales una simul in propriis Familiis adscriptis congregati, ante imaginem sacrae Familiae stas preces corde contrito recitaverint.

5°. Diebus, quibus sodales interfuerint conventibus, quos haberi contigerit.

II.

Iidem sodales indulgentias lucrentur trecentorum dierum quoties corde contrito sequentem Orationem ante imaginem Sacrae Familiae quocumque idiome recitaverint.

ORATIO

quotidie recitanda ante imaginem Sacrae Familiae.

« O amantissime Iesu, qui ineffabilibus tuis virtutibus et vitae domesticae exemplis, Familiam a te electam in terris consecrasti, clementer aspice nostram
« hanc domum, quae ad tuos pedes provoluta propitium te sibi deprecatur. Memento tuam esse hanc
« domum; quoniam tibi se peculiari cultu sacravit ac
« devovit. Ipsam benignus tuere, a periculis eripe, ipsi
« in necessitatibus occurre, et virtutem largire, qua in
« imitatione Familiae tuae sanctae iugiter perseveret;
« ut mortalis suae vitae tempore in Tui obsequio et
« amore fideliter inhaerens, valeat tandem aeternas
« tibi laudes persolvere in caelis.

« O Maria, Mater dulcissima, tuum praesidium
« imploramus, certi divinum tuum Unigenitum precibus tuis obsecuratum.

« Tuque etiam, gloriosissime Patriarcha sancte
« Ioseph, potenti tuo patrocinio nobis succurre, et
« Mariae manibus vota nostra Iesu Christo porrigenda
« submitte. »

Si vero sodales, qui vel infirmitate, vel alia causa impediti hanc Orationem recitare nequiverint, eandem indulgentiam lucrari poterunt, si devote quinques recitaverint Orationem dominicam, et salutationem Angelicam cum *Gloria Patri*.

III.

Ducentorum dierum indulgentiam sodales Consociationis consequantur semel in die, si iaculatorias preces quocumque idiomate effuderint ut infra:

« Gesù, Maria, Giuseppe, illumineci, soccorreteci, salvateci. Così sia ».

IV.

Centum dierum indulgentiam lucrifaciant sodales, qui operam dederint, ut Christianae Familiae huic piaee et universalis Consociationi sese adscribant.

V.

Indulgentiam sexaginta dierum lucentur sodales, quoties hi: 1° in Ecclesia Parochiali, in qua sedem habet Consociatio sacrosancto Missae sacrificio, aliisque divinis officiis devote adstiterint; 2° vel quinque recitaverint Orationem dominicam et salutationem Angelicam pro sodalibus defunctis; 3° vel familiarum dissidia composuerint, vel componenda curaverint; 4° vel Familias a iustitiae tramite devias, in viam salutis reducere studuerint; 5° vel pueros sive puellas christianis praeceptis imbuere sategerint; 6° vel aliud quodcumque pium opus peregerint, quod in bonum Consociationis cedat.

Sodalibus, si maluerint, omnibus et singulis indulgentiis supra dictis sive plenariis, sive partialibus labes poenasque defunctorum expiare liceat.

PRIVILEGIA.

Pro Sodalibus universis.

Missae, quae pro sodalibus defunctis quocumque in altari celebrabuntur, iisdem suffragentur ac si in altari privilegiato celebrarentur.

Pro Parochiis.

I. Privilegium altaris personalis tribus in qualibet hebdomada diebus; dummodo simili privilegio alia de causa non perfruantur.

II. Facultas benedicendi extra Urbem Coronas, Rosaria, Cruces, Crucifixos, parvas statuas ac numismata, eisque applicandi omnes et singulas indulgentias, quas Summi Pontifices adtribuere iisdem solent, ut describitur in apposito elencho; sed tantummodo exercenda pro sodalibus in Consociationem adscitis, die quo 1° christiani piam ingrediuntur Consociationem; et 2° solemniter renovetur pactum Consociationis.

Formula recitanda quocumque idiomate a christianis familiis quae se Sacrae Familiae consecravit.

« O Iesu Redemptor noster amabilissime, qui e caelo
« missus ut mundum doctrina et exemplo illustrares,
« maiorem mortalis tuae vitae partem in humili domo
« Nazarena traducere voluisti, Mariae et Iosepho sub-
« ditus, illamque Familiam consecrasti, quae cunctis
« christianis familiis futura erat exemplo; nostram hanc
« domum, quae Tibi se totam nunc devovet, benignus
« suscipe. Tu illam protege et custodi, et sanctum tui
« timorem in ea confirma, una cum pace et concordia
« christianae caritatis: ut divino exemplari Familiae

« tuae similis fiat, omnesque ad unum quibus ea con-
 « stat, beatitudinis sempiternae sint compotes.

« O amatissima Iesu Christi Mater et mater nostra
 « Maria, tua pietate et clementia fac ut consecrationem
 « hanc nostram Iesus acceptam habeat, et sua nobis
 « beneficia et benedictiones largiatur.

« O Ioseph, sanctissime Iesu et Mariae custos, in
 « universis animae et corporis necessitatibus nobis tuis
 « precibus succurre; ut tecum una et beata Virgine
 « Maria aeternas divino Redemptori Iesu Christo lau-
 « des et gratias rependere possimus ».

Atque haec omnia et singula, uti supra decreta
 sunt, ita firma, stabilia, rata in perpetuum esse volu-
 mus; non obstantibus Constitutionibus et Ordinationi-
 bus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Pi-
 scatoris, die xx Junii mcccxxvi, Pontificatus Nostri
 Anno xv. - S. Card. Vannitelli.

B. - *Estatutos de la Pia Asociación Universal de las
 Familias consagradas á la S. Familia de Nazareth.*

1. La Pia Asociación tiene por objeto que las fa-
 milias cristianas se consagren á la S. Familia de Naza-
 reth y la veneren é imiten, honrándola ante una imagen
 suya con oración cotidiana y modelando la vida á las
 sublimes virtudes de que Ella dió ejemplo á todas las
 clases sociales, particularmente á la obrera.

2. La Pia Asociación tiene su centro en Roma en
 la residencia del Eñño Cardenal Vicario *pro tempore*
 de Su Santidad, que es su Protector. Este ayudado de
 Mons. Secretario de la S. Congregación de Ritos y
 de otros dos Prelados á su elección y además de otro

eclesiástico con cargo de Secretario, dirige la Asocia-
 ción en todo el mundo, procurando que conserve el
 espíritu y el carácter de su institución y que se pro-
 pague más y más.

3. El Ordinario de la Diócesis ó Vicariato Apos-
 tólico, para promover mejor la Asociación entre sus
 fieles, se valdrá de un eclesiástico á su elección con
 el título de Director Diocesano.

4. Los Directores Diocesanos estarán en correspon-
 dencia con los Párrocos, que son los únicos encargados
 de la inscripción de las familias de su respectiva Par-
 roquia. En el mes de mayo comunicarán los Párrocos
 á los Directores Diocesanos y éstos bajo la depen-
 dencia del Ordinario á la Sede central de Roma, el
 número de las nuevas familias inscritas en la Asocia-
 ción durante el año.

5. La consagración de las familias se hará según
 la fórmula aprobada y prescrita por el Papa León XIII.
 Puede hacerla cada familia en particular, ó bien varias
 familias reunidas en la Iglesia Parroquial ante el propio
 Párroco ó su delegado.

6. Cada familia adscrita tendrá la imagen de la S. Fa-
 milia de Nazareth, ante la cual orarán sus miembros
 en común al menos una vez al día y al ser posible la
 noche. A este fin se recomienda de un modo particular
 la fórmula aprobada por el actual Sumo Pontífice, y
 el uso frecuente de las tres sabidas jaculatorias: ®

Jesus, José y María, os doy el Corazón y el alma mía.

Jesus, José y María, asistidme en la última agonía.

Jesus, José y María, espiré en paz con Vos el alma mía ¹.

¹ Indulgencia de 300 días *toties quoties* concedida por Pio VII en
 28 Abril 1807, é de 100 días por cada una separada.

7. La imagen de la S. Familia puede ser cualquiera, ó aquella mencionada en la Epístola de la s. m. de Pio IX, de 5 de Enero de 1870 ú otra cualquiera, en que se represente á Nuestro Señor Jesucristo en su vida privada á una con la Sñña Virgen su Madre y con el castísimo Esposo S. José; teniendo siempre el Ordinario, á norma del Tridentino, el derecho de escluir las imágenes que no se conformen con el objeto propio de esta Asociación.

8. Las familias adscritas á la Asociación gozarán de las Indulgencias y gracias espirituales concedidas por los Sumos Pontífices, según se indicará en la cédula de agregación.

9. El Cardenal Protector con su Consejo formará y publicará un Reglamento, en el cual se hallarán disposiciones particulares sobre lo que puede ser más útil á la Pia Asociación, y especialmente se indicarán las Fiestas propias, el día de la Fiesta Titular, la renovación anual del acto de consagración que se hará colectivamente, las reuniones que habrán de celebrarse, etc.

C. - Estatutos da Pia Associação universal das Famílias consagradas a Sagrada Família de Nazareth.

I. O fim desta pia Associação é fazer com que as famílias christãs se consagrem á Sagrada Família de Nazareth e a tomem por modelo, venerando-a perante a sua imagem com preces quotidianas e amoldando a vida nas sublimes virtudes, de que ella den exemplo para todas as classes sociaes, mórmente para a classe operaria.

II. Esta pia Associação tem o seu Centro em Roma

juncto do Eminentissimo Cardeal Vigario *pro tempore* de Sua Sanctidade, que é o seu Protector.

Elle, coadjuvado pelo Monsenhor Secretario da Sagrada Congregação dos Ritos et por outros dois Prelados de sua escolha, e tambem por um Ecclesiastico com o officio de Secretario, dirige a mesma Associação em todas as partes do mundo, procurando fazer com que ella conserve o espirito e o caracter da propria instituição, e cada vez mais se propague.

III. Em cada Diocese ou Vicariato Apostolico, o Exmo. e Revmo. Ordinario, afim de melhor promover entre os fieis os sanctos intuitos desta Associação, servir-se-á da cooperação de um Ecclesiastico de sua escolha, com o titulo de *Director Diocesano*.

IV. Os Directores Diocesanos entreterão correspondencia com os Parochos, aos quaes exclusivamente pertence a inscripção das famílias de suas respectivas parochias. No mez de Maio de cada anno os Parochos communicarão ao Director Diocesano, e este, sob a dependencia do Exmo. e Revmo. Ordinario, ao Centro de Roma, o numero das novas famílias admittidas na Pia Associação.

V. A consagração das famílias far-se-á segundo a formula approvada e prescripta pelo Summo Pontífice Leão XIII.

Podem facel-a, ou cada familia em particular, ou varias famílias reunidas na Igreja Matriz perante o proprio Parocho ou seu substituto.

VI. A imagem da Sagrada Família de Nazareth deve achar-se em casa de cada uma das famílias inscriptas, e perante ella, ao menos uma vez por dia, de preferencia á noite, todos os membros de cada familia rezarão em commum.

Para tal fim recommenda-se de modo especial a formula de oração approvada pelo actual Summo Pontífice, e tambem o uso frequente das tres Jaculatorias:

« Amado Jesus, José e Maria, o meu coração vos don e a alma minha ».

« Amado Jesus, José e Maria, assisti-me na ultima agonia. »

« Amado Jesus, José e Maria, expire em paz entre vós a alma minha ».

(Indulgencia *loties quoties* de 300 dias pelas tres jaculatorias seguidas, e de 100 dias por cada uma. Pio VII. 28 de Abril de 1807.)

VII. A imagem da Sagrada Familia pôde ser ou aquella mencionada pelo Summo Pontífice Pio IX de sancta memoria, em documento de 5 de Janeiro de 1870; ou qualquer outra em que esteja representado Nosso Senhor Jesu-Christo na vida occulta que passou com a Sanctissima Virgen Sua Mãe, e com o seu Castissimo Pae Putativo S. José.

Fica sempre salvo ao Exmo. e Revmo. Ordinario, segundo determina o Concilio Tridentino, o direito de excluir as imagens que não forem adequadas ao ideal característico desta Associação.

VIII. As familias inscriptas nesta Associação gozadas das Indulgencias e das vantagens espirituas concedidas pelos Summos Pontífices, conforme adiante se indicará.

IX. O Cardeal Protector com o seu Conselho formará e publicará um Regulamento, em que se encontrarão disposições particulares acerca daquillo que pôde redundar em vantagem desta pia Associação, e especialmente se indicarão as suas festas proprias, o dia

de Festa Titular, a renovação annual do acto de consagração que se deve fazer collectivamente, as reuniões, etc.

D. — *Decretum S. Cong. Rituum.* — 13 Febr. 1892.

DUBIA. — Postquam litterae a Sacra Rituum Congregatione, die 10 Decembris 1900, de cultu Sacrae Familiae singularum Dioecesium Ordinariis transmissae fuerunt, eidem Sacrae Congregationi sequentia dubia proposita sunt, nimirum:

I. An Seminaria, Collegia, Congregationes et Religiosae Familiae possint per formulam novissime a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII. approbatam semet Sacrae Familiae consecrare, itemque Paroeciae, Dioeceses ac Regiones?

II. Praes ab eodem Sanctissimo Domino Nostro itidem approbatae atque indulgentiis ditatae a singulis Familiis coram imagine Sacrae Familiae recitandae, possuntne in Ecclesiis publicis usurpari?

III. Licetne familiis, quae iam speciali ratione Sancto Ioseph se consecrarunt, semet Sacrae Familiae dedicare?

IV. Quum permultae orationes, litaniae, formulae consecrationis Sacrae Familiae et alia huiusmodi in pluribus locis circumferantur, quomodo providendum?

Et Sacra eadem Congregatio in Ordinario Coetu ad Vaticanum subsignata die coadunata, referente me infrascripto Cardinali Praefecto, omnibus rite perpensis, sic scribere rata est:

Ad I. Quoad Seminaria, Collegia et singulas Domos Congregationum ac Familiarum Religiosarum, *Affirmative*; quoad Paroecias, provisum per consecra-

tionem familiarum in singulis Paroeciis; quoad cetera
Non expedire:

Ad II. *Affirmative*, sed coram Imagine Sacrae Familiae:

Ad III. *Affirmative*:

Ad IV. Quoad litanias, comprehendi sub universali vetito Litaniarum, quae explicite approbatae non fuerint a Sede Apostolica; quoad orationes, formulas consecrationis aliasque preces sub quovis titulo ad Sacram Familiam honorandam adhibitas, mittendas esse ab Ordinariis locorum, nec non a Superioribus Religiosarum Congregationum, ut debito examini subiciantur; secus in posterum licite usurpari nequeant. Die 13 Februarii 1892.

De his autem facta Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII. per me. infrascriptum Cardinalem Praefectum relatione, Sanctitas Sua resolutiones Sacrae eiusdem Congregationis ratas habuit, et confirmavit. Die 18, iisdem mense et anno. — Caietanus Cardinalis Aloisi-Masella, S. R. C. Praefectus. — Vincentius Nussi, S. R. C. Secretarius.

E. — *Decret. Vicariatus Urbis. Piae Consociationis Sacrae Familiae Regulae.* — 8 Ian. 1893.

I. FINIS. — In brevi Apostolico *Neminem fugit*, a SSmo D. N. Leone PP. XIII, die 14 mensis Iunii 1892 pro universo terrarum orbe promulgato, habetur, Piae Consociationi a S. Familia id esse propositum: « Familias christianas arctiori pietatis nexu sacrae Familiae devincire, vel potius omnino devovere, eo etiam consilio, uti scilicet Iesu, Maria, Ioseph familias sibi deditas tamquam rem propriam tueantur et foveant »;

quare omnes, quicumque ad eam pertinent societatem, oportere contendere ut « inter se colligatis fide mentibus, caritate voluntatibus, in amore Dei atque hominum, vitam ad propositum exigant exemplar ». — Ad haec facilius certiusque assequenda, Cardinalis vice sacra Urbis antistes, ab Ipso Pontifice Maximo Leone XIII Consociationis universae Praeses electus datusque Patronus, audito coetu a consiliis, haec quae sequuntur servanda decrevit.

II. ADIMPLENDA MUNERA. — a) Cardinalis Praesidis erit, coctus virorum a consiliis, quando Ipsi opportunum videbitur, indicare eisque praeesse, litteras ad Episcopos dioecesanos, pro suis quemque negotiis, itemque paginas aggregationis atque eiusmodi alia subscribere. Eiusdem erit paroeciarum numerum ac familiarum recipere, quae per varias orbis regiones in Piae Consociationis alium fuerint adscriptae. Sacris coetibus ac religionis solemnibus, quae a Pia Consociatione celebrari in urbe contigerit, vel Ipse praeserit, vel alius ab Eo sufficiens antistes. Sui denique muneris erit, de omnibus, quae piam hanc Societatem spectent, per consiliarios suos edoceri, praesertim in iis, quae ab his possent ex officio fieri, vel quae aliquam difficultatem praesefere videantur.

b) Trium (quorum alter est a secretis pro tempore S. Rituum Congregationis), quos Cardinalis Praeses sibi adscivit, urbanorum Antistitum erit diligenter conventibus interesse, suam sententiam dicere, significare Praesidi si quid noverint Piae Societati profuturum, in omnia, quae ad huius bonum referantur, sedulo incumbere.

His accedit Sacerdos, qui fungatur munere Secretarii Piae Societatis, ad id electus a Cardinali Praeside.

Huic curae erit, graviora, quae in conventibus occurrant pertractanda negotia, adnotare; quae ad rei incrementum collatura duxerit, proponere; scriptis edendis a Pia Consociatione vigilem navare operam; de omnibus ac singulis communicare cum Praeside, ut et necessaria adprobatione et duplici subscriptione muniantur.

Porro Sacerdos a secretis adsciscere sibi in auxilium poterit alium Presbyterum, a Praeside adprobandum, qui Secretarii vices adimpleat. Ad eum itaque pertinebit dandas ad Episcopos aliosve litteras exarare eorumque epistolis rescribere, prout a Cardinali Praeside fuerit edoctus, cui et Secretario postea tradet subscribendas. Penes ipsum erit pluteus, sive archivum, quo scripta, libellos, sacras imagines, aggregationis paginas et alia eiusmodi servabit in usum Sodalium, prout Piae Consociationis consilium constituerit. Agendas sibi expensas ipse describat et Praesidi referat, cui etiam rationem reddet.

III. EXTRA URBEM. — a) Episcopi dioecesani erit aliquem e suis Sacerdotibus, quantum fieri possit digniorem, eligere ad munus Moderatoris, huius studium excitare in bonum Piae Consociationis quo alacriorem operam in omnibus, quae ipsum spectaverint afferat, sedulo advigilare; ab ipso electo Moderatore de omnibus velle doceri quae ad Piae Consociationis bonum referantur.

b) Ad dioecesanum Moderatorem pertinebit Moderatores parochiales opera et consilio iuvare, ut pari alacritate ac prudentia sese in omnibus gerant. Ab unoquoque eorum saepe numerum et nomina exquirat familiarum, quae Piae Consociationi fuerint adscriptae, de quibus edoceri deinde possit. Neque harum modo, sed et nomina descriptarum paroecciarum in

tabulis recensenda curabit; mox earum exemplar ad Urbem mittet.

c) Paroecciarum Rectores singuli Moderatoris officium inter oves sibi creditas assumant obeantque. De suae quisque Consociationis negotiis cum Moderatore dioecetano communicet, cuius auctoritate, consilio, opera iuvari possint. Familias paroecciae in sociorum numerum adscisci cupientes in tabulas referet, palamque Moderatori dioecetano faciet. Quotannis, stato die, paroecciae familias recensere studebit novasque, si fieri possit, in album Societatis inscribendas curabit. Quo autem Sacrae Nazarethanae Familiae cultus honorque foveatur magis, sermonem interdum de pia Consociatione ad oves suas habeat, quum in festis peculiaribus Domini, Deiparae ac S. Iosephi, tum maxime quum Sodalium pactum erit solemniter renovandum, vel etiam quum in parochiali Ecclesia religiosam aliquam eiusdem S. Familiae solemnitatem celebrari contingat, quam et indicere et dirigere prudenti eius arbitrio relinquatur. Idem, si opportunum videbitur, auxiliares viros ac mulieres moribus et pietate praestantes in parte laboris adsumat, qui rei provehendae omni studio dent operam.

d) Delecti ex utroque sexu rei provehendae, alteri inter viros, alterae inter mulieres, ab suo edocti Parocho, in Piae Consociationis incrementum magno studio prudentiaque incumbent, adhibitis, quae ad rem sunt validissima, precibus, hortationibus, virtutum exemplis. Praeterea in omnibus, pro quibus eorum opera uti Parochi in Domino iudicaverint, dociles omnino se praebeant.

IV. SERVANDA A FAMILIIS ADSRIPTIS. — a) In honorem Nazarethanae Familiae studeat, quicumque ei dede-

rit nomen, similitudinem aliquam earum virtutum adripere, quarum Iesus, Maria, Ioseph praeclarissima in terris exempla prodiderunt, quum omnibus, tum maxime iis, qui labore manuum victum quaerunt. Sed ad illas in primis animum adiciant, quae sanctitatem domesticae societatis spectant, uti sunt mutua caritatis officia, praesertim inter coniuges, filiorum recta institutio horumque obedientia et obsequium in parentes, pax et concordia domi aliaque huiusmodi. Itaque a vitis omnino caveant, ab iis maxime quae singularem infamiae notam Christiano homini inurant, quaeque Ipsi Sacrae Familiae iniuriam videantur asferre praecipuum, cuius generis sunt impia verba aut obscena, ebrietas, incompositi mores, hisque similia.

δ) Ad Poenitentiae et Eucharistiae Sacramenta solemnioribus saltem anni diebus pie accedent, praesertim quo die Familiarum consecratio renovabitur.

ε) Ecclesiae praecepta, in tanta morum demutatione ac corruptela tam parvi habita suaviter observari curabunt, ea potissimum ex quorum custodia aliis bona exempla derivant, uti auditio sacri festis diebus, abstinentia, praescripto tempore, a cibis vitetis, aliaque eiusmodi.

δ) Peculiari honore celebranda curabunt festa Piae Consociationis propria, quae plenaria indulgentia a Summo Pontifice fuere ditata, in primisque solemnem constitutum diem in honorem Sacrae Familiae, qui dies erit per universum orbem Dominica infra octavam Epiphaniae, quo simul, nisi aliter expedire Moderato-ribus parochialibus in Domino visum fuerit, ritus consecrationis renovabitur.

ε) Dent operam ut, semel saltem in die, ante Sacrae Familiae imaginem communes fundantur preces,

in quibus praecipua ratione commendatur Rosarii in honorem Deiparae recitatio.

f) Pietatis exercitationes, quas diximus, exixe commendantur iis, qui ad Piam Consociationem pertinent, nullatenus tamen eorum onerata conscientia.

Datum Romae ex Aedibus Vicariatus, Dominica infra Octav. Epiph., die 8 Ianuarii 1893. — L. M. Card. Vic., Praeses. — C. Mancini, a Secretis.

F. — *Responsum Vicariatus Urbis ad Dubia de erectione Confraternitatum Sacrae Familiae.* — 7 Apr. 1893.

I.

Rñe Domine. — Eñus Card. Paroeci, Archiconfrat. S. Familiae Praeses, per me infrascriptum propositis dubiis respondet:

I. An requiratur in singulis paroeciis erectio canonica ab Episcopo ad instar Confraternitatum proprie dictarum? — Resp. *Negative*; fit per diploma quod Eñus Praeses mittet.

II. An requiratur declaratio authentica, per diploma in scriptis vel alio modo ab Episcopo vel moderatore de erectione consociationis in singulis paroeciis? — Resp. *Negative*; sed moderator servet quae in Regulis habentur (III, δ).

III. An pro lucrandis Indulgentiis requiratur ut a singulis parochiis obtineatur pagina aggregationis a Card. Praeside subscripta, uti innuere videntur regulae (II, a), ad modum aggregationis Confraternitatum proprie dictarum? — Resp. *Affirmative et ad mentem.* Mens vero est, ut Episcopus, uno accepto ab Eño Praeside diplomate, reliqua ipse curabit imprimi ad normam illius, et singulis familiis consociatis tradet.

IV. An festum S. Familiae, associationis primum, die Dominica infra Oct. Epiphaniae, etiam iis in dioecibus recoli debeat, in quibus ea die fit in choro solemnitas Epiphaniae? - *Resp. Affirmative*; sed Episcopus aliam festivitatem seligere potest pro sua prudentia.

Romae, ex Aedibus Vicariatus die 7 Aprilis 1893.
- Raphael Chimenti, Pro-Secret. Conf. S. Fam. (Rñõ Dño Karst, Vic. gen. Dioec. Meten.).

II.

Dub. I. An sufficiat ut parochus solum nomen patris vel capitis familiae in tabulas Consociationis Sacrae Familiae referat, vel singula familiae membra inscribere debeat? - *Resp. Negative* ad primam partem, affirmative ad secundam.

Dub. II. An parochus pro inscriptione familiarum alterum sacerdotem delegare possit? - *Resp.* Nil vetat quominus parochus in familiarum inscriptione sacerdotem adhibeat adiutorem.

Dub. III. An sufficiat ut familiae in sociorum numerum adscisci cupientes hoc suum desiderium per litteras vel interpositas personas parochi intiment, vel omnino requiratur ut caput familiae vel eiusdem membrum quoddam coram parochi etiam in finem personaliter compareat? - *Resp.* Omnino decet ut caput familiae se personaliter sistat apud parochum.

LXXV.

S. Congr. EE. et RR. decretum «Auctis admodum» de Institutis votorum simplicium et de ordinationibus Regularium. — 4 Nov. 1892.

Auctis admodum ex singulari Dei beneficio votorum simplicium Institutis, uti multa inde bona oriuntur, ita aliqua parit incommoda facilis alumnorum huiusmodi societatum egressus, et consequens, ex iure constituto, regressus in dioecesim originis. Haec autem graviora efficit temporalium bonorum inopia qua nunc Ecclesia premitur, unde Episcopi saepe providere nequeunt ut illi vitam honeste traducant. Haec, aliaque id genus, etiam de alumnis Ordinum votorum solemnium, perpendentes nonnulli Sacri locorum Antistites, pro Ecclesiastici ordinis decore et fidelium aedificatione, ab Apostolica Sede enixis precibus postularunt, remedium aliquod adhiberi. Cum ergo totum negotium Sanctissimus D. N. Leo PP. XIII detulisset Sacrae huic Congregationi Episcoporum et Regularium Negotiis et Consultationibus praepositae, Eñi Patres in Conventu Plenario habito in Vaticano aedibus die 29 mensis Augusti anni 1892, praevio maturo examine ac discussione, perpensaque universa rei ratione, opportunas edere censuerunt dispositiones per generale decretum ubique locorum perpetuis futuris temporibus servandas. Quas cum SS. D. N. in Audientia d. 23 Sept. huius anni 1892 infrascripto Secretario benigne impertita probare et confirmare dignatus fuerit, ea quae sequuntur per praesens decretum Apostolica Auctoritate statuuntur et decernuntur.

I. Firmis remanentibus Constitutione S. Pii V diei 14 Octob. anni 1568, incipient. *Romanus Pontifex*, et declaratione sa. me. Pii PP. IX edita die 12 mensis Iunii anni 1878, quibus Superioribus Ordinum Regularium prohibetur, ne litteras dimissoriales concedant Novitiis aut professis votorum simplicium triennialium, ad hoc ut titulo Paupertatis ad SS. Ordines promoveri valeant, eadem dispositiones extenduntur etiam ad Instituta votorum simplicium, ita ut horum Institutorum Superiores non possint in posterum litteras dimissoriales concedere pro SS. Ordinibus, vel quomodocumque ad sacros Ordines alumnos promovere titulo Mensae communis vel Missionis, nisi illis tantum alumni, qui vota quidem simplicia, sed perpetua iam emisierint, et proprio Instituto stabiliter aggregati fuerint; vel qui saltem per triennium permanserint in votis simplicibus temporaneis quoad ea Instituta quae ultra triennium perpetuam differunt professionem. Revocatis ad hunc effectum omnibus indultis ac privilegiis iam obtentis a S. Sede, necnon dispositionibus contrariis in respectivis Constitutionibus contentis, etsi tales Constitutiones fuerint a S. Sede Apostolica approbatae.

II. Hinc notum sit oportet de generali regula haud in posterum dispensatum iri, ut ad Maiores Ordines alumnus Congregationis votorum solemniū promoveatur quin prius solemnem professionem emisierit, vel per integrum triennium in votis simplicibus perseveraverit, si alumnus Instituto votorum simplicium sit adductus. — Quod si interdum causa legitima occurrat, cur quispiam Sacros Ordines suscipiat triennio nondum expleto, peti poterit ab Apostolica Sede dispensatio, ut Clericus vota solemnia nuncupare possit quamvis non expleverit triennium, quoad Instituta vero votorum

simplicium, ut vota simplicia perpetua emittere possit, quamvis non expleto tempore a respectivi Instituto Constitutionibus praescripto pro professione votorum simplicium perpetuorum.

III. Dispositiones contentae in decreto S. C. Concilii iussu sa. me. Urbani VIII edito die 21 Septembris 1624 incipient. *Sacra Congregatio*, ac in decreto eiusdem S. C. iussu sa. me. Innocentii XII edito die 24 mens. Iulii anni 1694, incipient. *Instantibus*, ac in aliis decretis generalibus, quibus methodus ordinatur a Superioribus Ordinum Regularium servanda in expellendis propriis alumni, nedum in suo robore manent, sed servandae imponuntur etiam Superioribus Institutorum votorum simplicium, quoties agatur de aliquo alumno vota simplicia quidem sed perpetua professo, vel votis simplicibus temporaneis adstricto ac in sacris insuper Ordinibus constituto dimittendo; ita ut horum neminem et ipsi dimittere valeant, ut nunc dictum est, nisi ob culpam gravem, externam, et publicam, et nisi culpabilis sit etiam incorregibilis. Ut autem quis incorregibilis revera habeatur, Superiores praemittere debent, distinctis temporibus, trinam admonitionem et correctionem; qua nihil proficiente, Superiores debent processum contra delinquentem instruere, processus resultantia accusato contestari, eidem tempus congruum concedere, quo suas defensiones sive per se, sive per alium eiusdem Instituti religiosum, exhibere valeat; quod si accusatus ipse proprias defensiones non praesentaverit, Superior, seu Tribunal, defensorem, ut supra, alumnus respectivi Instituti ex officio constituere debebit. Post haec Superior cum suo Consilio sententiam expulsionis aut dimissionis pronuntiare poterit, quae tamen nullum effectum habebit si condemnatus a sen-

tentia prolata rite ad S. C. EE. et RR. appellaverit, donec per eandem S. C. definitivum iudicium prolatum non fuerit. — Quoties autem gravibus ex causis procedendi methodus supradicta servari nequeat, tunc recursus haberi debeat ad hanc S. C. ad effectum obtinendi dispensationem a solemnitatibus praescriptis, et facultatem procedendi summario modo iuxta praxim vigentem apud hanc S. C.

IV. Alumni votorum solemnium, vel simplicium perpetuorum, vel temporalium, in Sacris Ordinibus constituti, qui expulsi vel dimissi fuerint, perpetuo suspensi maneat, donec a S. Sede alio modo eis consulatur; ac praeterea Episcopum benevolam receptorem invenerint, et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint.

V. Qui in Sacris Ordinibus constituti et votis simplicibus obstricti sive perpetuis, sive temporalibus, sponte dimissionem ab Apostolica Sede petierint et obtinuerint, vel aliter ex Apostolico privilegio a votis simplicibus vel perpetuis vel temporaneis dispensati fuerint, ex claustrum non exeant, donec Episcopum benevolam receptorem invenerint, et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint, secus suspensi maneat ab exercitio susceptorum Ordinum. Quod porrigitur quoque ad alumnos votorum simplicium temporalium qui quovis professionis vinculo iam forent soluti, ob elapsam tempus quo vota ab ipsis fuerunt nuncupata.

VI. Professi tum votorum solemnium, tum simplicium ab Ordinariis locorum ad Sacros Ordines non admittantur, nisi, praeter alia a iure statuta, testimoniales litteras exhibeant, quod saltem per annum sacrae theologiae operam dederint, si agatur de subdiaconatu, ad minus per biennium, si de diaconatu, et quoad presby-

teratum, saltem per triennium, praemisso tamen regulari aliorum studiorum curriculo.

Haec de expresso Sanctitatis Suae mandato praefata Sacra Congregatio constituit atque decernit, contrariis quibuscumque etiam speciali et individua mentione dignis minime obstantibus.

Datum Romae, ex Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium, die 4 novembris 1892.

I. Card. Verga, Praefectus. — † Ios. M. Arch. Caesariensis, Secretarius.

LXXVI.

S. Congr. Indulgent. Decretum de Tertio Ordine. — 31 Ian. 1893.

Tertii Ordinis saecularis S. Francisci Assisiensis. — Huic Sacrae Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae sequentia dubia, quae Tertiarios Saeculares S. Francisci Assisiensis aliorumque Ordinum respiciunt, dirimenda sunt proposita.

I. — An Tertius Ordo Saecularis S. Francisci tenetur lege illa a Clemente Papa VIII in Constitutione *Quaecumque* d. d. 7 Decembris 1604 statuta, qua praecipitur unam tantum Confraternitatem et Congregationem eiusdem nominis et instituti erigi posse in singulis civitatibus et oppidis?

II. — Utrum ad erigendam novam Congregationem Tertii Ordinis sive in Ecclesiis Regularium sive non Regularium necessario requiratur consensus Ordinarii loci?

III. — Utrum Episcopus loci visitare possit Tertiariarum Congregationes etiam in Regularium Ecclesiis?

tentia prolata rite ad S. C. EE. et RR. appellaverit, donec per eandem S. C. definitivum iudicium prolatum non fuerit. — Quoties autem gravibus ex causis procedendi methodus supradicta servari nequeat, tunc recursus haberi debeat ad hanc S. C. ad effectum obtinendi dispensationem a solemnitatibus praescriptis, et facultatem procedendi summario modo iuxta praxim vigentem apud hanc S. C.

IV. Alumni votorum solemnium, vel simplicium perpetuorum, vel temporalium, in Sacris Ordinibus constituti, qui expulsi vel dimissi fuerint, perpetuo suspensi maneat, donec a S. Sede alio modo eis consulatur; ac praeterea Episcopum benevolam receptorem invenerint, et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint.

V. Qui in Sacris Ordinibus constituti et votis simplicibus obstricti sive perpetuis, sive temporalibus, sponte dimissionem ab Apostolica Sede petierint et obtinuerint, vel aliter ex Apostolico privilegio a votis simplicibus vel perpetuis vel temporaneis dispensati fuerint, ex claustrum non exeant, donec Episcopum benevolam receptorem invenerint, et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint, secus suspensi maneat ab exercitio susceptorum Ordinum. Quod porrigitur quoque ad alumnos votorum simplicium temporalium qui quovis professionis vinculo iam forent soluti, ob elapsam tempus quo vota ab ipsis fuerunt nuncupata.

VI. Professi tum votorum solemnium, tum simplicium ab Ordinariis locorum ad Sacros Ordines non admittantur, nisi, praeter alia a iure statuta, testimoniales litteras exhibeant, quod saltem per annum sacrae theologiae operam dederint, si agatur de subdiaconatu, ad minus per biennium, si de diaconatu, et quoad presby-

teratum, saltem per triennium, praemisso tamen regulari aliorum studiorum curriculo.

Haec de expresso Sanctitatis Suae mandato praefata Sacra Congregatio constituit atque decernit, contrariis quibuscumque etiam speciali et individua mentione dignis minime obstantibus.

Datum Romae, ex Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium, die 4 novembris 1892.

I. Card. Verga, Praefectus. — † Ios. M. Arch. Caesariensis, Secretarius.

LXXVI.

S. Congr. Indulgent. Decretum de Tertio Ordine. — 31 Ian. 1893.

Tertii Ordinis saecularis S. Francisci Assisiensis. — Huic Sacrae Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae sequentia dubia, quae Tertiarios Saeculares S. Francisci Assisiensis aliorumque Ordinum respiciunt, dirimenda sunt proposita.

I. — An Tertius Ordo Saecularis S. Francisci tenetur lege illa a Clemente Papa VIII in Constitutione *Quaecumque* d. d. 7 Decembris 1604 statuta, qua praecipitur unam tantum Confraternitatem et Congregationem eiusdem nominis et instituti erigi posse in singulis civitatibus et oppidis?

II. — Utrum ad erigendam novam Congregationem Tertii Ordinis sive in Ecclesiis Regularium sive non Regularium necessario requiratur consensus Ordinarii loci?

III. — Utrum Episcopus loci visitare possit Tertiiorum Congregationes etiam in Regularium Ecclesiis?

IV. — An religiosi, qui sua iam vota nuncupaverunt in proprio Instituto approbato vel ab Apostolica Sede, vel ab Ordinario loci, ante decretum in una Veronensi editum sub die 16 Iulii 1886 et iam Tertio Ordini S. Francisci adscripti reperiebantur, post praefatum Decretum adhuc pergant ad eundem Tertium Ordinem pertinere eiusque gratiis et privilegiis gaudere?

V. — An saeculares Tertiarii Francisciales ingredienti religiosum aliquod institutum, etiam ante religiosam professionem teneantur dimittere habitum Tertii Ordinis, et hoc ipso non amplius perfruantur eiusdem gratiis et privilegiis?

VI. — An idem Veronense Decretum vim legis habeat etiam pro Tertiariis caeterorum Ordinum, puta Ordinis S. Dominici, SSmae Trinitatis, etc.?

VII. — Possuntne fideles, qui ad unam Congregationem Tertiariorum pertinent, transire ad aliam pariter erectam in eodem vel alio loco, quin Indulgentias et Privilegia amittant?

VIII. — An Tertiarius Franciscalis possit transire ad alium Tertium Ordinem alterius Regulae, ex. gr. ad illum S. Dominici etc., et vicissim?

IX. — An fideles, qui inter Tertiarios unius Ordinis fuerint cooptati, cooptari etiam valeant inter Tertiarios alterius Ordinis, puta S. Dominici, vel SSmae Trinitatis etc., ita ut aliquis Christianus evadere simul possit Tertiarius Franciscalis, S. Dominici, SSmae Trinitatis, Ordinis Carmelitici, et ita porro?

X. — An expediat concedere omnia privilegia, gratias et indulgentias a Summis Pontificibus directe et speciatim primo et secundo Ordini S. Francisci concessa, extendi etiam ad omnes qui Tertio Ordini saeculari nomen dederunt?

XI. — An expediat concedere Indulgentiam *Portuiculae* nuncupatam, ab omnibus fidelibus toties die 2 Augusti lucrandam, quoties quaecumque visitent Ecclesiam, in qua legitime erecta est Congregatio Tertii Ordinis Saecularis S. Francisci?

XII. — An expediat concedere Tertiariis saecularibus S. Francisci ut lucrari valeant Indulgentiam tam omnibus fidelibus Ecclesias Franciscas visitantibus concessas, quam illas quae Tertii Ordinis saecularis sunt propriae, ea conditione, ut Ecclesiam parochialem visitent in omnibus illis locis, ubi neque Ecclesiae Franciscas primi, secundi aut tertii Ordinis regularis, neque Oratoria publica tertii Ordinis saecularis aut alia Ecclesia, in qua canonice erecta sit Congregatio tertii Ordinis saecularis, existant?

XIII. — An Tertiarii saeculares S. Francisci degentes in locis, ubi nulla adsit eorumdem Tertiariorum constituta Congregatio, recipere valeant Benedictionem papalem bis in anno eisdem concessam a quocumque sacerdote, eo quod vel nequeant accedere, aut saltem difficilis sit accessus ad locum in quo a sacerdotibus debita facultate munitis praefatae benedictiones imperantur?

XIV. — An saltem expediat praedictis Tertiariis Franciscalibus saecularibus, bis in anno, loco Benedictionis nomine Summi Pontificis recipiendae, duas alias Absolutiones seu Benedictiones concedere cum adnexa Plenaria Indulgentia?

XV. — Ex Constitutione « *Misericors Dei Filius* » Tertiarii Franciscas gaudent Indulgentiis Stationum Urbis. Iam vero ex opere cui titulus « *Raccolta di Orazioni e pie opere ecc.* » ad acquirendas Indulgentias stationales praeter condiciones consuetas sinceram con-

tritionis, confessionis et communionis « a seconda della Indulgenza da lucrarsi », sufficit visitatio solius Ecclesiae ubi est, vel supponitur esse Statio. Quaeritur utrum hoc etiam valeat pro indulgentiis Stationum, quae in supradicta Constitutione Tertiariis conceduntur, ita ut a Tertiariis sit peragenda Confessio et Communio suscipienda eo tantum in casu, quo concessa est indulgentia plenaria, non vero quando concessa est partialis?

XVI. — Utrum, demptis Tertiariis saecularibus S. Francisci et Servorum B. Mariae Virginis, quibus per Constitutionem « *Misericors Dei Filius* » et Rescriptum diei 13 Decembris 1883 respective provisum est, Tertiarii saeculares aliorum Ordinum gaudeant communicatione Indulgentiarum sive cum respectivo Ordine, ad quem pertinent, sive cum aliis Tertiariis et eorum Ordinibus?

XVII. — Utrum tuta sit opinio, quae docet: Indulgentiis pro Ordine communicante per revocationem Pontificiam sublatis, caeteri quibus illae per communicationem factae sunt propriae, iis frui nihilominus pergant, nisi revocatio expresse etiam ad eos dirigatur?

XVIII. — Utrum Tertiarii saeculares cuiusvis Ordinis Indulgentiis tantum gaudeant, quae sibi directe concessae fuerunt, vel aequae principaliter cum aliis concessae fuerunt, dummodo non sint revocate?

Et Emi ac Rmi Patres in generalibus Comitibus ad Vaticanum habitis rescripserunt die 10 Ianuarii 1893:

Ad I. — *Negative.*

Ad II. — *Affirmative.*

Ad III. — *In iis quae ad disciplinam et directionem internam spectant, negative; in reliquis, affirmative.*

Ad IV. — *Negative.*

Ad V. — *Negative ante professionem.*

Ad VI. — *Affirmative.*

Ad VII. — *Affirmative ex rationabili causa.*

Ad VIII. — *Generatim negative.*

Ad IX. — *Negative.*

Ad X. — *Negative.*

Ad XI. — *Negative.*

Ad XII. — *Supplicandum SSmo pro gratia.*

Ad XIII. — *Negative.*

Ad XIV. — *Supplicandum SSmo pro gratia.*

Ad XV. — *Affirmative.*

Ad XVI. — *Negative, nisi constet de speciali Indulto.*

Ad XVII. — *Negative, imo falsa.*

Ad XVIII. — *Affirmative.*

Factaque de iis omnibus SSmo Domino Nostro Leoni Papae XIII relatione in Audientia habita die 31 Ianuarii 1893 a me infrascripto Cardinali S. Congregationis Praefecto, Sanctitas Sua resolutiones Emorum Patrum ratas habuit et confirmavit, et petitas gratias in perpetuum benigne concessit.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 31 Ianuarii 1893. — Fr. A. Card. Sepiacci, Praefectus. — Alex. Archiep. Nicopolitanus, Secretarius.

LXXVII.

S. Congr. Concilii declaratio in causa «Coloniens.» circa mutuas delegaciones generales parochorum ad assistendum matrimonii. — 18 Mart. 1893.

Archiepiscopus Coloniensis sequentia exponit SS. D. N.

Beatissime Pater: Philippus Archiepiscopus Coloniensis S. V. humiliter exponit quae sequuntur:

In civitate hac Coloniensi in qua novemdecim existunt parociae catholicae et circiter 150.000 numerantur catholicorum, non raro accidit, quod sponsa ex. g. ancilla, proclamationibus expetitis, parochiam, in qua domicilium vel quasi domicilium habebat, inscio parochi proprio derelinquit, et tamen coram hoc parochi dolose matrimonium contrahit, fingens se in huius parochia, in qua proclamationes factae sunt, adhuc habitare. — Quare ad praevenda invalida matrimonii, parochi huius civitatis multis abhinc annis se mutuo delegaverunt in hunc modum, ut parochus, qui tempore, quo proclamationes expetebantur, parochus proprius sponsae erat, inde per tres menses matrimonio eius assistere valeat, etiamsi sponsa, hac parochia derelicta, in alia parochia huius civitatis tempore matrimonii habitet. Quam quidem conventionem addita facultate subdelegandi praedecessor meus Emiss Card. Paulus Melchers postea an. scil. 1866 confirmaverat, eaque confirmatio delegationem Ordinarii exhibere videtur. Quamvis vero, postquam gubernationem huius Archidioecesis suscepi, similis a me confirmatio seu adprobatio istius praxis statim expetita non sit, parochi Colonienses tamen eam sunt sequuti. Similes ob causas in civitate Aquisgra-

nensi existebat ab immemorabili, ut parochi asserunt, usus iuxta quem propter frequentem habitationis mutationem ex parte ancillarum, mercenariorum et pauperum, parochus in cuius parocia sponsa habitat dum proclamationes expetit, eius matrimonio assistere possit, etiamsi sponsa tempore proclamationum in aliam parociam eiusdem civitatis transmigret. Quem usum a parochis Aquisgranensibus anno 1840 renovatum Vic. generalis Archiepiscopalis die 14 nov. 1840 tamquam valori matrimoniorum faventem adprobavit. — Utilis sane est huiusmodi dispositio, quaque valor matrimonii non raro salvaretur. Attamen cum S. C. Concilii die 20 iulii h. a. in causa Posnaniensi declaraverit conventionem similem parochorum Posnaniensium haud esse probandam, S. V. enixe rogatur ut declarare dignetur: An Ordinarius liceat parochis civitatis Coloniensis aliorumque oppidorum numerosiorum cum facultate subdelegandi, delegare facultatem generaliore matrimonio assistendi, de qua sermo? Quatenus negative, S. V. dignetur Archiepiscopo oratori facultatem concedere qua talem delegationem assistendi matrimonio in casu exposito parochis civitatis Coloniensis et oppidorum numerosiorum Archidioecesis Coloniensis concedere valeat.

Huiusmodi preces, praehabito consultoris voto, disceptatae sunt in comitiis generalibus S. Congreg. Concilii habitis die 18 martii 1893. Et dicta die ad sequentia

Dubia

I. An mutua ac generalis delegatio, de qua in precibus, ad validitatem matrimonii valeat in casu;

Et quatenus negative.

II. An supplicandum sit SS.mo pro convalidatione eiusdem praxis quoad futurum in casu;

Eñi PP. responderunt:

Ad I, reformato dubio: An constet de nullitate matrimoniorum quae contrahuntur iuxta praxim de qua in casu ab Eñio Archiepiscopo Coloniensi proposito.

R. Negative et ad mentem. Mens autem est ut eidem Eñio Archiepiscopo Coloniensi scribatur quod ad vitanda incommoda ex enunciata praxi utcumque oritura, opportunum foret in ea servari modum a consultore theologo traditum: scil. ut mutua illa generalis delegatio parochis non sit permessa nisi accedente Ordinarii adprobatione et delegatione una cum facultate etiam subdelegandi: insuper, ut eadem mutua generalis delegatio limitanda sit ad casum quo res per petitionem proclamationum factam non iam est integra, idest restringenda ad solos parochos domicili a sponsis relicti, et quoad durationem ita determinanda sit, ut expiret si a die ultima proclamationis (exclusive) elapsi sint duo menses, vel 60 dies completi, vel tot dies completi quot iuxta dioecesana statuta requiruntur ut de novo fiant proclamationes, si intra illud tempus matrimonium non fuerit celebratum: optandum vero ut Eñus Archiepiscopus utatur huiusmodi facultate tantummodo pro maioribus suae archidioecesis civitatibus.

Ad II, provisum in primo.

LXXVIII.

S. Congr. Concilii decretum « Vigilanti », de turpi mercimonio stipendiorum Missarum quoad bibliopolas aliosque mercatores. — 25 Maii 1893.

Vigilanti studio convellendis eradicandisque abusibus missarum celebrationem spectantibus iugiter incubuit haec S. C., pluraque edidit decreta, quibus omne hac in re damnabile lucrum removeri voluit, piaseque testantium voluntates et obstrictam benefactoribus fidem adamussim servari religioseque custodiri mandavit.

Quapropter ad cohibendam pravam quorundam licentiam qui ad ephemerides, libros aliasque merces facilius cum clero commutanda missarum ope utebantur, nonnulla constituit, eaque, Pio PP. IX fel. rec. approbante, edi et Ordinariis nota fieri curavit ut ab omnibus servarentur. Propositis namque inter alia sequentibus dubiis:

« I. An turpe mercimonium sapiat, ideoque impro-
« banda et poenis etiam ecclesiasticis, si opus fuerit,
« coercenda sit ab Episcopis eorum bibliopolarum vel
« mercatorum agendi ratio, qui adhibitis publicis invi-
« tamentis et praemiis, vel alio quocumque modo mis-
« sarum eleemosynas colligunt, et sacerdotibus, quibus
« eas celebrandas committunt, non pecuniam, sed libros
« aliasve merces rependunt:

« II. An haec agendi ratio ideo coonestari valeat,
« vel quia, nulla facta imminutione, tot Missae a memo-
« ratis collectoribus celebrandae committuntur, quot
« collectis eleemosynis respondeant, vel quia per eam

« pauperibus sacerdotibus eleemosynis missarum caren-
 « tibus subvenitur :

« III. An huiusmodi eleemosynarum collectiones et
 « erogationes tunc etiam improbandae et coercendae,
 « ut supra, sint ab Episcopis, quando lucrum, quod
 « ex mercium cum eleemosynis permutatione hauritur,
 « non in proprium colligentium commodum, sed in
 « piarum institutionum et honorum operum usum vel
 « incrementum impenditur :

« IV. An turpi mercimonio concurrant, ideoque im-
 « probandi atque etiam coercendi, ut supra, sint ii,
 « qui acceptas a fidelibus vel locis piis eleemosynas
 « missarum tradunt bibliopolis, mercatoribus, aliisque
 « earum collectoribus, sive recipiant, sive non recipiant
 « quiddam ab iisdem praemii nomine :

« V. An turpi mercimonio concurrant, ideoque im-
 « probandi et coercendi, ut supra, sint ii qui a dictis
 « bibliopolis, et mercatoribus recipiunt pro missis cele-
 « brandis libros aliasve merces, harum pretio sive im-
 « minuto sive integro :

« VI. An liceat Episcopis sine speciali S. Sedis
 « venia ex eleemosynis missarum, quas fideles cele-
 « brioribus Sanctuariis tradere solent, aliquid detrahere,
 « ut eorum decori et ornamento consulatur, quando
 « praesertim ea propriis redditibus careant » :

in peculiari conventu anni 1874 S. C. resolvit :

« Ad I. Affirmative.

« Ad II. Negative.

« Ad III. IV et V. Affirmative.

« Ad VI. Negative, nisi de consensu oblatorum ».

Sed cum postremis hisce annis constiterit, saluta-
 res huiusmodi dispositiones ignorantia aut malitia sae-
 pius neglectas fuisse, et abusus hac in re valde lateque

invaluisse, Emi Patres S. C. Tridentini interpretes, ac
 vindices, rebus omnibus in duplici generali conventu
 mature perpensis, officii sui esse duxerunt, quod pri-
 dem decretum erat in memoriam plenamque observan-
 tiam denno apud omnes revocare, et opportuna insuper
 sanctione munire.

Praesenti itaque decreto statuunt, ut in posterum
 si quis ex sacerdotali ordine contra enunciata decreta
 deliquerit, suspensioni a divinis S. Sedi reservatae et
 ipso facto incurrendae obnoxius sit: clericus autem
 sacerdotio nondum initiatus eidem suspensioni quoad
 susceptos ordines similiter subiaceat, et inhabilis praeter-
 terea fiat ad superiores ordines recipiendos: laici de-
 mum excommunicatione latae sententiae Episcopis re-
 servata obstringantur.

Praeterea cum experientia docuerit, mala quae
 deplorantur ex eo potissimum originem viresque ducere,
 quod in quorundam privatorum manus maior
 missarum numerus congeritur quam iusta necessitas
 exigit, ideo iidem Emi Patres, inhaerentes dispositio-
 nibus a Romanis Pontificibus, ac praesertim ab Ur-
 bano VIII et Innocentio XIII in Const. *Cum saepe con-*
tingat, alias datis, sub gravi obedientiae praecepto
 decernunt ac mandant, ut in posterum omnes et singuli
 ubique locorum beneficiati et administratores piarum
 causarum aut utcumque ad missarum onera implenda
 obligati, sive ecclesiastici sive laici, in fine cuiuslibet
 anni missarum onera, quae reliqua sunt, et quibus non-
 dum satisfecerint, propriis Ordinariis tradant iuxta mo-
 dum ab iis definiendum. Ordinarii autem acceptas
 missarum intentiones cum adnexo stipendio primum
 distribuent inter sacerdotes sibi subiectos qui eis indi-
 gere noverint: alias deinde aut S. Sedi, aut aliis Ordini-

naris committent, aut etiam, si velint, sacerdotibus aliarum dioeceseon, dummodo sibi noti sint, omnique exceptione maiores, et legitima documenta edant inter praefixum congruum tempus quibus de exacta eardem satisfactione constet.

Denique, revocatis quibuscumque indultis et privilegiis usque nunc concessis, quae praesentis decreti dispositionibus utcumque adversentur, S. Congregatio curae et officio singulorum Ordinariorum committit, ut praesens decretum omnibus ecclesiasticis suae iurisdictioni subjectis, aliisque quorum ex praescriptis interest, notum sollicitè faciant, ne quis in posterum ignorantiam allegare, aut ab huius decreti observantia se excusare quomodolibet possit: et insuper ut sive in sacra Visitatione sive extra sedulo vigilent, ne abusus hac in re iterum inoleant.

Facta autem de his omnibus relatione SSmo D. N. Leoni PP. XIII per infrascriptum S. Congregationis Praefectum, Sanctitas Sua hoc Eminentiorum Patrum decretum ratum habuit, confirmavit atque edi mandavit, contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae, die 25 Maii 1893. — Aloisius Card. Episcopus Sabinensis, Praefectus. — P. Salvati, Secretarius.

LXXIX.

*Leonis XIII Litt. Apost. « Illud est proprium », de
Canonicis ad honorem. — 21 Ianuar. 1894.*

Leo PP. XIII. ad perpetuam rei memoriam.

Illud est proprium humanarum institutionum et legum, ut nihil in eis sit tam bonum atque utile, quod vel consuetudo non mutet, vel tempora non invertant,

vel mores non corrumpant. Sic in militanti Ecclesia Dei, in qua cum absoluta ac perpetua immutabilitate doctrinae varietas disciplinae coniungitur, non raro evenit ut, quae olim iure meritoque in honore et in pretio habebantur, aliquando obsolescant, et quae bona in instituto erant, ea labens aetas faciat deteriora. Sub prima Ecclesiae exordia, cum sensus Christi in hominum mente arctius insidebat, Episcopos, quibus summa rerum gerendarum commissa erat, delectos Sacerdotes sibi socios addidisse memoriae traditum est, quorum consilio et ministerio in gravioribus Ecclesiae negotiis uterentur. Hi Sacerdotes, Assessores et quasi Episcopi Senatus, Canonici dicti sunt, ex eo quia in observandis regulis Ecclesiasticis cautiores et diligentiores erant ceteris, et eam vitam vivebant, ut mensuram nominis implerent. Quamobrem pro certo habendum est ad conservandam Ecclesiasticam disciplinam, Canonicorum dignitates ab initio fuisse constitutas ita, ut qui eas obtineret, id haberet oneris, ut opera et officiis adiuvaret Episcopum, et in iis quae pertinent ad cultum et ad mores, sese tamquam exemplar clericis inferioribus impertiret. At temporibus nostris nonnulli sunt, qui pristinae institutionis immemores, Canonicorum collegia tamquam honoratorum ordines esse autumant, in quibus nullum onus, sed dignitatis tantum et honoris tituli inhaereant. Ex quo fit ut, cum humanum sit onus defugere, honores et dignitates appetere, non parvus sit numerus eorum, qui studeant, saltem honoris causa, inter Canonicos cooptari. Multae quidem ac plenae querelarum datae sunt ad nos litterae ab Episcopis, qui aegre ferunt honoribus et dignitatibus inhiare eos, qui sacerdotio aucti, deberent « aemulari charismata meliora, « terrena despicerere, et nonnisi in Cruce Domini Nostri

« Iesu Christi gloriarī ». Sacerdotes autem huiusmodi, plerique iuniores, qui parum vel nihil in Ecclesiae bonum contulerunt, tamquam tirones gloriosi veteranorum insignia atque ornamenta virtutis praemia appetentes, externos circumeunt Antistites, ut ab iis honoris insignia titulosque, a suis negatos, extorqueant. Nos, qui dignitatis insignibus eos potissimum honestandos censuimus Sacrorum administratos, qui pietatis et doctrinae laudibus ceteros antecellunt, deque re christiana egregie sunt meriti, hanc super rem admonitiones Apostolicas atque instructiones, nominatim die decimo sexto mensis Septembris anno MDCCCLXXXIV per Sacram Congregationem Tridentini Concilii interpretem ac vindicem dedimus. Quum vero hisce diebus complures Sacrorum Antistites gravius conquesti sint eiusmodi honores, qui merentibus praemio, ceteris incitamento virtutis esse debent, non raro ipsis Ordinariis insciis, atque interdum haud dignioribus conferri; Nos, quo in posterum quilibet in tali re abusus auferatur, rogata Sacrorum Rituum Congregationis sententia, suprema Auctoritate Nostra statuimus, decrevimus: I. Episcopus, seu Ordinarius, ecclesiasticum quempiam virum alienae dioeceseos Canonicum ad honorem nominaturus, praeter Capituli sui consensum, Ordinarii, cui nominandus subicitur, notitiam et votum obtineat, eundemque Ordinarium insignia edoceat ac privilegia, quorum usus nominando tribueretur. II. Canonici ad honorem extra dioecesim in qua nominati sunt, degentes, numero sint tertia parte minores cunctis Canonici a Pontificis Constitutionibus respectivae Basilicae, sive Ecclesiae Metropolitanae, aut Cathedrali, vel Collegiatae adsignatis. III. Canonici ad honorem alicuius minoris Basilicae, vel Ecclesiae Collegiatae almae Urbis nominati, privi-

legiis et insignibus uti possunt tantum intra respectivae Basilicae vel Collegiatae, eiusque Filialium Ecclesiarum ambitum, ubi Canonici de numero iisdem fruuntur. Qui vero alicuius Metropolitanae, vel Cathedralis, aut Collegiatae Ecclesiae, seu Basilicae minoris extra Urbem Canonici sunt ad honorem, privilegiis et insignibus tantum utantur in Dioecesi ubi nominati sunt, nullo modo extra illius territorium. IV. Haec omnia servantur quoque a Canonici ad honorem usque ad hanc diem nominatis. Ita volumus, edicimus, decernentes has litteras Nostras firmas sertasque, uti sunt, ita in posterum permanere: irritum vero et inane futurum decernentes si quid super his a quoquam contigerit attentari: non obstantibus Nostris et Cancellariae Apostolicae regulis de iure quaesito non tollendo, et quibusvis specialibus vel generalibus Apostolicis Constitutionibus ac Privilegiis, gratis et indultis, etiam confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, et Litteris Apostolicis sub quibuscumque tenoribus ac formis, et cum quibusvis clausulis et decretis quibusvis Capitulis, Collegiis ac etiam peculiaribus personis quacumque ecclesiastica dignitate pollutibus, quocumque tempore etiam per Nos concessis, nec non quibusvis consuetudinibus, etiam immemorabilibus, latissime et plenissime ac specialiter et expresse de Apostolicae potestatis plenitudine derogando, ac derogatum esse volumus, ceterisque in contrarium quomodolibet facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXI Ianuarii MDCCCXCIV, Pontificatus Nostri Anno Decimosexto. — M. Card. Rampolla.

LXXX.

S. Congr. de Propag. Fide Instructio de Sacerdotibus rituum orientalium Americam petentibus. — 12 April. 1894.

Illū ac Rmē Domine. — Relatum est Huic Sacrae Congregationi de Propaganda Fide pro negotiis Ritus Orientalis, presbyteros huius ritus, qui Americanas aliasque petunt regiones ut fidelibus suae gentis illic commorantibus spirituale praebeant auxilium, quandoque propter exiguum istorum numerum otari quotidie, vel eleemosynas colligere, quamvis canonica ad id facultate destitutos, vel medicae arti aut negotiationi operam dare, non sine gravi christiani populi scandalo; et, quod deterius est, Episcoporum monitionibus ad hoc opportune datis haud obtemperare. Deplorandum insuper est non semel ipsos Curias exhibere testimoniales litteras proprii Praesulis orientali lingua exaratas, in diets regionibus prorsus ignota; hinc impossibile est locorum Ordinariis dignoscere num easdem tradens sit sacerdos catholicus a quavis ecclesiastica censura immunis, an vero ea illaqueatus, num schismaticus, num etiam simplex laicus qui falsa documenta exhibeat.

Huic porro malo opportunum volens asferre remedium eadem S. Congregatio, SSmo D. N. probante, nuper ad Praelatos Orientalis ritus litteras dedit, quibus eisdem praescripsit ne, absque praevia licentia Ordinarii loci *ad quem*, Sacerdotes dictum in finem designentur, qui caelibes aut vidui esse debent; ne ipsi discedant, quin prius huic S. Congregationi in scriptis declaraverint, ad quam Dioecesim pergere velint ut

inibi domicilium constituent, atque licentiam ab eadem S. Congregatione in singulis casibus obtineant; ut haec obtenta ipsi sistant coram dicto Ordinario, cuius iurisdictioni subesse debent, atque ab eo petant obtineantque necessarias facultates sacra peragendi, eidem exhibendo una cum memorata licentia litteras discessoriales proprii Antistitis a R. P. D. Nuntio vel Delegato Apostolico comprobatas; firma tamen manente prohibitione eleemosynas absque debita facultate colligendi; quod si secus fiat, iidem Sacerdotes ad sacrum exercendum ministerium minime admittantur.

Quae dum Amplitudini Tuae nota reddo, rogo Te ut sedulo invigiles super observantia eorum quae superius exposita sunt, antequam admittas in posterum Sacerdotes, de quibus sermo, ad sacra peragenda in ista Dioecesi. Interim D. O. M. ex corde precor ut fausta quaeque Tibi concedat, et propensi animi mei sensus libenter testor.

Datum Romae ex aedibus eiusdem S. Congregationis, die 12 Aprilis 1894. — Addictissimus Servus: Card. Miecislav Ledochowski, Praef. — Aloisius Vecchia, Secret.

LXXXI.

S. Congr. Concilii in una Varsaviens. « Ducta circa causas matrimoniales ». — 16 Junii 1894.

I. Sitne in causis nullitatis matrimonii ex quocumque titulo coram Iudice Spirituali agitatis necesse exigere, ut testes septimae manus producantur, an vero id in solis causis ex capite impotentiae devolutis observandum, in caeteris autem omnibus praetermitti possit?

II. Liceatne sine speciali pro unaquaque vice per-

missione S. Congregationis recipere instantiam et instituere processum in ordine ad efflagitandam dispensationem Sanctissimi? — Et quatenus negative?

III. Liceatne, absoluta instructione causae ex titulo impotentiae physicae, quum inspectio corporum demonstravit virginitatem uxoris, non tamen evicit impotentiam mariti, transmittere acta causae ad S. C. pro impetranda Sanctissimi dispensatione?

IV. Si uxor virginem se esse contendens, virginitatemque suam per inspectionem evincere sustinens, maritum impotentiae insimulat; — is vero contumax est, vel, comparando, negat, sed inspectioni succumbere renuit; — liceatne unilateraliter, id est ad solam uxoris instantiam, processum ulterius tractare ac deinceps acta ad S. C. transmittere petendae a Sanctissimo dispensationis causa; an vero processus sit inhibendus, veniaque S. C. in ulteriorem eius instructionem impetranda?

V. Num in supra relatis casibus (I, II et III) necessario annectendae sint non modo coniecturae Defensoris sed etiam opiniones Theologi et Canonistae.

Resolutio: Sacra Congr. Concilii, re disceptata sub die 16 Junii 1894, censuit respondere:

Ad I. Negative ad primam partem; et testimonium septimae manus, stricto sensu sumptum, exigi ad corroborandam confessionem coniugum quoad inconsummationem matrimonii. — Ad II. Negative. — Ad III. et IV. Affirmative. — Ad V. Negative.

LXXXII.

S. Rituum Congr. Decreta et ordinationes de Musica Sacra. — 7-21 Iulii 1894.

A. — Decretum.

Quod sanctus Augustinus ceterique Patres saepenumero docuerunt de cantus ecclesiastici decore et utilitate, ut, per oblectamenta aurium infirmior animus in affectum pietatis assurgat¹; id Romanorum Pontificum auctoritas sibi integre eximieque perficiendum semper attribuit. — Quapropter in hoc Catholicae Liturgiae munus ita Gregorius cognomine Magnus curas ac studia contulit, ut vel ipsam appellationem ab eo sacri concentus sint mutuati. Alii vero, processu temporum, Pontifices, quum nescii non essent quantam huius rei partem sibi divini cultus vindicaret dignitas, immortalis decessoris sui vestigiis insistentes, Gregorianum cantum non modo ad receptam eandemque probatissimam numeri formam revocandum, sed etiam ad aptiorem melioremque exemplaris rationem exigendum indesinenter curarunt. Praesertim, post Tridentinae Synodi vota et sanctiones, atque Missalis Romani diligentissime exarati emendationem Pii V praeecepto et auctoritate peractam, de promovendo liturgico cantu magis in dies assidua excelluit solertia Gregorii XIII, Pauli V ac ceterorum, qui, ad incoluere Liturgiae decus tuendum, nihil potius et antiquius habuerunt, quam ut rituum uniformitati sacrorum etiam concentuum uniformitas ubique responderet.

¹ Confess. L. X, c. 33, n. 3.

Qua in re illud Apostolicae Sedis sollicitudinem iuvat praecipue, quod ipsi curae fuerit Graduale, accurate recognitum et ad simpliciores modos reductum, Ioanni Petro Aloisio Praenestino elaborate praeclareque adornandum committere. Nam mandatum, ut erat dignum homine officii sui perstudioso, docte ille complevit: et celeberrimi magistri praestare valuit industria, ut, iuxta prudentissimas normas, servatisque genuinis characteribus, liturgici concentus reformatio iure conficeretur. Opus tanti momenti illustres Petri Aloisii Praenestini discipuli, insigne eius magisterium et documenta secuti, typis Mediceis Romae excudendum, Pontificum voluntate, susceperunt. — Incepta tamen huiusmodi experimenta et conatus non nisi aetati huic demum nostrae absolvere est concessum. Quum enim sa. me. Pius IX liturgici cantus unitatem feliciter inducere quam maxime in votis haberet, a Sacrorum Rituum Congregatione assignandam, eiusdemque ductu et auspiciis muniendam, peculiarem virorum Gregoriani cantus laude praestantium Commissionem in Urbe instituit; eiusque examini editionem subiecit, qua denuo in lucem evulgaretur Graduale Romanum, typis olim Mediceis impressum, et Apostolicis Pauli V Litteris approbatum. Hanc dein editionem saluberrimo opere absolutam, parique studio et opportunis inductis emendationibus, ad normas a Commissione praescriptas, revisam, sibi valde probari haud semel ostendit, atque authenticam declarare non dubitavit suis Brevibus Litteris, die 30 Maii anno 1873 datis, quarum illa est sententia: « *Hanc ipsam dicti Gradualis Romani editionem Reverendissimis locorum Ordinariis, usque omnibus, quibus Musicae sacrae cura est, magno opere commendamus; eo vel magis, quod sit Nobis maxime in votis, ut eum in ceteris, quae ad Sacram*

Liturgiam pertinent, tum etiam in cantu, una, cunctis in locis ac Dioecibus, eademque ratio servetur, qua Romana utitur Ecclesia ». — Antecessoris Sui adprobationem decreto confirmare atque extendere e re esse duxit Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII. Litteris enim Apostolicis, die 15 Novembris anno 1878, primae Antiphonarii partis, quae Horas diurnas complectitur, novam editionem, ab iisdem viris per Sacrorum Rituum Congregationem deputatis, egregie sane, ut decebat musicos eruditos, atque intelligenter revisam, peculiari commendatione est prosequutus, his sapienter ad Episcopos omnesque Musicae Sacrae cultores verbis usus: « *Itaque memoratam editionem a viris ecclesiastici cantus apprime peritis, ad id a Sacrorum Rituum Congregatione deputatis, revisam probamus atque authenticam declaramus, Reverendissimis Ordinariis ceterisque, quibus Musicae Sacrae cura est, vehementer commendamus, id potissimum spectantes, ut sic cunctis in locis ac Dioecibus, cum in ceteris, quae ad Sacram Liturgiam pertinent, tum etiam in cantu, una eademque ratio servetur, qua Romana utitur Ecclesia* ».

Verum, quemadmodum post Pontificum Pii IX Breve de Graduali, ad ipsam editionis adprobationem in dubium vocandam, controversiae pluries subortae et obstacula sunt permota, ob quae Sacra Rituum Congregatio, die 14 Aprilis anno 1877, sui muneris esse persensit editionem authenticam adserere, suoque suffragio penitus confirmare: haud aliter, post Apostolicas etiam Leonis XIII Litteras, quin finem contentionibus facerent, sibi adhuc integrum putaverunt nonnulli consilia et decreta negligere de instituto cantus ecclesiastici, constanti Romanae Liturgiae ratione et usu comprobati. Immo, choricis Ecclesiae libris in lucem prolatis,

totaque hac re ad exitum egregie perducta, largiores evasere disputationes: et, in conventu cultorum liturgici cantus anno 1882 Aretii habito, validius excitatae censurae eos moerore affecerunt, qui, in ecclesiastici concentus uniformitate, Apostolicae Sedi unice obtemperandum iure meritoque existimant. Quum autem qui Aretium hanc ob causam contenderant, vota quaedam seu postulata de eadem re non tantum in populum prodiderint, verum etiam Sanctissimo Domino Nostro Leoni XIII formulis concinnata exhibuerint, Pontifex idem, negotii gravitate permotus, ut sacrorum concentuum, potissimum vero Gregoriani cantus, unitati et dignitati consuleret, vota illa seu postulata in examen adducenda assignavit peculiari Coetui ab se delecto quorundam Patrum Cardinalium Sacris tuendis Ritibus Praepositorum, Qui, omnibus mature perpensis, exquisitisque insignium quoque virorum sententiis, sine ulla dubitatione decernendum censuerunt: *Vota seu postulata ab Arcano Conventu superiore anno emissa, ac Sedi Apostolicae ab eodem oblata pro liturgico cantu Gregoriano ad vetustam traditionem redigendo, accepta uti sonant recipi probarique non posse. Quamvis enim ecclesiastici cantus cultoribus integram liberumque semper fuerit ac deinceps futurum sit, eruditionis gratia, disquirere quamnam votus fuerit ipsius ecclesiastici cantus forma, variaeque eiusdem phases, quemadmodum de antiquis Ecclesiae ritibus ac reliquis Sacrae Liturgiae partibus eruditissimi viri cum plurima commendatione disputare et inquirere consueverunt; nihilominus eam tantum uti authenticam Gregoriani cantus formam atque legitimam hodie habendam esse, quae, iuxta Tridentinas sanctiones, a Paulo V, Pio IX sa. me. et Sanctissimo Domino Nostro Leone XIII atque a Sacro-*

rum Rituum Congregatione, iuxta Editionem nuper adornatam, rata habita est et confirmata, utpote quae unice eam cantus rationem contineat, qua Romana utitur Ecclesia. Quocirca de hac authenticitate et legitimitate, inter eos, qui Sedis Apostolicae auctoritati sincere obsequuntur, nec dubitandum neque amplius disquirendum esse ».

Attamen postremis hisce annis, diversas ob causas, pristinae difficultates iterum interponi, recentesque immo concertationes instaurari visae sunt, quae vel ipsam, quum huius Editionis, tum cantus in ea contenti, genuinitatem aut infirmare aut penitus impetere aggrederentur. Neque etiam desuere qui ex desiderio, quo Pius IX et Leo XIII, Pontifices Maximi, ecclesiastici cantus uniformitatem summopere commendatam habuerunt, alios quoscumque cantus, in Ecclesiis peculiaribus iampridem adhibitos, omnino vetari inferrent. Ad haec dubia satius enucleanda, omnesque in posterum ambiguitates arcendas, Sanctitas Sua iudicium hac de re deferendum constituit Congregationi Ordinariae omnium Patrum Cardinalium Sacris tuendis Ritibus Praepositorum: qui, in Coetibus ad diem 7 et 12 Iunii nuper elapsi convocatis, resumptis omnibus ad rem pertinentibus aliisque mox exhibitis mature perpensis, unanimi responderunt sententia: « *Servandas esse dispositiones sa. me. Pii IX in brevi « Qui choriis » diei 30 Maii 1873; Sanctissimi Domini Nostri Leonis Papae XIII in Brevis « Sacrorum Concentuum » diei 15 Novembris 1878; ac Sacrorum Rituum Congregationis praescriptiones supra relatas ».* — Quod autem ad libertatem attinet, qua Ecclesiae peculiare cantum legitime invecum et adhuc adhibitum possint retinere, Sacra eadem Congregatio plurimum hortatur omnes locorum Ordinarios aliosque

ecclesiastici cantus cultores, ut Editionem praefatam in Sacra Liturgia, ad cantus uniformitatem servandam, adoptare curent, quamvis illam, iuxta prudentissimam Sedis Apostolicae agendi rationem, singulis Ecclesiis non imponat.

Facta autem de his omnibus per infrascriptum Cardinalem Sacrorum Rituum Congregationi Praefectum Sanctissimo Domino Nostro Leoni XIII fideli relatione Sanctitas Sua Decretum Sacrae ipsius Congregationis ratum habuit, confirmavit, et publici iuris fieri mandavit die 7 Iulii anno 1894.

L. H. S. — Caietanus Card. Aloisi-Masella, S. R. C. Praefectus. — Aloisius Tripepi, S. R. C. Secretarius.

B. — S. R. C. *epistola de eadem rō.*

Quamvis ordinatio pro cantu sacro moderando Rñis Italiae Episcopis a Sacrorum Rituum Congregatione, de Apostolica Auctoritate, communicata, plures sapientes normas contineret super hac parte haud exigua sacrae liturgiae; tamen multis et gravibus de causis ad actum in pluribus Dioecesibus plene redigi non potuit.

Ad eiusmodi difficultates removendas, et ad musicam in qualibet Ecclesia loco sancto dignam procurandam, Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII iussit, ut, auditis praecipuis artis musicae magistris, exquisitaque quamplurium Rñorum Italiae Ordinarium sententia, Sacra Rituum Congregatio in Plenario Cbetu, novo examini ac discussioni rem subiceret ac statueret, quatenam ex normis supradictis forent explicandae vel mutandae, et quatenam aliae iisdem addendae, ut ad optatum exitum facilius perducerentur.

Mandatis eiusdem Sanctissimi Domini Nostri obsequens Sacra Rituum Congregatio, re accurate discussa ac perpensa, aliam ordinationem hisce litteris adnexam protulit, Apostolicae Sedis sanctione confirmatam. Quae in binas partes dispescitur, unam de normis generalibus servandis in quavis compositione et executione musicae sacrae, alteram de regulis idoneis ad studium huius artis promovendum, necnon ad impediendum quominus limites praestitutos eiusdem artis cultores praetergrediantur, et Ecclesiae auctoritas in eo quod ad divinum cultum spectat, imminuatur.

Praeterea prioribus iterum subortis hoc postremo tempore quaestionibus super cantu liturgico, quamvis pluries hac de re mentem suam aperisset Sedes Apostolica, voluit eadem Sanctitas Sua, ut idem argumentum denuo ageretur, ac praedictae quaestiones penitus discussae penes Sacrorum Rituum Congregationem resolverentur. Quae quidem, servatis servandis, a iure praescripto non esse recedendum statuit, decretumque a Suprema Auctoritate approbatum, atque hisce litteris item adiectum, edidit.

Sacra porro eadem Congregatio Amplitudinis Tuae sapientiae ac prudentiae diligentem harum dispositionum observantiam commendat: prosunt enim sive novis vitandis controversiis, sive faciliori cantus ad sacrum ritum idonei usui in Ecclesiae functionibus.

Quae dum pro suo munere Amplitudini Tuae significat infrascriptus, plenae aestimationis atque observantiae sensus exprimit.

Ex Secretaria Sacrorum Rituum Congregationis, die 21 Iulii 1894. — Amplitudinis Tuae — Uti Frater C. Card. Aloisi-Masella, Praefectus. — Aloisius Tripepi, Secretarius.

C. — *De Musica sacra Ordinatio, quam mature pensam Sacra Rituum Congregatio in Ordinariis Coetibus dd. 7 et 12 Junii 1894 approbandam censuit.*

PARS PRIMA. — *Normae generales circa musicam in ecclesiasticis functionibus adhibendam.*

ART. 1. Quaevis musica compositio, sacrae functionis (quam comitatur) indoli conformis, ritus verborumque significationi religiose respondens, Fidelium pietatem excitat, ac proinde digna est Domo Dei.

ART. 2. Eiusmodi est cantus Gregorianus, quem uti vere suum agnoscit Christi Ecclesia: quare unicus est quo ipsa utitur in libris liturgicis a se adprobatis.

ART. 3. Cantus etiam polyphonicus tum diatonicus, tum chromaticus, modo praeclaudatis instructus uterque dotibus, sacras decet functiones.

ART. 4. Quoad genus polyphonicum, Petri Aloisii Praenestini musicae eiusque probatorum imitatorum Dei Domo perquam digna reputatur: itemque divino cultu digna censetur ea musica chromatica, quam ad nostram usque aetatem docti magistri ex italibus exterisque Scholis ac praesertim Romani magistri transmisere; quorum compositiones, utpote vere sacras, pluries ecclesiastica laudavit Auctoritas.

ART. 5. Quum apprime constet compositionem musicae polyphonicam, etsi optimam, saepe ob ineptam executionem, Dei Dōnum dedecere; eo in casu Gregorianus cantus in functionibus stricto sensu liturgicis adhibeatur.

ART. 6. Musica *figurata* pro organo, generatim huius instrumenti gravi indoli harmonicae et continuae respondeat. Instrumentorum consociatio cum decore

cantum sustineat, non opprimat. In praeludiis atque interludiis tam ab organo quam a ceteris instrumentis servetur indoles sacra, functionis significationi respondens.

ART. 7. Infra solemnes strictae liturgicae functiones, lingua in canticis usurpanda sit lingua ritus propria: textusque *ad libitum* e Sacra Scriptura desumantur, aut ex Officio diei, vel ex hymnis precibusque ab Ecclesia adprobatis.

ART. 8. Ceteris vero in functionibus lingua vernacula poterit adhiberi, verba, seu textus sumendo e piis atque adprobatis compositionibus.

ART. 9. Strictissime in Ecclesiis interdicatur quaevis profana musica, sive concertus sive sonitus, quae profanum quid sapiat; praesertim quae theatrales melodes quomodocumque redoleat vel referat.

ART. 10. Quo debitaec verbis liturgicis observantiae consulatur, et sacrarum functionum prolixitas vitetur, quivis cantus inhibetur in quo verba vel minima ex parte ommissa sint, vel sensu distracta, aut nimium repetita.

ART. 11. Prohibitum est quominus versiculi necessario inter se connexi prorsus intercidantur.

ART. 12. Tandem prohibetur ne quis organum pulset ex tempore, vulgo *a fantasia*, nisi id apte calleat; nempe, ut non modo artis musicae regulae serventur, sed etiam sarta Fidelium pietas tectaque sit animorum applicatio.

PARS ALTERA. — *Monita ad studium sacrae musicae promovendum et pellendos abusos.*

I. Quum sacra musica pars sit Liturgiae, Sacrorum Rituum Congregatio Rōnis locorum Ordinariis potissimum commendat ut peculiare ad illam promo-

vendam studium impendant, opportunas edendo praescriptiones, praecipue in Synodis Dioecesanis ac Provincialibus, verum hisce normis apprime conformes. Laicis fas esto operam suam praestare; subiectis tamen vigili respectivo Ordinario. Absque ecclesiasticae Auctoritatis assensu (nempe Episcopi quoad Dioecesim, et Metropolitae cum suis suffraganeis quoad Provinciam), coetus institui et comitia haberi non liceat. Epemerides de sacra musica ne mandentur typis absque Rm̄i Ordinarii imprimatur. Quaevis discussio circa harum praescriptionum articulos omnino vetita est. Permittitur vero quoad ceteras materias ad sacram musicam pertinentes, dummodo 1.º caritatis leges serventur; ac 2.º magistri vel iudicis partes nemo sibi arroget.

II. Curent Rm̄i Ordinarii ut Clerici obligationi Cantus liturgici discendi sedulo satisfaciant, prout hic praesertim in libris extat a S. Sede approbatis. Quoad ceterum musicae genus atque organi sonitum addiscendum, Clericis haud onus imponant, ne gravioribus disciplinis, quibus vacandum est, iidem distrahantur. Qui vero eiusmodi artem callent, vel aptam ad id genus indolem praeserferunt, iis adhuc progrediendi studium permitti poterit.

III. Rm̄i Ordinarii plurimum satagant ne Parochorum incuria Ecclesiarumque Rectorum sacri concentus in Ecclesiis tolerentur hisce praescriptionibus contrarii; canonicis etiam poenis utendo, pro suo arbitrio et prudentia, contra inobedientes.

IV. Praesenti Ordinatione in vulgus edita et significata Rm̄is Italiae Ordinariis, Acta omnia de hac re praecedentia abrogantur.

Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII, ad relationem infrascripti Cardinalis Sacrorum Rituum Con-

gregationi Praefecti, supradictam Ordinationem ratam habere et undequaque confirmare dignatus est, eademque publici iuris fieri mandavit die 7 Julii 1894.

L. † S. - Caietanus Card. Aloisi-Masella, S. R. C. Praefectus. - Aloisius Tripepi, Secretarius.

LXXXIII.

S. Cong. Episc. et Regul. instructio de verbi Dei praedicatione. — 31 Julii 1894.

Sanctissimus Pater Leo Papa XIII, cui apostolicum sacrae Praedicationis ministerium adeo cordi est, utpote christiano populo, his praesertim temporibus, recte instituendo tantopere necessarium, magno quidem animi sui dolore accepit, in annunciandis e suggestu Fidei mysteriis multa peccari; complures scilicet, aliquot ab hinc annis, eosque gravissimos, irrepsisse abusum in modum, quibus saepenumero sacra hodie praedicatione sprete digna, aut saltem sterilis ac prorsus inutilis efficiatur.

Quapropter antecessorum suorum vestigia premens, hanc Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium causis dignoscendis praepositam iussit ad Italiae Episcopos Praesulesque Religiosorum Ordinum sese convertere, eorumque vigilantiam ac zelum vehementer excitare, ut, quoad per ipsos fieri potest, huic incommodo remedium afferant, atque illud omnino removen- dum curent.

Augustis igitur Sanctissimi Patris praeceptis obsequens haec Sacra Congregatio Reverendissimis Episcopis et Regularium Ordinum, Coetuumque ecclesiasti-

vendam studium impendant, opportunas edendo praescriptiones, praecipue in Synodis Dioecesis ac Provincialibus, verum hisce normis apprime conformes. Laicis fas esto operam suam praestare; subiectis tamen vigili respectivo Ordinario. Absque ecclesiasticae Auctoritatis assensu (nempe Episcopi quoad Dioecesim, et Metropolitae cum suis suffraganeis quoad Provinciam), coetus institui et comitia haberi non liceat. Epemerides de sacra musica ne mandentur typis absque Rm̄i Ordinarii imprimatur. Quaevis discussio circa harum praescriptionum articulos omnino vetita est. Permittitur vero quoad ceteras materias ad sacram musicam pertinentes, dummodo 1.º caritatis leges serventur; ac 2.º magistri vel iudicis partes nemo sibi arroget.

II. Curent Rm̄i Ordinarii ut Clerici obligationi Cantus liturgici discendi sedulo satisfaciant, prout hic praesertim in libris extat a S. Sede approbatis. Quoad ceterum musicae genus atque organi sonitum addiscendum, Clericis haud onus imponant, ne gravioribus disciplinis, quibus vacandum est, iidem distrahantur. Qui vero eiusmodi artem callent, vel aptam ad id genus indolem praeserunt, iis adhuc progrediendi studium permitti poterit.

III. Rm̄i Ordinarii plurimum satagant ne Parochorum incuria Ecclesiarumque Rectorum sacri concentus in Ecclesiis tolerentur hisce praescriptionibus contrarii; canonicis etiam poenis utendo, pro suo arbitrio et prudentia, contra inobedientes.

IV. Praesenti Ordinatione in vulgus edita et significata Rm̄is Italiae Ordinariis, Acta omnia de hac re praecedentia abrogantur.

Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII, ad relationem infrascripti Cardinalis Sacrorum Rituum Con-

gregationi Praefecti, supradictam Ordinationem ratam habere et undequaque confirmare dignatus est, eademque publici iuris fieri mandavit die 7 Julii 1894.

L. † S. - Caietanus Card. Aloisi-Masella, S. R. C. Praefectus. - Aloisius Tripepi, Secretarius.

LXXXIII.

S. Cong. Episc. et Regul. instructio de verbi Dei praedicatione. — 31 Julii 1894.

Sanctissimus Pater Leo Papa XIII, cui apostolicum sacrae Praedicationis ministerium adeo cordi est, utpote christiano populo, his praesertim temporibus, recte instituendo tantopere necessarium, magno quidem animi sui dolore accepit, in annunciandis e suggestu Fidei mysteriis multa peccari; complures scilicet, aliquot ab hinc annis, eosque gravissimos, irrepsisse abusum in modum, quibus saepenumero sacra hodie praedicatione sprete digna, aut saltem sterilis ac prorsus inutilis efficiatur.

Quapropter antecessorum suorum vestigia premens, hanc Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium causis dignoscendis praepositam iussit ad Italiae Episcopos Praesulesque Religiosorum Ordinum sese convertere, eorumque vigilantiam ac zelum vehementer excitare, ut, quoad per ipsos fieri potest, huic incommodo remedium afferant, atque illud omnino removen- dum curent.

Augustis igitur Sanctissimi Patris praeceptis obsequens haec Sacra Congregatio Reverendissimis Episcopis et Regularium Ordinum, Coetuumque ecclesiasti-

corum Praesulibus hasce regulas omni diligentia studioque observandas exhibet.

1. Primum quidem quod ad sacri oratoris personam attinet, caveant huiusmodi adeo sanctum ministerium ulli concedere qui nec sincera christiana pietate praeditus nec fervido in Dominum nostrum Iesum Christum amore incensus sit; sine quo aliud profecto non esset Orator, nisi aut *aes sonans, aut cymbalum tinniens*, (I. Cor. XIII, 1) nec unquam verum divinae gloriae et salutis aeternae animarum zelum habere posset, qui solus, et ratio impellens, et finis ultimus evangelicae praedicationis, sit oportet.

Haec vero Christiana pietas, sacris verbi Dei Praeconibus adeo necessaria, etiam in exteriori agendi ratione fulgeat necesse est, quae cum traditis e suggestu documentis pugnare non debet; nec quidquam iidem praeseferre vulgare aut mundanum; sed tales se exhibere, ut quisque illos existimet *ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei* (I. Cor. IV, 1); *secus enim, ut Sanctus Thomas Aquinas animadvertit, si doctrina est bona, et Praedicator malus, ipse est occasio blasphemiae in doctrinam Dei* (Comment. in Matth. V).

Cum pietate vero et christiana virtute etiam scientia sacra coniunctim socianda est; cum apprime compertum sit, atque assidua experientia comprobatum, Praedicationem vere sapientem, rite ordinatam ac fructuosam ab iis, qui bonis studiis, praesertim vero sacris, instructi non sint, frustra expectari; eosque cuidam, qua praestant, naturali loquacitati fidentes, quin hilum (aut parum admodum) se praeparent, pulpitem ascendere.

Hi nimirum non aliud conficiunt quam aërem verberant, divinoque verbo contemptum irrisionemque,

quin id fortasse advertant, misere conquirunt; quibus idcirco iure merito congruit minax illud divinum effatum: *Quia tu scientiam repulisti, ego repellam te ne sacerdotio fungaris mihi* (Os. IV, 6).

2. Postquam igitur sacerdos (non vero ante) quas recensuimus dotes sibi comparaverit, tum solum Rfii Episcopi et Regularium Ordinum Praesules magnum divini verbi praedicandi ministerium eidem concedere poterunt; sed tamen continenter invigilantes, ut iis dicendis rebus inhaereat Orator, quae sacrae praedicationi proprie conveniunt. Hae quidem res (quae materia sunt propria sacrae praedicationis) his divini Redemptoris verbis continentur: *Praedicate Evangelium... Docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis* (Matth. XXXIII, 20). Quae verba enarrans Angelicus Doctor scribit: « Praedicatores debent illuminare in credendis, dirigere in operandis, vitanda manifestare; et modo comminando, modo exhortando, hominibus salutaria praedicare » (loco supra citato). Et S. Tridentinum Concilium: « Annuntiantes eis vitia, quae eos declinare, et virtutes, quas sectari oportet, ut poenam aeternam evadere, et coelestem gloriam consequi valeant » (Sess. V, cap. 2, de Ref.). Sed multo amplius a summo Pontifice Pio IX id declaratum fuit haec scribente (Litt. encycl. 9 Nov. 1846): « Non semetipsum, sed Christum Crucifixum praedicantes sanctissimae nostrae Religionis dogmata et praecepta iuxta Catholicae Ecclesiae et Patrum doctrinam, gravi ac splendido orationis genere, populis clare aperteque annuntient; peculiaris singulorum officia accurate explicant; omnesque a flagitiis deterreant, ad pietatem inflamment, quo Fideles Dei verbo salubriter imbuti atque refecti vitia omnia declinent, virtutes sectentur, atque ita aeternas poenas evadere,

et coelestem gloriam consequi valeant. Ex quibus omnibus manifesto liquet, Symbolum, Decalogum, Ecclesiae praecepta, Sacramenta, virtutes et vitia, varia hominum officia pro conditionis cuiusque varietate, hominis novissima, aliasque id genus aeternas veritates ordinariam debere sacrae praedicationis materiam constituere.

3. Atqui haec gravissima argumenta a multis divini verbi praeconibus indignum in modum negliguntur: qui quidem quaerentes quae sua sunt, non quae Iesu Christi, ac probe noscentes hasce materias ad popularem auram, quam expetunt, sibi conciliandam magis prae aliis idoneas nequaquam esse, eas omnes praesertim in concionibus quadragesimalibus, et quibusdam aliis solemnioribus anni solemnitatibus, consulto praetereunt: unaque cum rebus earum nomina permutantes antiquis concionibus novum aliquod genus praedicationis sufficiunt, quas morales Collationes, falso sensu acceptas, vocant, quibus mens auditorum, vel potius phantasia, otiose permulceatur, non vero voluntas salubriter permoveatur, pravique reformentur mores. Hi nimirum non advertunt conciones quidem morales omnibus, polemicis vero collationes plerumque paucis prodesse; atque hos ipsos paucos, si accuratius fuerint bonis moribus instructi, seu si diligentius adiuti, quo maiori castitate, animi demissione atque obedientia erga Ecclesiae auctoritatem praediti sint, id unum sufficeret ut mentem innumeris contra Fidem erroribus immunem, et ad veritatis lucem suscipiendam paratorem haberent: errores enim circa Religionem, praesertim inter catholicos populos, magis ab effrenatis animi cupiditatibus quam a quibusvis mentis aberrationibus originem ducunt; iuxta quod scriptum est: *De corde*

exerunt cogitationes malae blasphemiae (Math. XV, 19), et in Psalmo XIII v. 1. *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.* « *In corde suo, inquit Regius Psaltes (sapienter hic adnotat S. Augustinus), non vero in mente sua ?* »

4. Nec vero ideo Collationum polemicarum usum damnandum existimamus; quae si recte perficiantur, et ipsae admodum utiles, imo etiam necessariae, tot inter errores contra Religionem quoque sparsos, quandoque esse possunt. Sed omnino a Christianis suggestibus vaniloquia illa arcenda sunt, quae de theoreticis potius rebus, quam practicis, pertractant; de civilibus potius, quam religiosis; maioris videlicet speciei, quam fructus; quae proinde Ephemeridum palaestris, aulisque academicis apta forte erunt; at vero a loco sancto prorsus absona.

Quod vero ad illas polemicas Collationes attinet, quae Religionis ab adversariorum impugnationibus defensionem spectant, sunt eae quidem identidem necessariae, at cuiusvis humeri onus non sunt, sed solummodo robustiorum. Imo ipsi maxime strenui Oratores magna debent prudentia uti: huiusmodi enim Apologiae in iis tantummodo locis, iisque temporibus, atque iis auditoribus faciendae sunt, qui vere illis egeant, et a quibus aliquod spirituale emolumentum reipsa sperari possit: cuius rei indices maxime omnium competentes, locorum quorumlibet Episcopus esse manifeste patet. Has vero Apologias ea decet ratione fieri, ut earum demonstratio in doctrina sacra potius, quam in humanis seu naturalibus argumentis, solidissime fundetur: tali demum sapientia ac perspicuitate elaborari, ut periculum evitetur, ne in quorundam auditorum mentibus alius defixi errores inhaereant, quam op-

positae veritates, magisque percellant animos obiecta quam responsa. Praesertim vero cavendum est, ne frequentior quam par est, harum Collationum usus aestimationi noceat et desiderio moralium concionum, quasi vero istae inferioris ordinis ac minoris momenti sint, quam polemicae: dum contra omnino constat moralem praedicationem fidelium universitati longe maxime necessariam esse, nec nobilitate a polemica vinci: ac proinde etiam valentiores et celebriores Oratores in auditorum conspectu quantum libet electissimo ac frequentissimo hanc deberent, saltem aliquando, sincero zelo exercere. Quod nisi fiat frequentes isti Auditores semper de erroribus disserere audient, qui saepenumero in iis, qui intersunt, nequaquam reperiuntur; numquam vero de culpis vitisusque, quae in hisce potius Auditoribus, quam fortasse in aliis, profecto vulgaribus, abundare solent.

5. At vero si plerique in thematum tractandorum selectione abusus desentur, plerique alii et quidem haud minus graves sunt in ipsa thematum tractatione deplorandi. Circa quam haec praeclara documenta tradit idem S. Doctor Aquinas (l. c.): « Ut vere sit lux mundi, tria debet habere Praedicator verbi divini: primum est stabilitas, ut non deviet a veritate: secundum est claritas, ut non doceat cum obscuritate: tertium est utilitas (seu recta intentio), ut quaerat Dei laudem, et non suam ». Sed heu! triste infortunium! Plerarumque hodie concionum forma non solum ab evangelica perspicuitate et simplicitate longe abest, quam illa constanter praeserferret; sed etiam obscuris ambagibus tota obvolvitur, et in abstrusis argumentis communem populi captum excedentibus versatur, ut illud propheticum effatum in mentem subeat hic opportune repe-

tendum: *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis* (Thren. IV, 4).

Quod autem peius est, ille divinus character a concionibus abest, ille christianae pietatis habitus, illa S. Spiritus unctio, per quam praeco evangelicus semper de seipso profiteri possit, et debeat: *Sermo meus et praedictio mea non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis; sed in ostensione spiritus et virtutis* (I. Cor. II, 4). Hi contra persuasibilibus humanae sapientiae verbis ferme unice innixi, verbum Dei, parvi aut nihili pendunt: sacram videlicet Scripturam, quae quidem praecipuus sacrae eloquentiae fons sit oportet: quemadmodum summus Pontifex super Cathedram Petri sedens nuper gravissimis verbis, quae huc referre opportunum putamus, edocebat (Encycl. De studio S. Scripturae, 18 Nov. 1893): « Haec propria et singularis sacrarum Scripturarum virtus, a divino afflatu Spiritus Sancti profecta, ea est quae Oratori sacro auctoritatem addit, apostolicam praebet dicendi libertatem, nervosam victricemque tribuit eloquentiam. Quisquis enim divini verbi spiritum et robur eloquendo refert, ille non loquitur in sermone tantum, sed et in virtute, et Spiritu Sancto, et in plenitudine multa (I. Thess. I, 5). Quapropter ii dicendi sunt praepostere improvideque facere, qui ita conciones de Religione habent, et praeccepta divina enunciant, nihil ut fere afferant, nisi humanae scientiae et prudentiae verba, suis magis argumentis, quam divinis, innixi. Istorum scilicet orationem quantumvis nitentem luminibus, languescere et frigere necesse est utpote quae igne careat sermonis Dei, eandemque longe abesse ab illa, qua divinus sermo pollet virtute: *Vivus est enim sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque*

ad divisionem animae ac spiritus (Hebr. IV, 12). Quamquam hoc etiam prudentioribus assentiendum est, inesse in Sacris Litteris mire variam et uberem magnisque dignam rebus eloquentiam: id quod Augustinus pervidit, diserteque arguit (De Doctr. Christi IV, 6, 7); atque res ipsa confirmat, et praestantissimorum in Oratoribus sacris testimonium, qui nomen suum assidue SS. Bibliorum consuetudini, piaque meditationi se praecipue debere, Deo grati affirmarunt ».

6. En igitur sacrae eloquentiae potissimus fons, Sacra Biblia. Sed isti Evangelii praecones dicti, temporum nostrorum ideis ac moribus imbuti, neglecto per summum nefas fonte aquae vitae, ex humanae sapientiae cisternis dissipatis suam eloquentiam hauriunt; potius quam divinitus inspiratas sacrorum librorum sententias afferant, aut sanctorum Patrum, aut Conciliorum, auctores quamplurimos eosque profanos, novissimos atque etiam viventes, testes adducunt; quorum sententiae aflatim ambiguae interpretationes, et quandoque etiam valde periculosas, saepe saepius admittunt. « Est etiam pessimus sacrae eloquentiae abusus, religiosa themata unice ob praesentis vitae rationes, quin de futura vel mentio fiat, passim pertractare: commoda recensere a Christiana Religione mundo allata, et officia dissimulare: divinum Redemptorem uti egregium *πρωτοπόρου* pingere, et Eius, ut Iudicis aeterni, iustitiam praeterire ».

« Exiguus exinde huiusmodi praedicationis fructus; ex qua forte mundanus quisque homo persuasus exit, se, quin mores corrigat, dummodo in Christum credat probum christianum fore » (Card. Bausa Archiep. Florent. ad iuv. cler. 1893).

Sed quid istorum hic fructus refert? Hic profecto

non est id quod ipsi in primis expetunt: auditoribus blandiri exoptant, quibus *peruriant auribus* (II. Tim. IV, 3); et dummodo templa stipata videant, eorum parvi interest animas fructu vacuas permanere. Proinde numquam de peccato disserunt, numquam de hominum novissimis, numquam denique de aliis veritatibus gravissimis, quae auditores salubriter *contristare ad poenitentiam* possent (II. Cor. VII, 9); solummodo *placencia* loquuntur (Is. XXX, 10); atque hoc idem faciunt eloquentia quadam potius tribunitia quam apostolica; magis profana quam sacra, quae quamplures manus plaususque ipsis comparat a S. Hieronymo graviter reprobatos, cum ad Nepotianum scriberet: *Docente te in Ecclesia, non clamor populi, sed gemitus suscitetur: auditorum lacrymae laudes tuae sint.* Ex quo fit, ut eorum praedicationis, ita in templo, sicut alibi, theatri quadam aura circumfusa appareat, quae eam omni sacro characterem expoliat, omnique spirituali efficacia destituit. Exinde item in populo, imo etiam in plerisque e clero, adeo depravatus gustus divini verbi, et exsurdatum palatum: exinde tandem piorum scandalum, perversorum atque incredulorum nulla aut parva emendatio: qui quamvis interdum in templa, huiusmodi *placencia* verba audiendi causa, praesertim vero si sonoris illis ac magnificis nominibus, *cauti progressu, patria, recenti nostrorum temporum scientia*, aliisque id genus alecti, profuse confluant, postquam Oratorem fragorosis plausibus fuerint prosequuti, oh! iste, aientes, verum ac legitimum concionandi callet modum! e templo exeunt quales illic intraverant, sicut Iudaei, qui *omnes quidem mirabantur, sed non omnes convertebantur* (S. August. in Matt. XIX, 15).

7. Haec igitur Sacra Congregatio quum, supremis

Romani Pontificis praeceptis obtemperans, tot tamque gravibus sacrae Praedicationis corruptelis consuetudine inductis remedium afferre omnino velit, omnes Rños Italiae Episcopos, Generales Coenobitarum Praesules, atque omnes ecclesiasticorum Coetuum Rectores compellat ut in eadem apostolica animi fortitudine insurgant, atque iisdem penitus extirpandis sedulo dent operam.

Itaque memores, se iuxta sacrosancti Conc. Trid. praescriptum (sess. V, cap. 2. de Ref.) viros idoneos ad huiusmodi praedicationis officium assumere addictos esse, haec in re quam maximam diligentiam curamque adhibeant. Si quidem sacerdotes designandi ad suam ipsorum dioecesim pertineant, iis adeo augustum ministerium nisi prius sive per examen, sive alio quolibet opportuno modo, de vita, de scientia, de moribus comprobati fuerint, (Conc. Ind. l. c.) nequaquam concedant. Si vero illi ad aliam dioecesim spectent, neutiquam Episcopi in sua concionaturos admittant, praesertim vero occurrentibus quibusdam solemnioribus anni solemnitatibus, nisi proprii Episcopi, seu Praesulis, litteras ostendant, quae et sacerdotem bonis moribus praeditum, et huic officio idoneum esse testentur.

Generales etiam cuiusvis religiosi Ordinis, Societatis, Congregationis, Praesules nemini e sacerdotibus sibi subditis publice concionari, in scio loci Episcopo, permittant; eoque minus decet traditis testimonialibus litteris illos quoque mittere ut Episcopis se sistant, nisi prius accurate inquisierint, et certissime optimam noverint sacerdotum eorumdem et moralem vivendi et consuetam concionandi rationem.

Si vero cuiuslibet Dioecesis Episcopus, postquam aliquem Sacerdotem litteris huiusmodi a suis commendatum ad Dei verbum praedicandum in propria Dioecesi

exceperit, eumque deinceps in sacro ministerio peragendo ab normis monitisque hic per nos traditis aberrantem conspexerit, opportune primum eundem admoneat, ut, si fieri possit, quam primum respiciat: quod nisi sufficiat, ab officio illico removeat, poenis etiam canonicis, si necessitas urgeat, adhibitis.

Ceterum quoniam haec S. Congregatio Rñorum Episcoporum et Praesulum religiosi quibusvis Ordinibus praepositorum diligentiae ac zelo se tuto fidere posse probe novit, ideo per ipsos praecipue fore confidit, ut haec nova recensque Dei verbi annunciandi, seu potius adulterandi, ratio quamprimum reformatam se prodatur; et sacra ipsa praedicatio, vanis verborum lenociniis amotis, Augusto ac nativo suo splendori, supernaturali simul efficacia denuo suscepta, in Dei laudem, aeternam animarum salutem ac spirituales Ecclesiae totiusque christiani Orbis utilitatem, tandem aliquando restituatur.

Romae, ex Scribarum Curia Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium negotiis dignoscendis expediendisque praepositae, die 31 Iulii, anno 1894.

I. Card. Verga, Praefectus. — Aloisius Trombetta, Pro-Secretarius.

LXXXIV.

S. Officii decretum « Cum recenter » de lege ieiunii et abstinentiae anticipanda vel dispensanda ab Episcopis. — 5 Decembris 1894.

Feria IV die 5 Decembris 1894. — Cum recenter ad hanc Supremam Congregationem S. R. et U. Inquisitionis a compluribus Episcopis pervenerint petitiones, quarum omnium una mens erat, abstinentiae

legem, de qua valde solliciti sunt, magnis in populorum concursibus aegre admodum ac difficulter variis de causis posse servari, et damno potius animarum quam saluti praebere occasionem; Eminentissimi ac Reverendissimi Domini S. R. E. Cardinales contra haereticam pravitatem in universa christiana republica Generales Inquisitores, in plenario comitio dietae Feriae IV die 5 Decembris 1894; re integre proposita ac mature perpensa, decreverunt ut infra, scilicet:

Supplicandum Sanctissimo ut Episcopis aliisque locorum Ordinariis concedere dignetur facultatem anticipandi die sibi benevisa atque ob gravissimas causas etiam dispensandi super lege ieiunii et abstinentiae, quando festum sub utroque praeepto servandum Patroni Principalis aut Titularis, vel solemne aliquod festum item magno populorum concursu celebrandum incideret in ferias sextas aut sabbata per annum, excepto tempore quadragesimae, diebus quatuor temporum, et vigiliis per annum ieiunio consecratis; atque ut eadem anticipandi seu etiam gravissimis de causis dispensandi potestate uti possint pro diebus quibus nundinae extraordinariae, magno item populorum concursu, habeantur.

Habita autem per R. P. D. Assessorem S. O. relatione Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII. idem Sanctissimus Dominus praesens Decretum ratum habuit et confirmavit ac omnibus et singulis locorum Ordinariis facultatem, de qua agitur, perpetuis futuris temporibus concessit ac attribuit, facta tamen in singulis casibus mentione Apostolicae dispensationis.

Ios. Mancini, S. R. et U. I. Notarius.

LXXXV.

Emi Card. Rampolla Secretarii Status litterae ad Episcopos Americae Latinae de vectigali pro Collegio Pio Latino Americano. — 20 Iulii 1895.

Illm^e ac Rm^e Domine. — Studium religiosae rei in universis Americae Latinae Dioecesisibus provehendae effecit ut Summus Pontifex Pius IX fel. rec. Collegium Romae condendum curaret quod Pium-Latinum-Americanum vocavit, in quo delecti ex istis regionibus adolescentes pietate simul et scientia imbuerentur. Ut vero eiusdem Collegii angustiis prospiceret, placuit eidem Pontifici, per litteras Emi Card. Iacobi Antonelli datas die 15 Aprilis 1862, edicere ut in qualibet dispensatione quaecumque illa foret, quae in Dioecesisibus et Vicariatibus Americae meridionalis ac centralis et in Republica Mexicana concederetur, scutatum unum (un peso fuerte, 5 francos) iuxta monetam cuiusque regionis, de imposita eleemosyna detraheretur Americano Urbis Collegio attribuendum, sive ad aes alienum tollendum, sive in quotidianos sumptus impendendum. Statuatur simul iisdem litteris ratio pecuniae, tum colligendae et custodiendae, tum Romam transmittendae.

At enim ex hoc Pontificis mandato non ii, qui sperabantur, fructus sunt habiti; vel quod non ad omnes Episcopos eius rei notitia delata fuit, vel quod difficultates subortae essent circa pecuniae transmissionem, dubiumque iniectum, utrum nempe scutatum, in Collegii usum seponendum, exigendum foret praeter eleemosynam pro dispensatione statutam, an potius ex eadem eleemosyna detrahendum.

Hinc die 15 Iulii 1870 aliae litterae sequutae sunt ab Eñno Card. Saccconi conscriptae ex mandato Summi Pontificis, quibus declarabatur, vectigal unius scutati, de quo supra, non addendum esse statutis pro quavis dispensatione elemosynis, sed ex his desumendum, idemque ab universis Episcopis cuilibet dispensationi applicandum, sive clericos suos haberent in Americano Urbis Collegio, sive non. Ad minuendas autem transmissionis difficultates, permittebatur Episcopis collectam pecuniam directe quotannis vel ad Cardinalem Collegii protectorem vel ad eiusdem Collegii Moderatorem mittere.

Harum tamen exitus curarum spem Pontificis nequaquam implevit. Collegium alieno aere adhuc praegravatur, ipsiusque redditus gravissimis anni sumptibus impares sunt.

Eapropter SSñus Dñus Noster Leo PP. XIII peculiari sollicitudine Collegii Pii Latini Americani necessitatibus providere desiderans, decrevit ut quae supra commemorata sunt Episcopis Americae Latinae universis in memoriam revocentur, eorumque caritas, in hac temporum adversitate, novis stimulis excitetur, ut nempe Institutum, unde iam praeclara commoda Ecclesiae sunt parta, esse pergat et vigeat.

Haud dubitans quominus Dominatio tua nihil sit omissura ut Summi Pontificis decreta atque optata in posterum impleantur, propensae in te voluntatis meae sensa libens profiteor.

Romae, die 20 Iulij 1895.

LXXXVI.

S. C. Episc. et Regul. decreta in « Abulensi » interpret. decr. « Auctis admodum ». — 20 Novemb. 1895.

I.

Eñne ac Rñe Domine. — Episcopus Abulensis exponit quae sequuntur:

Ex decreto « Auctis admodum » istius Sacrae Congregationis diei 4 Nov. 1892 sancitum fuit: alumnos votorum solemnium vel simplicium, tam perpetuorum quam temporalium, in Sacris constitutos, qui expulsi vel dimissi fuerint, perpetuo suspensos mansuros, donec a Sancta Sede alio modo eis consulatur, ac praeterea Episcopum benevolum receptorem invenerint, et de patrimonio Ecclesiastico sibi providerint; alumnos vero, qui sponte ab Apostolica Sede dimissionem petierint et obtinuerint, ex Claustro non egressuros donec Episcopum benevolum receptorem invenerint, et de Ecclesiastico patrimonio sibi providerint: secus ab Ordinum susceptorum exercitio suspensos esse mansuros.

Circa interpretationem vero huius Decreti hac in parte quaedam oborta sunt dubia, quae reverenter V. E. sapientiae subiecit:

I. Utrum haec verba: *Episcopum benevolum receptorem invenerint et de patrimonio Ecclesiastico sibi providerint*, ita collective sint intelligenda, ut ad tollendam suspensionem ambo sint necessaria, nempe, et Episcopum benevolum receptorem invenire, et patrimonium Ecclesiasticum constituere, vel sufficiat tantum Episcopum benevolum receptorem invenire?

II. Utrum haec, quae in numero 5^o leguntur, *secus*

suspensi maneant ab exercitio susceptorum Ordinum, ita sint sumenda, ut religiosus, qui obtenta Apostolica licentia e Claustro exierit, quin prius Episcopum benevolum receptorem invenerit, vel de patrimonio Ecclesiastico sibi providerit, sit suspensus tantum donec Episcopum benevolum receptorem inveniatur et patrimonium Ecclesiasticum sibi constituat, vel sit suspensus donec ab Apostolica Sede suspensio tollatur, invento Episcopo benevolo receptore et patrimonio Ecclesiastico constituto? — Quare, etc.

Sacra Congregatio Eñorum ac Rñorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, omnibus mature perpensis, respondendum censuit, prout respondet, ad primum dubium: *affirmative* ad primam partem, *negative* ad secundam; ad secundum: *affirmative* pariter ad primam partem, *negative* ad secundam.

Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium, hac die 20 Novembris 1895. — I. Card. Verga, Praefectus. — A. Trombetta, Pro-Secret.

II.

Bñe Pater. — Ioannes, Episcopus Abulensis, ad Pedes Sanctitatis Vestrae humiliter provolutus, ea quae sequuntur exponit: — Sunt in hac Dioecesi aliqui alumni Institutorum religiosorum in Sacris constituti, alii expulsi, alii ab Apostolica Sede dimissione obtenta ex Claustro egressi, sed quin prius benevolum Episcopum receptorem invenissent nec de Ecclesiastico patrimonio sibi providissent, Ex Decreto *Auctis admodum* Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium diei 4 Novembris 1892, primi perpetuo suspensi manebunt, donec

a Sancta Sede alio modo eis consulatur, ac praeterea Episcopum benevolum receptorem invenerint, et de Ecclesiastico patrimonio sibi providerint: secundi vero etiam ab Ordinum susceptorum exercitio suspensi erant. Episcopus Orator ob Cleri saecularis sufficientem copiam, aliisque iustis de causis, Episcopus benevolus receptor horum alumnorum esse nequit; sed de eorumdem miserissima vita angustissimaque conditione maxime dolet, et eorumdem supplicationibus quotidie torquetur. Unus ex illis, iam presbyter, in agrariis laboribus occupatus victum sibi comparat. Exoptans Episcopus Orator aliquid praedictis alumnis levaminis afferre, quin onera Episcopi benevoli receptoris in se suscipiat, Sanctitati Vestrae sequentia dubia pro solutione reverenter submittit.

I. An possit praedictis alumnis licentiam concedere ut Ordinem exercere valeant sed ad nutum suum, uti mos est concedere Clericis alienae Dioecesis ad tempus hic commorantibus, quin onera Episcopi benevoli receptoris in se suscipiat?

II. Et quatenus negative, quid faciendum cum, his miseris Clericis, qui nec Episcopum benevolum receptorem inveniunt, nec patrimonium Ecclesiasticum sibi constituere possunt?

Et Deus, etc.

Ad primum dubium Sacra Congregatio Eñorum ac Rñorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, respondendum censuit, uti respondet: «Prout exponitur, *negative*». Sed eadem Sacra Congregatio facultatem tribuit Episcopo Abulensi, quatenus nihil aliud sibi obstet: permittendi praefatis alumnis Sacros Ordines exercendi ad tempus sibi benevisum, donec maneant in sua Dioecesi,

firma obligatione sibi inveniendi Episcopum benevolum receptorem et constituendi sibi sacrum patrimonium, ad formam Decreti *Auctis admodum*, aut Rescriptorum Sacrae Congregationis, si quae obtinuerint. Ad secundum, *Prorsum in primo*.

Romae, 20 Novembris 1895. - I. Card. Verga, Praefectus. - A. Trombetta, Pro-Secret.

LXXXVII

S. Congr. de Propag. Fide declaratio de die in qua Episcopus celebrare debet anniversarium suae electionis. — An. 1896.

Rōmē ac Illīne Domine. — Quoddam dubium proponebatur ab Amplitudine Tua circa diem in qua debet Episcopus celebrare anniversarium suae electionis, cui per praesentes litteras respondere aggredior.

Iuxta regulam generalem debet Episcopus Ordinarius celebrare anniversarium diei in quo eius electio in Consistorio secreto proclamata fuit. Ita saepius declaravit S. Rituum Congregatio. Idque intelligendum est etiam in casu quo Episcopus habuerit Breve pontificium, consecratus fuerit et Dioeceseos possessionem acceperit antecedenter ad celebrationem Consistorii. Nam eadem S. Congregatio interrogata: « Utrum decretum in *Alifaxien.*, iuxta quod dies electionis Episcopi, quoad anniversarium in Dioecesi celebrandum, non ea est, qua Bullae datae fuerunt, sed illa qua fuit in Consistorio proclamatus, spectet etiam ad Episcopos per Sacram Congregationem de Propaganda Fide institutos, qui frequenter Bullas receperunt,

Dioecesis possessionem acceperunt, imo consecrati fuerunt aliquo tempore ante Consistorium in quo proclamantur? » — Respondit: « Affirmative » die 13 Decembris 1895. Decret. VIII, in *Quebecen.* Quod si electio nunquam fuit in Consistorio proclamata, tunc celebrandum erit anniversarium diei in quo datum est Breve Pontificium, Hoc enim est unicum documentum solemne, quod manet in substitutione non habitae proclamationis in Consistorio.

Romae, 1896. — M. Card. Ledochowski, Praef.

LXXXVIII

S. Officii responsio ad dubia quoad Decretum « *Cum recenter* » de lege ieiunii et abstinentiae anticipanda vel dispensanda ab Episcopis. — 18 Martii 1896.

Feria IV die 18 Martii 1896. — Post latum feria IV die 5 Decembris 1894 Supremae huius Congregationis S. O. decretum, quod incipit *Cum recenter*, quo facultas fit locorum Ordinariis anticipandi in alium diem, vel etiam, gravissimis de causis, dispensandi super ieiunii et abstinentiae lege, occasione solemnitatum in vetitum aliquem diem incidentium, a pluribus locis circa eiusdem decreti genuinum sensum dubia proposita fuere quae sequuntur:

I. Utrum ad hoc ut Episcopus dispensare valeat, ad tramitem decreti, necesse sit ut festum celebretur magno populorum concursu?

II. Utrum Episcopus dispensare possit quando agitur tantum de festo duplicis praeepti, an etiam quando agitur de alio festo, vel de alia Catholica solemnitate, ex. gr. de centenariis, peregrinationibus et similibus?

III. Quomodo sit intelligendus magnus populorum concursus, an populorum extraneorum vel etiam eiusdem civitatis aut loci?

IV. Utrum inter causas gravissimas, ob quas Episcopus non solum anticipare, sed etiam dispensare potest, assignari valeat grave periculum quod abstinentia anticipanda non observetur?

V. Utrum in diebus exceptis, ieiunio consecratis, vetitum sit Episcopis tantum dispensare super abstinentia vel etiam illam anticipare?

VI. Utrum ex rationabili causa possit Episcopus committere Parochis, ut ipsi assignent diem in quo anticipari debeat abstinentia?

Quibus dubiis ad examen sedulo vocatis in Congregatione Generali habita feria IV die 18 Martii 1896, Esmi ac Rm̄i Domini Cardinales Inquisitores Generales, praehabito voto DD. Consultorum, respondendum mandarunt:

Ad I. Affirmative.

Ad II. Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam; modo adsit magnus populorum concursus.

Ad III. Attentis omnibus, intelligi potest etiam de concursu civitatis aut loci, facto verbo cum Sanctissimo.

Ad IV. Affirmative; dummodo periculum sit generale.

Ad V. Affirmative, scilicet utrumque vetitum est Episcopis.

Ad VI. Affirmative.

Sequenti vero feria VI die 20 eiusdem mensis SS̄mus Dominus Noster Leo divina Providentia Papa XIII, in solita audientia R. P. D. Adessori impertita, relatas sibi Emorum Patrum resolutiones benigne adprobare et confirmare dignatus est.

LXXXIX.

S. Congr. Episc. et Regul. Decretum « Singularem quidem » de eleemosynarum collectis. — 27 Martii 1896.

Singularem quidem protectione et auxilio dignae semet exhibent mulieres quae in piis religiosisque institutis Deo se devovent, ut in proximorum bonum longe lateque opera misericordiae exerceant nedum directe, sed stipem etiam iisdem operibus sustentandis quaeritantes, atque egregiam eapropter humilitatis, patientiae, charitatis aliarumque virtutum laudem praeseferentes. Cum tamen hoc colligendarum eleemosynarum ministerium, prae muliebri quaeritantium indole, ac hodierna humanae societatis conditione, periculis haud vacet nisi opportunis cautelis communiatur, Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium, nonnullis Episcopis petentibus, re diligenter et mature perpensa, haec quae sequuntur statuit ac decrevit.

I. In votorum simplicium Institutis opus quaeritandi eleemosynas alumnae non aggrediantur nisi in spiritu fidei, quod stipem non sibi quaerant, sed ipsi Christo Iesu, memores verborum eius: *Quandiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Praeterea Ordinarios locorum, etiamsi eorum territoria pertranseant, obsequio, reverentia et devotione prosequantur, tamquam parentes et patronos, quos audeant cum fiducia pro consilio, auxilio ac praesidio in quolibet necessitate.

II. Iisdem votorum simplicium Sororibus non licet eleemosynas quaerere, sive intra dioecesim in qua ipsae resident, sive extra, sine licentia Ordinarii loci respectivae residentiae.

III. Stipem quaesiturae, extra dioecesim respectivae residentiae, licentiam obtinere insuper debent ab Ordinario loci in quo eleemosynas quaeritare desiderant.

IV. Nihil tamen impedit, quominus Superiorissae, nulla petita licentia, ad sublevandam domuum vel piorum operum, quibus praesunt, inopiam, possint eleemosynas undequaque sponte oblatas accepto habere, vel etiam per litteras impetrare ab honestis ac benevolis personis quibuscumque, usquedum a legitimo superiore rationabili ex causa non prohibeantur.

V. Ordinarius loci, in quo exstat domus Sororum quaeritare volentium, licentiam eis non concedat, 1.º si de vera domus vel pii operis necessitate sibi non constet; 2.º si quaeritatio commode fieri possit per alios ab ipsomet Ordinario designandos. Si autem necessitati occurri valeat per quaeritationem in loco in quo sorores resident, vel infra propriam dioecesim, Ordinarius eisdem licentiam non impertiatur eleemosynas colligendi extra dioecesim.

VI. Utraque licentia tradatur gratis et in scriptis, in qua quilibet Ordinarius leges et condiciones imponere poterit, quas, pro locorum, temporum et personarum adiunctis, magis opportunas in Domino iudicaverit. Licentia vero Ordinarii piaee Sororum domus contineat litteras vel commissorias ad parochos aliasve prudentes personas, pro Sororibus quaeritantibus intra dioecesim, vel commendatitias ad Ordinarios aliarum dioecesim pro Sororibus extra propriam dioecesim quaeritantibus. In litteris commissoriis mandetur parochis aliisve probis personis, ut consiliis et meliori qua possunt opera praesto sint Sororibus, earum agendi rationem invigilent, et si quid in eis minus rectum

resciverint, statim ipsi Ordinariò referant. In commendatitiis exorentur Ordinarii locorum, ut in sua quisque dioecesi Sorores ad quaeritandum admissas protegat ac adiuvet ac si sibi subditas eas haberet.

VII. Quisque loci Ordinarius Sorores ex aliena dioecesi advenientes ad eleemosynas colligendas non admittat, nisi prius eandem licentiam proprii Ordinarii sibi exhibuerint. Sororibus vero huiusmodi licentiam exhibentibus ipse suam, si lubeat, impertiatur licentiam quaeritandi in propria dioecesi. Ubi autem Sorores, etiam si utraque licentia praeditae, in eleemosynarum quaestu male se gerant, statim in propriam domum eas redire Ordinarius iubeat, opportunisque etiam mediis, si opus fuerit, compellat.

VIII. Superiorissae, praesertim extra locum ubi domus habent, numquam ad eleemosynas quaerendas mittant Sorores nisi binas, aetate et animo maturas, intra dioecesim non ultra mensem, extra dioecesim non ultra duos menses; et semper ea pecuniae summa instructas qua, inopinato quocumque casu cogente, possint statim domum redire. Sorores quaeritantes semper et ubique ea, qua decet, modestia entiant; virorum familiaritatem et sermones inutiles caveant; clamores, tabernas, aliaque loca incongrua evitent; nec in domibus longiorem moram faciant quam sit necessarium pro expetendis eleemosynis. Singulae numquam incedant, neque ab invicem separentur, nisi necessitate impellente. Iter facientes, si commode fieri poterit, utantur via ferrea; sed quantum possunt, de nocte, neque ab uno loco discedant, neque ad alium perveniant. De suo adventu futuro praemoneant illum, cui datae sunt Episcopi litterae; eique cum pervenerint se sistant praescesque adhibeant, ut intercedat pro invenienda hospi-

talitate apud aliquod pium feminarum Institutum, vel saltem apud aliquam honestam mulierem, numquam vero in domo ubi possint in aliquod periculum offendere. Matutinas ac vespertinas preces non omittant: quotidie de mane aliquam ex vicinioribus Ecclesiis petant, ibique Sacro assistant: singulis hebdomadis Poenitentiae et Eucharistiae Sacramentis reficiantur. Ante solis ortum et post occasum eleemosynas per loca non quaerent. Elapso tempore ad quaerendum eis praefixo, sine ulla mora ad propriam Superiorissam recto tramite remigrent. Eleemosynas numquam arroganter vel tamquam debitas postulent, sed breviter et humiliter sua et piorum operum exposita inopia, si quid sponte offertur accipiant, secus patienter divinae Providentiae confidant. Alias normas opportunas, quae a propria Superiorissa dari poterunt, adamussim observent.

Datum Romae ex Secretaria memoratae S. Congregationis Episcoporum et Regularium, die 27 Martii 1896.

I. Card. Verga, Praefectus. — A. Can. Boccafogli, Sub-Secr.

XC.

S. Congr. Concilii decretum quoad taxas fori ecclesiastici in rebus non contentiosis. — 10 Jun. 1896.

Ut norma haberetur uniformis in exactionibus pro variis actibus iurisdictionis ecclesiasticae non contentiosae, ac immodicarum taxarum onus, plurimumque controversiarum occasio tolleretur, Innocentius PP. XI legem tulit, quae, Innocentiana vulgo appellata, huiusmodi exactionum rationem apte moderabatur.

Sed cum haec lex italico idiomate esset exarata, et

idcirco communi Doctorum sententia eam non nisi Italiae et adiacentium insularum dioeceses proprie afficere traderetur, ceteris autem congruentem dumtaxat agendi regulam praebere; haud universim videbatur consultum incommotis, quibus amovendis lex illa prodierat.

Praeterea post tria ferme saecula a legis promulgatione, pecuniae valore et aestimatione mutatis, et in novis diversisque adiunctis societate versante, plena Innocentianae legis observantia in ipsis Italiae dioecesebus difficilis evasit, et quandoque etiam incongrua: unde Ordinarii maiori in dies numero postulare coeperunt, ut novae peculiaresque exactiones, ab Innocentiana diversae, probarentur aut tolerarentur.

His mature perpensis, et per officium S. C. Concilii Archiepiscopis nedum Italiae sed et aliarum regionum de sententia rogatis, SS^mus D. N. Leo PP. XIII particularem Commissionem penes S. Concilii Congregationem constituit, eique in mandatis dedit, ut de hac re cognosceret suamque sententiam emitteret.

Iamvero in conventibus semel atque iterum ab ea habitis, tria quae sequuntur dubia, quibus universa quaestio comprehendi visa est, ad examen revocata sunt, nimirum:

« I.^o An et quae taxae imponi possint iuxta prudentiae et iustitiae regulas in materia sacramentali, ac speciatim in matrimoniali, itemque in materia beneficiaria.

« II.^o An generalibus quibusdam editis normis, specifica praefinitio taxarum in singulis dioecesebus Ordinariarum arbitrio sit relinquenda; an potius praescribendum, ut hac de re agatur in synodis provincialibus, et quatenus synodi haberi nequeant, in conventibus Episcoporum in singulis provinciis, et in Italia in sin-

« gulis regionibus, ad hunc effectum peculiariter habenda, sub lege nempe ut uniformis taxa in singulis provinciis seu regionibus quoad fieri possit statuat, Sacrae Concilii Congregationi pro approbatione subiicienda.

« III. An et quatenam aliae provisiones hac de re sint adhibendae ».

Quibus Em̄i Patres, praevio Consultorum voto, respondendum censuerunt:

« Ad I.^m Affirmative, ita tamen ut quoad actus qui directe respiciunt sacramentorum administrationem servetur dispositio *cap. 42 Decret. De simonia*, scilicet ut libere conferantur ecclesiastica sacramenta et pia consuetudines observentur.

« Quod vero ad reliquos actus, qui directe non respiciunt administrationem sacramentorum, uti sunt dispensatio a denunciationibus matrimonii, venia conferendi baptismum in privatis domibus, et cetera huiusmodi,

« 1.^o servandas laudabiles consuetudines, et rationem prudenter habendam locorum, temporum ac personarum:

« 2.^o vere pauperes eximendos a quibusvis expensis:

« 3.^o taxam non adeo graves esse debere, ut arceant fideles a receptione sacramentorum:

« 4.^o quoad matrimonium in specie, remittendas ipsas taxas esse in casibus in quibus adsit periculum, ne fideles in concubinatum proruant;

« 5.^o tandem quoad beneficia ecclesiastica, taxam esse non debere proportionaliter inadaequatas redditibus beneficiorum.

« Ad II.^m Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

« Ad III.^m Affirmative, et taxarum descriptionem seu notulam modo et normis superius expositis contentam, quamprimum transmittendam ad S. Concilii Congregationem pro approbatione; quae tantum concedenda erit ad instar experimenti, pro dioecesibus Europae ad quinquennium, pro reliquis vero ad decennium ».

Facta exinde de his omnibus relatione SSmo Domino Nostro per infrascriptum S. C. Concilii Praefectum, Sanctitas Sua dignata est resolutionem Em̄. Patrum plene approbare et confirmare; simulque mandavit ut ab omnibus ad quos spectat sedulo atque integre servetur, contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae ex aedibus S. C. Concilii, die 10 Junii 1896. — A. Card. Di Pietro, S. C. Concilii Praefectus. — Beniaminus, Archiepiscopus Nazianzenus, Prosecretarius.

XCI.

S. Officii declaratio de promulgatione Concilii Plenarii aut Provincialis. — 10 Sept. 1896.

Em̄e Domine. — Litteris datis die 22 Decembris anni elapsi ad Em̄um D. Cardinalem Secretarium huius Supremae Congregationis S. O. Amplitudo Tua sequentia dubia proponebat:

I. Utrum Episcopi in Concilio sive plenario sive provinciali coadunati vera potestate legislativa potiri censeantur?

II. Utrum decreta Conciliorum sive plenariorum sive provincialium a S. Sede modo generali, non au-

tem speciali, adprobata, omnimoda vi legum careant, nisi in statuta dioecesana iam fuerint incorporata; et quidem tantum valeant, quantum sic fuerint incorporata?

Re ad examen revocata, in Congregatione Generali habita fer. V loco IV die 10 Septembris 1896, Eñi Dñi Cardinales una mecum Inquisitores Generales, reformatis dubiis uti sequitur:

I. Utrum Episcopi, in Concilio sive plenario sive provinciali legitime coadunati, vera potestate legislativa potiri censeantur?

II. Utrum decreta Conciliorum sive plenariorum sive provincialium a S. Sede *in forma communi sive specifica confirmata vel adprobata, vel saltem recognita*, omnimoda vi careant, nisi in statuta dioecesana iam fuerint incorporata; et quidem tantum valeant, in quantum sic fuerint incorporata?

Respondendum decreverunt:

Ad I. Affirmative.

Ad II. Negative.

Et ad mentem.

Haec ad A. T. notitiam dum defero, fausta quaeque ac felicia a Deo Tibi lubens deprecor.

Ad r. p. d. Archiepiscopum S. Ludovici in America.

Uti Frater - L. M. Card. Parochi.

XCII.

S. Congr. Rituum declaratio de Altari quod communiter dicitur « Sepulcrum » Feriis V et VI Maioris Hebdomadae. — 15 Dec. 1896.

Romana. - Instantibus plerisque Rñis Episcopis variarum regionum, qui sacros ritus et caeremonias iuxta ecclesiasticas praescriptiones ac laudabiles consuetudines in suis dioecesibus observari satagunt, quaestio super Altari quod communiter dicitur *sepulcrum*, alias agitata, S. R. Congregationi sub duplici sequenti dubio proposita fuit, nimirum:

I. Utrum in Altari, in quo Feria V et VI Maioris Hebdomadae, publicae adorationi exponitur et asservatur Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, repraesentetur sepultura Domini; an institutio eiusdem Augustissimi Sacramenti?

II. Utrum liceat ad exornandum praedictum Altare adhibere statuas aut picturas, nempe Beatissimae Virginis, S. Ioannis Evangelistae, S. Mariae Magdalenae et militum custodum, aliaque huiusmodi?

Sacra porro Rituum Congregatio in ordinariis Comitibus, subsignata die ad Vaticanum habitis, ad relationem infrascripti Eñi et Rñi Domini Cardinalis Sacrae eidem Congregationi Praefecti, exquisitis trium Rñorum Consultorum suffragiis, scripto exaratis, attempta quoque antiqua et praesenti Ecclesiae disciplina, omnibusque maturo examine perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. *Utrumque.*

Ad II. *Negative. Poterunt tamen Episcopi, ubi an-*

liqua consuetudo vigeat, huiusmodi repraesentationes tollerare: caveant autem ne novae consuetudines hac in re introducantur.

Atque ita rescipit, contrariis quibuscumque decretis abrogatis. — *Die 15 Decembris 1896.*

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per supradictum Rmum Dom. Cardinalem relatione, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae Congregationis ratum habuit et confirmavit, iisdem die, mense et anno.

XCIII.

S. Congr. Episc. et Regul. declaratio « Zamoren. », an moniales acceptare possint haereditates in favorem monasterii. — 15 Ian. 1897.

Beatissime Pater. — Episcopus Zamorensis in Hispania, ad pedes S. V. provolutus, humillime exponit: N. N. Sanctimonialem Ordinis Praemonstratensis in conventu civitatis N., huius dioecesis, ex Constitutionibus civilibus hispanicis ius habere ad haereditatem capiendam, quae eidem contigit ex morte fratris presbyteri recens defuncti. Hinc quaeritur:

1. An praelata Sanctimonialis, posita solemniter religiosa professione quam iamdiu emisit, licite in conscientia possit gestiones agere, sive per se, sive per procuratorem, ut haereditatem capiat proprio nomine coram saeculari iudice, in bonum tamen totius Communitatis, ut par est; vel potius egeat, ratione voti paupertatis, legitima dispensatione ad praedictas gestiones iuridicas agendas ad haereditatem acquirendam?

2. Dato quod dispensatione egeat: an haec eidem

tribui possit a conventus Superiorissa, aut ab Episcopo cui conventus subest: vel necessario, ratione sollemnis voti, a Sede Apostolica obtineri debeat? — Demum, posita necessitate recurrendi ad Apostolicam Sedem pro praedicta dispensatione, Episcopus orator suppliciter postulat:

3. Ut praelatae Sanctimoniali facultas tribuatur ad iuridicas gestiones per procuratorem instituendas ac perficiendas pro haereditate sibi ac proprio nomine capienda, quae in bonum cedat totius Communitatis.

4. Ut eidem Episcopo oratori sufficiens facultas elargiatur ut dispensare possit super vota paupertatis in casibus similibus, ad id, ut providere valeat pro urgentia quae regulariter in iisdem occurrit. — Et Deus...

Sacra Congregatio Emorum ac Rmorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, super praemissis censuit respondendum prout respondet:

Ad 1^m et 2^m providebitur in Tertio.

Ad 3^m Affirmative pro petita facultate; ita tamen ut haereditas acquiratur monasterio.

Ad 4^m Affirmative pro petita facultate ad triennium, pro casibus dumtaxat urgentibus, in quibus nempe non suppetat tempus recurrendi ad Sanctam Sedem.

Romae, 15 Ianuarii 1897.

S. Card. Vannutelli, Praef.

XCIV.

SS. D. N. Leonis Papae XIII Constitutio Apostolica
« Officiorum » de prohibitione et censura librorum.

— VIII Kal. Febr. 1897.

Officiorum ac munerum, quae diligentissime sanctissimeque servari in hoc apostolico fastigio oportet, hoc caput atque haec summa est, assidue vigilare atque omni ope contendere, ut integritas fidei morumque christianorum ne quid detrimenti capiat. Idque, si unquam alias, maxime est necessarium hoc tempore, cum, effrenatis licentia ingenii ac moribus, omnis fere doctrina, quam servator hominum Iesus Christus tuendam Ecclesiae suae ad salutem generis humani permisit, in quotidianum vocatur certamen atque discrimen. Quo in certamine variae profecto atque innumerabiles sunt inimicorum calliditates artesque nocendi: sed cum primis est plena periculorum intemperantia scribendi, disseminandique in vulgus quae prave scripta sunt. Nihil enim cogitari potest perniciosius ad inquinandos animos per contemptum religionis perque illecebras multas peccandi. Quamobrem tanti metuens mali, et incolumitatis fidei ac morum custos et vindex Ecclesia, maturime intellexit, remedia contra eiusmodi pestem esse sumenda: ob eamque rem id perpetuo studuit, ut homines, quoad in se esset, pravorum librorum lectione, hoc est pessimo veneno, prohiberet. Vehemens hac in re studium beati Pauli viderunt proxima originibus tempora: similique ratione perspexit sanctorum Patrum vigilantiam, iussa Episcoporum, Conciliorum decreta, omnis consequens aetas.

Praecipue vero monumenta litterarum testantur, quanta diligentiaque in eo evigilaverint Romani Pontifices, ne haeticorum scripta, malo publico, impune serperent. Plena est exemplorum vetustas. Anastasius I scripta Origenis perniciosiora, Innocentius I Pelagii, Leo magnus Manichaeorum opera omnia, gravi edicto damnare. Cognitae eadem de re sunt, litterae *decretales* de recipiendis et non recipiendis libris, quas Gelasius opportune dedit. Similiter, decursu aetatum, Monotheletarum, Abaelardi, Marsilii Patavini, Wiclefi et Hussii pestilentes libros, sententia apostolicae Sedis confixit.

Saeculo autem decimo quinto, comperta arte nova libraria, non modo in prave scripta animadversum est, quae lucem aspexissent, sed etiam ne qua eius generis posthac ederentur, caveri coeptum. Atque hanc providentiam non levis aliqua causa, sed omnino tutela honestatis ac salutis publicae per illud tempus postulabat: propterea quod artem per se optimam, maximam utilitatum parentem, christianae gentium humanitati propagandae natam, in instrumentum ingens ruinarum nimis multi celeriter deflexerant. Magnum prave scriptorum malum, ipsa vulgandi celeritate maius erat ac velocius effectum. Itaque saluberrimo consilio cum Alexander VI, tum Leo X, decessores Nostri, certas tulere leges utique congruentes iis temporibus ac moribus, quae officinatores librariorum in officio continerent.

Mox graviore exorto turbine, multo vigilantius ac fortius oportuit malarum haeresicon prohibere contagia. Idcirco idem Leo X, posteaque Clemens VII, gravissime sanxerunt, ne cui legere, seu retinere Lutheri libros fas esset. Cum vero pro illius aevi infelicitate crevisset praeter modum atque in omnes partes per-

vasisset perniciosorum librorum impura colluvies, ampliore ac praesentiore remedio opus esse videbatur. Quod quidem remedium opportune primus adhibuit Paulus IV decessor Noster, videlicet elencho proposito scriptorum et librorum, a quorum usu cavere fideles oporteret. Non ita multo post Tridentinae Synodi Patres gliscentem scribendi legendique licentiam novo consilio coercendam curaverunt. Eorum quippe voluntate iussuque lecti ad id praestoles et theologi non solum augendo perpollendoque Indici, quem Paulus IV ediderat, dedere operam, sed Regulas etiam conscripsere, in editione, lectione, usuque librorum servandas: quibus Regulis Pius IV apostolicae auctoritatis robur adiecit.

Verum salutis publicae ratio, quae Regulas Tridentinas initio genuerat, novari aliquid in eis, labentibus aetatibus, eadem iussit. Quamobrem romani Pontifices nominatimque Clemens VIII, Alexander VII, Benedictus XIV, gnari temporum et memores prudentiae, plura decrevere, quae ad eas explicandas atque accommodandas temporum valuerunt.

Quae res praeclare confirmant, praecipuas romanorum Pontificum curas in eo fuisse perpetuo positas, ut opinionum errores nōrumque corruptelam, geminam hanc civitatum labem ac ruinam, pravis libris gigni ac disseminari solitam, a civili hominum societate defenderent. Neque fructus fessit operam, quam diu in rebus publicis administrandis rationi imperandi ac prohibendi lex aeterna praefuit, rectoresque civitatum cum potestate sacra in unum consensere.

Quae postea consecuta sunt, nemo nescit. Videlicet cum adiuncta rerum atque hominum sensim mutavisset dies, fecit id Ecclesia prudenter more suo, quod, perspecta natura temporum, magis expedire atque utile

esse hominum saluti videretur. Plures Regularum Indicis praescriptiones, quae excidisse opportunitate pristina videbantur, vel decreto ipsa sustulit, vel more usuque alicubi invalescente antiquari benigne simul ac provide sivit. Recentiore memoria, datis ad Archiepiscopos Episcoposque e principatu pontificio litteris, Pius IX Regulam X magna ex parte mitigavit. Praeterea, propinquo iam Concilio magno Vaticano, doctis viris ad argumenta paranda delectis id negotium dedit, ut expenderent atque aestimarent Regulas Indicis universas, iudiciumque ferrent, quid de iis facto opus esset. Illi commutandas, consentientibus sententiis, iudicavere. Idem se et sentire et petere a Concilio plurimi ex Patribus aperte profitebantur. Episcoporum Galliae extant hac de re litterae, quarum sententia est, necesse esse et sine cunctatione faciendum, ut *illae Regulae et universa res Indicis novo prorsus modo nostrae aetati melius attemperato et observatu faciliori instaurarentur*. Idem eo tempore iudicium fuit Episcoporum Germaniae, plane petentium, ut *Regulae Indicis... recenti revisioni et redactioni submittantur*. Quibus Episcopi concinunt ex Italia aliisque e regionibus complures.

Qui quidem omnes, si temporum, si institutorum civilium, si morum popularium habeatur ratio, sane aequa postulant, et cum materna Ecclesiae sanctae caritate convenientia. Etenim in tam celeri ingeniorum cursu, nullus est scientiarum campus, in quo non litterae licentius excurrant: inde pestilentissimorum librorum quotidiana colluvies. Quod vero gravius est, in tam grandi malo non modo connivent, sed magnam licentiam dant leges publicae. Hinc ex una parte, suspensi religione animi plurimorum: ex altera, quilibet legendi impunita copia.

Hisce igitur incommodis medendum rati, duo faciendae duximus, ex quibus norma agendi in hoc genere certa et perspicua omnibus suppetat. Videlicet librorum improbatæ lectionis diligentissime recognosci Indicem; subinde, maturum cum fuerit, ita recognitum vulgari iussimus. Præterea ad ipsas Regulas mentem adiecimus, easque decrevimus, incolumi earum natura, efficere aliquanto molliores, ita plane ut iis obtemperare, dummodo quis ingenio malo non sit, grave arduumque esse non possit. In quo non modo exempla sequimur decessorum Nostrorum, sed maternum Ecclesiae studium imitamur: quæ quidem nihil tam expetit, quam se impertire benignam, sanandosque ex se natos ita semper curavit, curat, ut eorum infirmitati amanter studioseque pareat.

Itaque matura deliberatione, adhibitisque S. R. E. Cardinalibus e sacro Consilio libris notandis, edere *Decreta Generalia* statuimus, quæ infra scripta, unaque cum hac Constitutione coniuncta sunt: quibus idem sacrum Consilium posthac utatur unice, quibusque catholici homines toto orbe religiose pareant. Ea vim legis habere sola volumus, abrogatis *Regulis* sacrosanctæ Tridentinæ synodi iussu editis, *Observationibus, Instructione, Decretis, Monitis*, et quovis alio decessorum Nostrorum hac de re statuto iussuque, una excepta Constitutione Benedicti XIV *Sollicita et provida*, quam, sicut adhuc vigit, ita in posterum vigere integram volumus.

DECRETA GENERALIA

de prohibitione et censura librorum.

TITULUS I.

DE PROHIBITIONE LIBRORUM.

CAPUT I. — *De prohibitis apostatarum, hæreticorum, schismaticorum, aliorumque scriptorum libris.*

1. — Libri omnes, quos ante annum MDC. aut Summi Pontifices, aut Concilia œcumenica damnarunt, et qui in novo Indice non recensentur, eodem modo damnati habeantur, sicut olim damnati fuerunt: iis exceptis, qui per hæc Decreta Generalia permittuntur.

2. — Libri apostatarum, hæreticorum, schismaticorum et quorumcumque scriptorum hæresim vel schisma propugnantes, aut ipsa religionis fundamenta utcumque evertentes, omnino prohibentur.

3. — Item prohibentur acatholicorum libri, qui ex professo de religione tractant, nisi constet nihil in eis contra fidem catholicam contineri.

4. — Libri eorundem auctorum, qui ex professo de religione non tractant, sed obiter tantum fidei veritates attingunt, iure ecclesiastico prohibiti non habeantur, donec speciali decreto proscripti haud fuerint.

CAPUT II. — *De Editionibus textus originalis et versionum non vulgariarum Sacrae Scripturae.*

5. — Editiones textus originalis et antiquarum versionum catholicarum Sacrae Scripturae, etiam Ecclesiae Orientalis, ab acatholicis quibuscumque publicatae, etsi fideliter et integre editae appareant, iis dumtaxat, qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, dummodo

tamen non impugnentur in prolegomenis aut adnotationibus catholicae fidei dogmata, permittuntur.

6. — Eadem ratione, et sub iisdem conditionibus, permittuntur aliae versiones Sacrorum Bibliorum sive latina, sive alia lingua non vulgari ab acatholicis editae.

CAPUT III. — *De Versionibus vernaculis Sacrae Scripturae.*

7. — Cum experimento manifestum sit, si Sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittatur, plus inde, ob hominum temeritatem, detrimenti, quam utilitatis oriri; versiones omnes in lingua vernacula, etiam a viris catholicis confectae, omnino prohibentur, nisi fuerint ab Apostolica Sede approbatae, aut editae sub vigilantia Episcoporum cum adnotationibus desumptis ex Sanctis Ecclesiae Patribus, atque ex doctis catholicisque scriptoribus.

8. — Interdicuntur versiones omnes Sacrorum Bibliorum, quavis vulgari lingua ab acatholicis quibuscumque confectae, atque illae praesertim, quae per Societates Biblicas, a Romanis Pontificibus non semel damnatas, divulgantur, cum in iis saluberrimae Ecclesiae leges de divinis libris edendis funditus posthabentur.

Hae nihilominus versiones iis, qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, permittuntur: iis servatis, quae supra (n. 5) statuta sunt.

CAPUT IV. — *De Libris obscenis.*

9. — Libri, qui res lascivas seu obscenas ex professo tractant, narrant, aut docent, cum non solum fidei, sed et morum, qui huiusmodi librorum lectione facile corrumpi solent, ratio habenda sit, omnino prohibentur.

10. — Libri auctorum sive antiquorum, sive recentiorum, quos classicos vocant, si hac ipsa turpitudinis labe infecti sunt, propter sermonis elegantiam et proprietatem, iis tantum permittuntur, quos officii aut magisterii ratio excusat: nulla tamen ratione pueris vel adolescentibus, nisi solerti cura expurgati, tradendi aut praelegendi erunt.

CAPUT V. — *De quibusdam specialis argumenti libris.*

11. — Damnantur libri, in quibus Deo aut Beatae Virgini Mariae, vel Sanctis, aut Catholicae Ecclesiae eiusque Cultui, vel Sacramentis, aut Apostolicae Sedi detrahitur. Eidem reprobationis iudicio subiacent ea opera, in quibus inspirationis Sacrae Scripturae conceptus pervertitur, aut eius extensio nimis coarctatur. Prohibentur quoque libri, qui data opera Ecclesiasticam Hierarchiam, aut statum clericalem vel religiosum probris afficiunt.

12. — Nefas esto libros edere, legere aut retinere in quibus sortilegia, divinatio, magia, evocatio spirituum, aliaeque huius generis superstitiones docentur vel commendantur.

13. — Libri aut scripta, quae narrant novas apparitiones, revelationes, visiones, prophetias, miracula, vel quae novas inducunt devotiones, etiam sub praetextu quod sint privatae, si publicentur absque legitima Superiorum Ecclesiae licentia, proscribuntur.

14. — Prohibentur pariter libri, qui duellum, suicidium, vel divortium licita statuunt, qui de sectis massonicis, vel aliis eiusdem generis societatibus agunt, easque utiles et non perniciosas Ecclesiae et civili societati esse contendunt, et qui errores ab Apostolica Sede proscriptos teneant.

CAPUT VI. — *De Sacri. Imaginibus et Indulgentiis.*

15. — Imagines quomodocumque impressae Domini Nostri Iesu Christi, Beatæ Mariæ Virginis, Angelorum atque Sanctorum, vel aliorum Servorum Dei ab Ecclesiæ sensu et decretis difformes, omnino vetantur. Novæ vero, sive preces habeant adnexas, sive absque illis edantur, sine Ecclesiasticæ potestatis licentia non publicentur.

16. — Universis interdicitur indulgentias apocryphas, et a Sancta Sede Apostolica proscriptas vel revocatas quomodocumque divulgare. Quæ divulgatae iam fuerint, de manibus fidelium auferantur.

17. — Indulgentiarum libri omnes, summaria, libelli, folia etc., in quibus earum concessionem continentur, non publicentur absque competentis auctoritatis licentia.

CAPUT VII. — *De libris liturgicis et precatoriis.*

18. — In authenticis editionibus Missalis, Breviarii, Ritualis, Cæremonialis Episcoporum, Pontificalis romani, aliorumque librorum liturgicorum a Sancta Sede Apostolica approbatorum, nemo quidquam immutare præsumat: si secus factum fuerit, hæc novæ editiones prohibentur.

19. — Litanie omnes, præter antiquissimas et communes, quæ in Breviariis, Missalibus, Pontificalibus ac Ritualibus continentur, et præter Litanias de Beata Virgine, quæ in sacra Aede Lauretana decantari solent, et litanias Sanctissimi Nominis Iesu iam a Sancta Sede approbatas, non edantur sine revisione et approbatione Ordinarii.

20. — Libros, aut libellos precum, devotionis, vel doctrinæ institutionisque religiosæ, moralis, asceticæ,

mysticæ, aliosque huiusmodi, quamvis ad fovendam populi christiani pietatem conducere videantur, nemo, præter legitimæ auctoritatis licentiam, publicet: secus, prohibiti habeantur.

CAPUT VIII. — *De Diariis, foliis et libellis periodicis.*

21. — Diaria, folia et libelli periodici, qui religionem aut bonos mores data opera impetunt, non solum naturali, sed etiam ecclesiastico iure proscripti habeantur.

Curent autem Ordinarii, ubi opus sit, de huiusmodi lectionis periculo et damno fideles opportune monere.

22. — Nemo e catholicis, præsertim e viris ecclesiasticis, in huiusmodi diariis, vel foliis, vel libellis periodicis, quidquam nisi suadente iusta et rationabili causa, publicet.

CAPUT IX. — *De facultate legendi et retinendi libros prohibitos.*

23. — Libros sive specialibus, sive hisce Generalibus Decretis proscriptos, si tantum legere et retinere poterunt, qui a Sede Apostolica, aut ab illis, quibus vices suas delegavit, opportunas fuerint consecuti facultates.

24. — Concedendis licentiis legendi et retinendi libros quoscumque prohibitos Romani Pontifices Sacram Indicis Congregationem præposuere. Eadem nihilominus potestate gaudent, tum Suprema Sancti Officii Congregatio, tum Sacra Congregatio de Propaganda Fide pro regionibus suo regimini subiectis. Pro Urbe tantum, hæc facultas competit etiam Sacri Palatii Apostolici Magistro.

25. — Episcopi alique Praelati, iurisdictione quasi episcopali pollentes, pro singularibus libris, atque in casibus tantum urgentibus, licentiam concedere valent. Quod si iidem generalem a Sede Apostolica impetrauerint facultatem, ut fidelibus libros proscriptos legendi retinendique licentiam impertiri valent, eam nonnisi cum delectu et ex iusta et rationabili causa concedant.

26. — Omnes qui facultatem apostolicam consecuti sunt legendi et retinendi libros prohibitos, nequeunt ideo legere et retinere libros quoslibet, aut ephemerides ab Ordinariis locorum proscriptas, nisi eis in apostolico indulto expressa facta fuerit potestas legendi et retinendi libros a quibuscumque damnatos. Meminerint insuper qui licentiam legendi libros prohibitos obtinuerunt, gravi se praecepto teneri huiusmodi libros ita custodire, ut ad aliorum manus non perveniant.

CAPUT X. — *De denunciatione pravorum librorum.*

27. — Quamvis catholicorum omnium sit, maxime eorum qui doctrina praevalent, perniciosos libros Episcopis, aut Apostolicae Sedi denunciare; id tamen speciali titulo pertinet ad Nuntios, Delegatos Apostolicos, locorum Ordinarios, atque Rectores Universitatum doctrinae laude florentium.

28. — Expediit ut in pravorum librorum denunciatione non solum libri titulus indicetur, sed etiam, quoad fieri potest, causae exponantur ob quas liber censura dignus existimatur. Iis autem ad quos denuntiatio defertur, sanctum erit, denunciantium nomina secreta servare.

29. — Ordinarii, etiam tamquam Delegati Sedis Apostolicae, libros, aliaque scripta noxia in sua Dioecesi edita vel diffusa proscribere, et e manibus fide-

lium auferre studeant. Ad Apostolicum iudicium ea deferant opera vel scripta, quae subtilius examen exigunt, vel in quibus ad salutarem effectum consequendum, supremae auctoritatis sententia requiri videatur.

TITULUS II.

DE CENSURA LIBRORUM.

CAPUT I. — *De Praelatis librorum censurae praepositis.*

30. — Penes quos potestas sit sacrorum bibliorum editiones et versiones adprobare vel permittere ex iis liquet, quae supra (n. 7) statuta sunt.

31. — Libros ab Apostolica Sede proscriptos nemo audeat iterum in lucem edere: quod si ex gravi et rationabili causa, singularis aliqua exceptio hac in re admitenda videatur, id nunquam fiet, nisi obtenta prius sacrae Indicis Congregationis licentia, servatisque conditionibus ab ea praescriptis.

32. — Quae ad causas Beatificationum et Canonizationum Servorum Dei utcumque pertinent, absque beneplacito Congregationis Sacris Ritibus tuendis praepositae, publicari nequeunt.

33. — Idem dicendum de Collectionibus Decretorum singularum Romanarum Congregationum: haec nimirum Collectiones edi nequeant, nisi obtenta prius licentia, et servatis conditionibus a moderatoribus uniuscuiusque Congregationis praescriptis.

34. — Vicarii et Missionarii Apostolici Decreta sacrae Congregationis Propagandae Fidei praepositae de libris edendis fideliter servent.

35. — Approbatio librorum, quorum censura praesentium Decretorum vi Apostolicae Sedi vel Romanis Congregationibus non reservatur, pertinet ad Ordinarium loci in quo publici iuris fiunt.

36. — Regulares, praeter Episcopi licentiam, mernerint teneri se, sacri Concilii Tridentini decreto, operis in lucem edendi facultatem a Praelato, cui subiacent, obtinere. Utraque autem concessio in principio vel in fine operis imprimatur.

37. — Si Auctor Romae degens librum non in Urbe, sed alibi imprimere velit, praeter approbationem Cardinalis Urbis Vicarii et Magistri Sacri Palatii Apostolici, alia non requiritur.

CAPUT II. — *De censorum officio in praevio librorum examine.*

38. — Curent Episcopi, quorum muneris est facultatem libros imprimendi concedere, ut eis examinandis spectatae pietatis et doctrinae viros adhibeant, de quorum fide et integritate sibi polliceri queant, nihil eos gratiae daturus, nihil odio, sed omni humano affectu posthabito, Dei dumtaxat gloriam spectaturos et fidelis populi utilitatem.

39. — De variis opinionibus atque sententiis (iuxta Benedicti XIV praeceptum) animo a praeiudiciis omnibus vacuo, iudicandum sibi esse censores sciant. Itaque nationis, familiae, scholae, instituti affectum excutiant, studia partium seponant, Ecclesiae sancta dogmata, et communem Catholicorum doctrinam, quae Conciliorum generalium decretis, Romanorum Pontificum Constitutionibus, atque Doctorum consensu continentur, nice praec oculis habeant.

40. — Absoluto examine, si nihil publicationi libri obstare videbitur, Ordinarius, in scriptis et omnino gratis, illius publicandi licentiam, in principio vel in fine operis imprimendam, auctori concedat.

CAPUT III. — *De libris praeviae censurae subiiciendis.*

41. — Omnes fideles tenentur praeviae censurae ecclesiasticae eos saltem subiicere libros, qui divinas Scripturas, Sacram Theologiam, Historiam ecclesiasticam, Ius Canonicum, Theologiam naturalem, Ethicam, aliasve huiusmodi religiosas aut morales disciplinas respiciunt, ac generaliter scripta omnia, in quibus religionis et morum honestatis specialiter interit.

42. — Viri e clero saeculari ne libros quidem, qui de artibus scientificisque mere naturalibus tractant, inconsultis suis Ordinariis publicent, ut obsequentis animi erga illos exemplum praebeant.

Idem prohibentur quominus, absque praevia Ordinarium venia, diaria vel folia periodica moderanda suscipiant.

CAPUT IV. — *De Typographis et Editoribus librorum.*

43. — Nullus liber censurae ecclesiasticae subiectus exeudatur, nisi in principio nomen et cognomen tum auctoris, tum editoris praeferat, locum insuper et annum impressionis atque editionis. Quod si aliquo in casu, iustas ob causas, nomen auctoris tacendum videatur, id permittendi penes Ordinarium potestas sit.

44. — Noverint Typographi et Editores librorum novas eiusdem operis approbati editiones, novam approbationem exigere, hanc insuper textui originali tributam, eius in aliud idioma versioni non suffragari.

45. — Libri ab Apostolica Sede damnati, ubique gentium prohibiti censeantur, et in quocumque verstantur idioma.

46. — Quicumque librorum venditores, praecipue qui catholico nomine gloriantur, libros de obscenis ex

professo tractantes neque vendant, neque commodent, neque retineant; ceteros prohibitos venales non habeant, nisi a Sacra Indicis Congregatione veniam per Ordinarium impetraverint, nec cuiquam vendant nisi prudenter existimare possint, ab emptore legitime peti.

CAPUT V. — *De poenis in Decretorum Generalium transgressores statutis.*

47. — Omnes et singuli scienter legentes, sine auctoritate Sedis Apostolicae, libros apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes, nec non libros cuiusvis auctoris per Apostolicas Literas nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes et quomodo-libet defendentes, excommunicationem ipso facto incurrunr, Romano Pontifici speciali modo reservatam.

48. — Qui sine Ordinarii approbatione Sacrarum Scripturarum libros, vel earundem adnotationes vel commentarios imprimunt, aut imprimi faciunt, incidunt ipso facto in excommunicationem nemini reservatam.

49. — Qui vero cetera transgressi fuerint, quae his Decretis Generalibus praecipuntur, pro diversa reatus gravitate serio ab Episcopo moneantur; et, si opportunum videbitur, canonicis etiam poenis coerceantur.

Præsentes vero litteras et quaecumque in ipsis habentur nullo unquam tempore de subreptionis aut obreptionis sive intentionis Nostrae vitio aliove quovis defectu notari vel impugnari posse; sed semper validas et in suo robore fore et esse, atque ab omnibus cuiusvis gradus et praecminentiae inviolabiliter in iudicio et extra observari debere, decernimus; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate vel praetextu, scienter vel ignoranter contigerit

attentari declarantes, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Volumus autem ut harum litterarum exemplis, etiam impressis, manu tamen Notarii subscriptis et per constitutum in ecclesiastica dignitate virum sigillo munitis, eadem habeatur fides quae Nostrae voluntatis significationi his praesentibus ostensis haberetur.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae constitutionis, ordinationis, limitationis, derogationis, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. — Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursum.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo nonagesimo septimo, VIII Kal. Februarias, Pontificatus Nostri decimo nono.

A. Card. Macchi. — A. Panici, Subdatarius.

Visa de Curia I. De Aquila e Vicecomitibus — Loco H Plumbi. — Reg. in Secret. Brevium. — I. Cugnionius.

XCV.

S. Congr. Concilii Litterae Circulares ad Ordinarios Americae Meridionalis de Seminariis regimine.
— 15 Martii 1897.

De Clericorum Seminariis agens S. Tridentina Synodus in sess. XXIII cap. 18 de Ref. praescriptis pluribus, quae ad alumnorum admissionem et ad religiosam et litterariam eorum educationem spectant, haec addit: « Quae omnia atque alia ad hanc rem opportuna et necessaria Episcopi singuli, cum consilio duo-

rum canonicorum seniorum et graviorum, quos ipsi elegerint, prout Spiritus Sanctus suggererit, constituent, eaque ut semper observentur saepius visitando operam dabunt ».

Pergens deinde ad ea quae oeconomiam administrationem respiciunt, statuit ut « iisdem Episcopi cum consilio duorum de Capitulo, quorum alter ab Episcopo, alter ab ipso Capitulo eligatur; itemque duorum de Clero civitatis, quorum quidem alterius electio similiter ad Episcopum, alterius vero ad Clerum pertineat », omnibus provideant, quae ad Collegii fabricam instituendam, ad mercedem praeceptoribus et ministris solvendam, ad alendam iuventutem et ad alios sumptus referuntur.

Duplex itaque S. Synodus iubet adesse Consilium in Seminariis constituendis et regendis, alterum pro re disciplinari, alterum pro temporali administratione, distincta personarum numero, electionis forma ac officio; etsi nihil vetat quominus duo canonici, qui in coetu sunt consultorum pro re oeconomica, ipsi ab Episcopo eligantur et deputentur etiam pro disciplina, dummodo muneris distinctio servetur.

Quae omnia quam sapienter ordinata fuerint, quisque facile intelliget qui secum reputet, quantum a prospero Seminarii statu et a sana Clericorum institutione profectus religionis pendeat: unde duplicem hunc consultorum ordinem adesse, qui in Seminariorum regimine et administratione Episcopis adsit suppetias ferens, et in tanto pondere sustinendo eisdem opituletur, non nisi prudentissima cautio ac saluberrima provisio est. Eo vel magis quod Episcopi aut visitatione dioecesis, aut aliis negotiis quibus necessario debent intendere, ita saepe occupentur, ut sui Seminarii curae indesinent-

ter vacare, et omnibus per se et directe consulere plerumque omnino impediuntur.

Nec opponi potest, exinde Ordinarios in expedita pii instituti gubernatione impedi; siquidem recepta regula est a S. H. C. inde ab anno 1585 tradita ac saepius deinde confirmata, ut Episcopi adhibere quidem deputatorum consilium teneantur, non item sequi. Sane in *Oscen.* mensis Octobris 1585 S. C. censuit « sufficere quod Episcopus huiusmodi consilium requirat, eorumque consilio adhibito posse Episcopum statuere et deliberare quae pro prudentia sua magis expedire iudicaverit ». Quod autem solummodo pro consilio stat, impedimento esse non potest; sed lumini potius, directioni et auxilio inservit.

Noverint ergo Episcopi quanti intersit, quantoque studio satagendum sit, ut haec tam salubriter instituta lex executioni ubique demandetur, et fideliter servetur.

Quod si ex Cleri defectu, aut ex gravibus aliis conditionum adiunctis, in quibus Americae Meridionalis dioeceses plerumque versantur, haec omnia impleri non possint, universam legem corrumpere, aut eius observantiam in iis quoque quae possibilia sunt praetermitti pati non debent Ordinarii: sed S. Sedem adire opportune tunc poterunt, quae pro variis locorum circumstantiis et casuum diversitate consilio suo Episcopis aderit, et salva legis substantia, in iis quae ad formam pertinent opportuna temperamenta adhibere non omittet.

Pro viribus tamen nitendum, ut, si fieri potest, in omnibus lex vigeat, nihilque ex ea detrahatur: adeo ut uterque consultorum coetus ad praescriptam formam constitutus munere suo iuxta legem defungatur:

Quae vero sit electionis forma in deputatis constituendis servanda, ex adducto Concilii textu perspicue patet.

Nec minori claritate innotescit in quibusnam negotiis consultorum votum sit exquirendum; in omnibus scilicet, quae sunt ad disciplinam et educationem Clericorum tum ad sumptuariam pie domus rationem spectant. Unde S. H. C. in *Oscen.* anni 1585 superius adducta declaravit: « Episcopum cum consilio deputatorum teneri tam circa institutionem, disciplinam et mores Clericorum, quam circa rerum temporalium administrationem providere... exactionem vero quae fit pro Seminario ad solum Episcopum spectare ».

Et in *Salernitana* mensis Julii 1589 propositis dubiis:

« II. An eorum (duorum scilicet deputatorum super disciplina) consilium adhibendum sit tam in constituendis regulis universalibus Seminarii, quam in electione puerorum singulorum introducendorum, in electione magistrorum, librorum legendorum, confessoris, punitione discolorum, expulsionem, visitationem et similibus ».

« III. An alii quatuor sint deputandi, et deputati adhibendi sint in consilio tantummodo in taxatione, contributione fructuum ex unione beneficiorum et in aliis difficultatibus ob quas Seminarii instructio vel conservatio impediretur vel perturbaretur; an etiam in exactione et temporalium administratione tam dicti Seminarii, ut puta, deputatione vel expulsionem ministrorum et famulorum temporalium, expensis quotidianis, provisione bladorum; quam etiam bonorum quorumcumque et redditum ipsius Seminarii, etiam ex

beneficium unitis, ut puta, locationibus, concessionibus, aliisque contractibus et litibus? » responsum fuit:

Ad II: *In omnibus his esse adhibendum.*

Ad III: *Teneri Episcopum adhibere deputatorum consilium tam circa institutionem, disciplinam et mores, quam temporalium rerum administrationem.*

Cum autem unus ex consultoribus, super temporalibus negotiis deputatus a Clero sit eligendus, Clerus suum exercere potest in Synodo, si haec tunc habeatur, prout Doctores tradunt: aliter electio in peculiari totius Cleri civitatis conventu est peragenda.

Omnium denique electorum munus perpetuum esse debere, et neminem nisi ex legitima causa amoveri posse, S. H. C. in cit. *Salernitana* anni 1589 resolvit, idque saepius deinde confirmavit.

Quod si ex morte, ex discessu aut ex alia iusta ratione alter eorum a suo munere cesset, eius subrogatio per eos facienda est per quos prior electio est acta.

Haec praecipua sunt canonicae disciplinae capita, quibus deputatorum Seminarii institutum continetur et regitur, quae de mandato SSmi D. N. Papae Leonis XIII, praesentibus S. C. litteris, omnibus Americae Meridionalis Ordinariis in mentem revocantur, ut consultissimae legis observantia, ubi obsolevit, restituatur, et ubi adhuc inducta non fuit, quamprimum in usum adducatur.

Datum Romae ex S. C. Concilii, die 15 Martii 1897.
A. Card. Di Pietro, Praefectus. — B. Archiep. Nazianzenus, Pro-Secretarius.

XCVI.

SS. D. N. Leonis XIII Litterae Apostolicae « Trans Oceanum » de privilegiis Americae Latinae. — 18 Apr. 1897.

Leo PP. XIII, ad futuram rei memoriam. — Trans Oceanum Atlanticum ad alteram orbis partem divinae providentiae benigna dispositione per Christophorum Columbum aperto itinere, Ecclesia Dei multa ibi mortalium millia reperit, quos, ut suum munus atque opus erat, a latebris et fero cultu ad humanitatem et mansuetudinem traduceret, ab errore et superstitione ad communionem honorum omnium, quae per Iesum Christum parta sunt, ab interitu ad vitam revocaret. Quod quidem salutare munus, ipso vivente adhuc repertore Columbo, ab Alexandro VI Pontifice Maximo decessore Nostro inchoatum perpetuo caritatis tenore ita Ecclesia insistere perrexit, perguit, ut temporibus Nostri ad extremam usque Patagoniam sacras suas expeditiones auspiciato protulerit. Campus enim spatio interminatus, cessatione ipsa atque otio serax, si diligenter subigatur et colatur, fructus edit laetos atque uberes, cultorumque laboribus atque industriae optime respondet.

Quamobrem Romani Pontifices decessores Nostri nullo non tempore destiterunt ad Americae culturam novos operarios summittere, quos ut acrius elaborarent praestantioresque ab opere suo fructus demeterent, singularibus facultatibus et privilegiis auxerunt, atque extraordinaria auctoritate et potestate corroborarunt. Quibus freti Missionarii, lumine religionis catholicae

per Americae regiones longe lateque diffuso, brevi interiecto annorum spatio, in iis praesertim locis ubi novi incolae ab Europa commigrantes, nominatim Hispani, domicilium sibi sedemque stabilem collocaerant, templa excitaverunt, monasteria condiderunt, paroecias, scholas aperuerunt, dioeceses ex potestate Summorum Pontificum constituerunt. Ex quo factum est ut Americae magna pars ab avita religione novorum incolarum et ab origine eorum linguae haberi et dici possit America Latina.

At illud proprium est humanarum institutionum et legum, ut nihil sit in eis tam sanctum et salutare quod vel consuetudo non demutat, vel tempora non invertant, vel mores non corrumpant. Sic in Ecclesia Dei, in qua cum absoluta immutabilitate doctrinae varietas disciplinae coniungitur, non raro evenit, ut quae olim apta erant atque idonea, ea labens aetas faciat vel inepta, vel inutilia, vel etiam contraria.

Quare antiquis privilegiis temporis decursu vel ex parte abrogatis, vel alias ut plurimum insufficientibus, singulari Maximorum Pontificum largitione, aliae adiectae sunt facultates sub determinatis formulis, vel singularibus Americae Latinae Episcopis deinceps delegari solitae, vel pro extraordinariis quibusdam casibus et determinatis regionibus concessae, quarum series si antiqua privilegia numero et extensione superat, difficultates tamen quae sunt circa naturam, vigorem et numerum eorumdem e medio non tollit. Ad haec amovenda incommoda, decessor Noster sanctae memoriae Pius IX datis ad id similibus litteris die 1 Octobris anni MDCCCLXVII plura ex antiquis privilegiis pro Republica Aequatoris ad triginta annorum spatium confirmavit, seu quatenus opus fuerat denuo concessit.

Quum vero ex monumentis ecclesiasticis Americam Latinam respicientibus, quae magna peritorum diligentia collecta atque investigata sunt, probe constet multa ex privilegiis Indiae Occidentali concessis, partim haud vigere, partim in dubium esse revocanda; Nos qui Americanas gentes egregie de Ecclesia Romana meritas singulari amore prosequimur, ad tollendas in re tanti momenti perplexitates et angustias animi, quae Episcopos illarum diocesium aliosque, quorum interest, non raro exagitant, totum dictorum privilegiorum negotium deferri iussimus speciali Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium; qui post maturam deliberationem novorum privilegiorum catalogum, exclusis catalogis, summariis et recensionibus in Conciliis provincialibus vel aliter editis, conficiendum censuerunt, confectumque Apostolica auctoritate probandum.

Nos igitur re mature perpensa, pro ea, quam gerimus, de omnibus Ecclesiis sollicitudine, eorundem Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, ne Clerus et populus illarum regionum anteaactorum privilegiorum memoria et usu penitus privati maneant, sententiam tenuimus et quae infra recensentur privilegia pro omnibus Americae Latinae singulisque diocesisibus et ditionibus de Apostolicae potestatis plenitudine ad proximum triginta annorum spatium hisce ipsis litteris concedimus. Quare, quod bonum, felix, faustumque sit et universae Americae Latinae Ecclesiae benevertat, mandamus, edicimus:

I. Ut electi Episcopi in Americae Latinae ditionibus commorantes postquam promotionis litteras Apostolicas acceperint, nisi aliter in praefatis litteris praescriptum sit, a quocumque maluerint catholico Antistite, gratiam

et communionem Apostolicae Sedis habente, accitis et assistentibus, si alii Episcopi assistentes absque gravi incommodo reperiri nequeant, duobus vel tribus presbyteris in ecclesiastica dignitate constitutis, vel Cathedralis Ecclesiae Canonicis, consecrationis munus accipere valeant.

II. Ut Concilii Provincialis celebratio ad duodecim annos differri possit, reservato Metropolitae iure illud frequentius, prout necessitas postulaverit, celebrandi, nisi aliter per Sedem Apostolicam postea ordinatum fuerit.

III. Ut Episcopi Sacrum Chrisma, quod ex indico etiam, vero tamen balsami liquore fieri potest, et Olea Sacra conficere possint iis sacerdotibus adstantibus qui adstare potuerint, et, urgente necessitate, extra diem Coenae Domini.

IV. Ut adhiberi possint Sacra Olea etiam antiqua, non tamen ultra quatuor annos, dummodo corrupta ne sint, et peracta omni diligentia, nova vel recentiora Sacra Olea haberi nequeant.

V. Ut pro omnibus et solis regionibus seu locis, in quibus magnae distantiae causa vel ob aliud grave impedimentum perdifficile sit Parochis vel Missionariis ad Baptismum conferendum aquam Sabbato Sancto et Pentecostè benedictam ex fontibus baptismalibus, ubi asservatur, desumere et secum circumferre, Ordinarii, nomine Sanctae huius Sedis, concedere possint Parochis et Missionariis supra dictis facultatem benedicendi aquam baptismalem ea breviori formula, qua Missionarios in Peruvia apud Indos Summus Pontifex Paulus III uti concessit, quaeque in appendice ad rituale Romanum legitur.

VI. Ut si propter defectum temporis, improbamque

defatigationem, aliisque gravibus de causis perdifficile sit omnes adhibere caeremonias pro Baptismo adutorum praescriptas, Parochi et Missionarii, de praevio Ordinarii consensu, uti possint solis ritibus, qui in Constitutione Pauli III « Altitude » die 1 Junii MDXXXVII designantur. Insuper ut in iisdem rerum adiunctis Ordinarii nomine Sanctae Sedis concedere valeant Parochis et Missionariis usum ordinis Baptismi parvulorum, onerata in usu huiusmodi facultatis eorundem Ordinariorum conscientia super existentia gravis necessitatis.

VII. Ut in omnibus et singulis ditionibus Americae Latinae, nulla excepta, omnes sacerdotes tam saeculares quam regulares, quamdiu in praefatis ditionibus moram duxerint, et non alias, singulis annis die secunda Novembris seu die sequenti, iuxta rubricas Missalis Romani, qua nempe commemoratio omnium fidelium defunctorum ab Ecclesia universali recolitur, tres Missas singuli celebrare possint et valeant, ita tamen ut unam tantum eleemosynam accipiant, videlicet pro prima Missa dumtaxat, et in ea quantitate tantum, quae a Synodalibus Constitutionibus seu a loci consuetudine regulariter praefinita fuerit; fructum autem medium secundae et tertiae Missae non peculiari quidem defuncto, sed in suffragium omnium fidelium defunctorum omnino applicent, ad normam Constitutionis Benedicti XIV Pontificis Maximi « Quod expensis » diei xxvi Augusti MDCCXLVIII.

VIII. Ut omnes fideles annuae Confessionis et Communionis praecepto satisfacere possint a Dominica Septuagesimae usque ad octavam diem sollemnitatis Corporis Christi inclusive.

IX. Ut omnes fideles lucrari possint indulgentias

et iubilaea, quae requirunt Confessionem, Communionem et ieiunium, dummodo servato ieiunio, si loca inhabitent, ubi impossibile prorsus vel difficile admodum sit Confessarii copiam habere, corde saltem contriti sint cum proposito firmo confitendi admissa, quam primum poterunt, vel ad minus intra unum mensem.

X. Ut Indi et Nigritae intra tertium et quartum tam consanguinitatis quam affinitatis gradum matrimonia contrahere possint.

XI. Ut Indi et Nigritae quocumque anni tempore nuptiarum benedictionem accipere possint, dummodo iis temporibus, quibus ab Ecclesia prohibentur nuptiae, pompae apparatus non adhibeant.

XII. Ne Indi et Nigritae ieiunare teneantur praeterquam in feriis sextis Quadragesimae, in Sabbato Sancto, et in pervigilio Natalis D. N. I. C.

XIII. Ut praeterea Indi et Nigritae absque ullo onere, seu solutione eleemosynae uti possint indulto, quod Quadragesimale dicitur, et quo fideles respectivae dioecesis seu regionis ab Apostolica Sede donantur; ideoque carnibus, ovis et lacticiis vesci possint omnibus diebus ab Ecclesia vetitis, exceptis quoad carnes diebus in superiori paragrapho XII notatis.

XIV. Ut quaecumque in causis tam criminalibus, quam aliis quibuscumque forum ecclesiasticum concernentibus, a sententiis pro tempore latis appellari contigerit, si prima sententia ab Episcopo lata fuerit, ad Metropolitanum; si vero prima sententia lata sit ab ipso Metropolitanum, ad Ordinarium viciniorum absque alio Sedis Apostolicae rescripto appelletur: et si secunda sententia primae conformis fuerit, vim rei iudicatae obtineat, et executioni per eum, qui eam tulerit,

demandetur, quacumque appellatione non obstante; si vero illae duae sive ab Ordinario et Metropolitano, sive a Metropolitano et Ordinario vicinore latae, conformes non fuerint, tunc ad alterum Metropolitanum vel Episcopum ei, a quo primo fuit lata sententia, vicinorem eiusdem provinciae appelletur; et duas ex ipsis tribus sententias conformes, quas vim rei iudicatae habere volumus, is, qui postremo loco iudicaverit, exequatur, quacumque appellatione non obstante. Cum autem recursus ad Apostolicam Sedem etiam omissio medio, sive ante sive post sententias iudicum inferiorum, semper integer manere debeat, ad normam iuris, in usu huius privilegii omnino servandae erunt sequentes conditiones: 1.º Ut in singulis causis salva maneat cuique litiganti facultas ad hanc Apostolicam Sedem etiam post primam sententiam recurrendi; 2.º Ut in singulis actibus expressa fiat Apostolicae delegationis mentio; 3.º Ut causae maiores sint eidem Apostolicae Sedi reservatae ad normam Sacri Concilii Tridentini; 4.º Et quoad causas matrimoniales ea custodiantur, quae in Constitutione Benedicti XIV cuius initium « Dei miseratione » praestituta sunt.

Abrogatis deletisque Auctoritate Nostra Apostolica omnibus et singulis Indiarum Occidentalium privilegiis quocumque nomine vel forma ab hac Sancta Sede prius concessis.

Contrariis quibuscumque etiam speciali et individua mentione dignis non obstantibus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die solemnī Paschae XVIII Aprilis MDCCLXXXVII, Pontificatus Nostri anno vigesimo. — A. Card. Macchi.

XCVII.

Responsio S. Officii de matrimonio impiorum, vulgo liberi pensatori, sectariorum et pravorum catholicorum. — 25 Maii 1897.

Feria III, loc. IV, die 25 Maii 1897. — In Relatione Status Ecclesiae Tabascensis, exhibita S. Congregationi Concilii die 27 Novembris 1896, sequens legitur, sub num. I, *Postulatum*:

« His in Regionibus frequenter occurrit, ut viri impii, vulgo *liberi pensatori*, matrimonium inire cupientes cum mulieribus catholicis, praeviam confessionem facere renuant, eo quod, ut explicitè fatentur, fidem Sacramenti Poenitentiae corde incredulo reiecerunt et totam fidem negaverunt. Peto: an hi, infidelibus deteriores, debeant aut possint admitti ad contrahendum matrimonium, cum magno mulieris catholicae et familiae detrimento et periculo? »

Cum hoc Postulatum transmissum fuerit ad hanc Supremam S. R. et U. Inquisitionem, in Congregatione Generali habita ab Em̄is et R̄nis DD. Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus, proposito suprascripto dubio, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem Em̄i ac R̄ni Dñi responderi mandarunt:

Supplicandum SS̄mo, ut in Decreto Feriae IV die 30 Ianuarii 1867.

Feria vero IV, die 26 eiusdem mensis, SS̄mus, per facultates Em̄o Cardinali S. R. et U. Inquisitionis Secretario concessas, benigne annuit pro gratia.

Porro citatum Decretum fer. IV diei 30 Ianuarii 1867 sic se habet:

« I. Quid agendum quando vir baptizatus, sed apo-

stasiam a fide verbis et corde profitens, asserensque nominatim se non credere Sacramentis Ecclesiae, petit matrimonium coram eiusdem Ecclesiae facie, unice ut desiderio sponsae satisfaciatur?

« II. Quid si idem petit vir sectae condemnatae muratorum vel simili addictus, qui licet fidem non omnino amiserit, sectae tamen debite renunciare recusat? »

« III. Quid si idem postulat vir, qui fidem non abiecit, sed eam profiteri, officiaque christiana adimplere abnuat? »

Responsum fuit: Ad I. « Quoties agatur de matrimonio inter unam partem catholicam et alteram quae a fide ita defecit, ut alicui falsae religioni vel sectae sese adscriperit, requirendam esse consuetam et necessariam dispensationem, cum solitis ac notis praescriptionibus et clausulis. Quod si agatur de matrimonio inter unam partem catholicam et alteram quae fidem abiecit, at nulli falsae religioni vel haereticae sectae sese adscripsit, quando parochus nullo modo potest huiusmodi matrimonium impedire (ad quod totis viribus incumbere tenetur) et prudenter timet, ne ex denegata matrimonio adistentia grave scandalum vel damnum oriatur, rem deferendam esse ad R. P. D. Episcopum, qui, sicut ei oportuna nunc facultas tribuitur, inspectis omnibus casus adiunctis, permittere poterit ut parochus matrimonio passive intersit tamquam testis *authorizabilis*, dummodo cautum omnino sit catholicae educationi universae proles, aliisque similibus conditionibus ».

Ad II. « Dandum esse Decretum diei 28 Iunii 1865, quod est huiusmodi: « *Quoad matrimonia, in quibus una contrahentium pars clandestinis aggregationibus*

« *per Pontificias Constitutiones damnatis adhaeret, dummodo absit scandalum, Ordinarius, habita circumstantiarum ratione, pro casibus particularibus, ea decernat quae magis expedire iudicaverit* ».

Ad III. « Consulat probatos Auctores, et praesertim Benedictum XIV, *De Synodo Dioecesis*. L. VIII, « Cap. XIV, n. 5 ».

I. C. Mancini, S. R. et U. Inquis. Not.

XCVIII.

S. Officii declaratio de usu facultatis absolvendi a censuris reservatis, in casu quo poenitenti durum sit expectare. — 16 Iunii 1897.

Beatissime Pater, — Episcopus N. N., ad pedes S. V. provolutus, humiliter exponit:

Ex Decreto S. Inquisitionis 23 Iunii 1886, cuilibet confessario directe absolvere licet a censuris, etiam speciali modo S. Pontifici reservatis, in casibus vere urgentioribus, in quibus absolutio differri nequit absque periculo gravis scandali vel infamiae, iniunctis de iure iniungendis, sub poena tamen reincidentiae in easdem censuras, nisi saltem infra mensem per epistolam et per medium confessarii absolutus recurat ad S. Sedem.

Dubium tamen oritur pro casu, quo nec scandalum nec infamia est in absolutionis dilatione, sed poenitens, censuris papalibus innodatus, in mortali diu permanere debet, nempe per tempus requisitum ad petitionem et concessionem facultatis absolvendi a reservatis; praesertim quum theologi, cum S. Alphonso de Ligorio, ut quid durissimum habeant pro aliquo per unam vel alteram diem in mortali culpa permanere.

Hinc, post Decretum 23 iunii 1886, deficiente hac in quaestione Theologorum solutione, quaeritur:

I. Utrum in casu, quo nec infamia, nec scandalum est in absolutionis dilatione, sed durum valde est poenitente in gravi peccato permanere, per tempus necessarium ad petitionem et concessionem facultatis absolventi a reservatis, simplici confessario liceat a censuris S. Pontifici reservatis directe absolvere, iniunctis de iure iniungendis, sub poena tamen reincidentiae in easdem censuras, nisi saltem infra mensem per epistolam et per medium confessarii absolutus recurrat ad S. Sedem?

II. Et quatenus negative, utrum simplex confessarius eundem poenitentem indirecte absolvere debeat, eum monens ut a censuris directe in posterum a Superiore absolvi curet, vel apud ipsum revertatur, postquam obtinuerit facultatem a reservatis absolventi?

Feria IV, 16 Iunii 1897. — In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis, habita ab Em̃is ac Rm̃is DD. Cardinalibus in rebus fidei Generalibus Inquisitoribus, proposito suprascripto dubio, praehabitoque RR. DD. Consultorum S. O. voto, iudem Em̃i ac Rm̃i DD. respondendum censuerunt:

Ad I. Affirmative, facto verbo cum SSmo.

Ad II. Provisum in primo.

Insequenti vero feria VI, die 18 eiusdem mensis et anni, in solita audientia R. P. D. Adessori S. O. impertita, facta de omnibus SSmo D. N. Leoni PP. XIII relatione, idem SSmus Dñs Em̃orum Patrum resolutionem adprobavit.

I. Can. Mancini, S. R. et Univ. Inq. Not.

XCIX.

Leonis XIII Epistola « Abrogata » ad Episc. Massiliensem de non differenda Confirmatione ad tempus primam Communionem subsequens. — 22 Iunii 1897.

Venerabilis Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Abrogata, quae toto fere saeculo inoleverat, consuetudine, visum tibi est in mores dioecesis tuae inducere ut pueri, antequam divino Eucharistiae epulo reficiantur, christianum Confirmationis sacramentum, almo iniuncti chrismate, suscipiant. Quod utrum Nobis probetur significari tibi desiderasti: placuit autem de re tam praecipua, medio nemine, ad te praescribere et qua simul mente aperire.

Propositum igitur tuum laudamus cummaxime. Quae enim ratio istic aliisque in locis invaluerat, ea nec cum veteri congruebat constantique Ecclesiae instituto, nec cum fidelium utilitatibus. Insunt namque puerorum animis elementa cupidinum, quae, nisi maturime eradantur, invalescunt sensim, imperitos rerum pelliciant atque in praeeptis trahunt. Quamobrem opus habent fideles, vel a teneris, *indui virtute ex alto*, quam Sacramentum Confirmationis gignere notum est; in quo, ut probe notat Angelicus Doctor, Spiritus Sanctus datur ad robur spiritualis pugnae et promovetur homo spiritualiter in aetatem perfectam. Porro sic confirmati adolescentuli ad capienda praeepta molliores fiunt, suscipiendaeque postmodum Eucharistiae aptiores, atque ex suscepta uberiora capiunt emolumenta.

Quare quae a te sapienter sunt constituta optamus ut fideliter perpetuoque serventur.

Ut autem de tuo studio, in commissi gregis utilitatibus procurandis, benevolentiae Nostrae testimonium habeas, Apostolicam benedictionem tibi, Venerabilis Frater, universaeque dioecesi tuae amatissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xxii Iunii, anno MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri vigesimo. — Leo PP. XIII.

Venerabili Fratri Joanni Ludovico Episcopo Massiliensium, Massilian.

C.

S. Officii instructiones, quoad diligentias adhibendas in causis sollicitationis circa denunciatum eiusque denunciante. — 6 Aug. 1897.

I. Instructionis S. Romanae et Universalis Inquisitionis, circa observantiam Apostolicae Constitutionis « Sacramentum Poenitentiae », N. 10 praecipitur, ut, *antequam contra denunciatum procedatur, perspectum exploratumque iudici esse debeat, quod mulieres vel viri denunciante sint boni nominis, neque ad accusandum vel inimicitia et alio humano affectu adducti fuerint.*

II. Praeceptum huiusmodi, uti omnia quae ad huius Supremi Tribunalis procedendi rationem spectant, strictissimi iuris censendum est, ita ut, eo neglecto, ad ulteriora procedi nequeat.

III. Nec sufficit ut id utrumque, sed omnino necesse est ut certa iudiciali forma iudici innotescat; quod propria dictione: « *diligentias circa denunciatum eiusque denunciante peragere* » significari, in foro S. Officii usus obtinuit.

IV. Iamvero cum non semper nec ab omnibus, vel

tantum post longum tempus, cum nempe testimoniorum receptio difficilis et quandoque impossibilis est, Supremum hoc Tribunal id servari perspexerit, hanc ad rem, Instructionem, pro Rñorum Ordinariorum norma, edendam mandavit.

V. Ordinarius igitur, toties quoties aliquam de infando sollicitationis crimine denunciationem acceperit, illico ad diligentias peragendas procedet. Ad quem finem, vel per se vel per Sacerdotem a se *specialiter* delegatum, advocabit (separatim scilicet et qua decet circumspectione) duos testes, quantum fieri poterit, ex coetu ecclesiastico, utrumque vero omni exceptione maiores, qui bene noverint tum denunciatum tum omnes et singulos denunciante, eosque, sub sanctitate iuramenti de veritate dicenda et de secreto S. Officii servando, iudicialiter interrogabit, testimonium scripto referens, iuxta insequentem formulam; utriusque vero testimonii atque una simul respectivae denunciationis authenticum exemplar, directe tutaque via, ad hanc Supremam Congregationem quamprimum transmittet.

VI. Dictum est: « vel per se vel per Sacerdotem a se *specialiter* delegatum »; nihil enim prohibet, quominus, rationabili ex causa, pio alicui docto ac prudenti Sacerdoti id muneris Ordinarius demandare valeat; *speciali* tamen ei in singulis casibus delegatione impertita, eique antea delato iureiurando de munere fideliter obeundo et de secreto S. Officii servando. ®

VII. Quod si inveniri nequeant duo tantum testes, qui noverint una simul denunciatum et omnes et singulos denunciante, plures vocari debent. Tot nempe hoc in casu testes, ut supra, vocandi erunt, quot oportebit ut duplex, quoad denunciatum et unumquemque denunciante, habeatur testimonium.

Ut autem de tuo studio, in commissi gregis utilitatibus procurandis, benevolentiae Nostrae testimonium habeas, Apostolicam benedictionem tibi, Venerabilis Frater, universaeque dioecesi tuae amatissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xxii Iunii, anno MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri vigesimo. — Leo PP. XIII.

Venerabili Fratri Joanni Ludovico Episcopo Massiliensium, Massilian.

C.

S. Officii instructiones, quoad diligentias adhibendas in causis sollicitationis circa denunciatum eiusque denunciante. — 6 Aug. 1897.

I. Instructionis S. Romanae et Universalis Inquisitionis, circa observantiam Apostolicae Constitutionis « Sacramentum Poenitentiae », N. 10 praecipitur, ut, *antequam contra denunciatum procedatur, perspectum exploratumque iudici esse debeat, quod mulieres vel viri denunciante sint boni nominis, neque ad accusandum vel inimicitia et alio humano affectu adducti fuerint.*

II. Praeceptum huiusmodi, uti omnia quae ad huius Supremi Tribunalis procedendi rationem spectant, strictissimi iuris censendum est, ita ut, eo neglecto, ad ulteriora procedi nequeat.

III. Nec sufficit ut id utrumque, sed omnino necesse est ut certa iudiciali forma iudici innotescat; quod propria dictione: « *diligentias circa denunciatum eiusque denunciante peragere* » significari, in foro S. Officii usus obtinuit.

IV. Iamvero cum non semper nec ab omnibus, vel

tantum post longum tempus, cum nempe testimoniorum receptio difficilis et quandoque impossibilis est, Supremum hoc Tribunal id servari perspexerit, hanc ad rem, Instructionem, pro Rñorum Ordinariorum norma, edendam mandavit.

V. Ordinarius igitur, toties quoties aliquam de infando sollicitationis crimine denunciationem acceperit, illico ad diligentias peragendas procedet. Ad quem finem, vel per se vel per Sacerdotem a se *specialiter* delegatum, advocabit (separatim scilicet et qua decet circumspectione) duos testes, quantum fieri poterit, ex coetu ecclesiastico, utrumque vero omni exceptione maiores, qui bene noverint tum denunciatum tum omnes et singulos denunciante, eosque, sub sanctitate iuramenti de veritate dicenda et de secreto S. Officii servando, iudicialiter interrogabit, testimonium scripto referens, iuxta insequentem formulam; utriusque vero testimonii atque una simul respectivae denunciationis authenticum exemplar, directe tutaque via, ad hanc Supremam Congregationem quamprimum transmittet.

VI. Dictum est: « vel per se vel per Sacerdotem a se *specialiter* delegatum »; nihil enim prohibet, quominus, rationabili ex causa, pio alicui docto ac prudenti Sacerdoti id muneris Ordinarius demandare valeat; *speciali* tamen ei in singulis casibus delegatione impertita, eique antea delato iureiurando de munere fideliter obeundo et de secreto S. Officii servando. ®

VII. Quod si inveniri nequeant duo tantum testes, qui noverint una simul denunciatum et omnes et singulos denunciante, plures vocari debent. Tot nempe hoc in casu testes, ut supra, vocandi erunt, quot oportebit ut duplex, quoad denunciatum et unumquemque denunciante, habeatur testimonium.

VIII. Quoties autem iuramentum de secreto servando et, pro diversis casibus, de veritate dicenda vel de munere fideliter obeundo, deferendum sit, iuramentum ipsum semper et ab omnibus, etiam Sacerdotibus, *tactis Ss. Dei Evangelii et non aliter*, praestandum erit. In Ordinarii vero potestate erit, siquidem pro rerum, locorum aut personarum adiunctis necessarium vel expediens iudicaverit, excommunicationem ipso facto incurrendam et Rom. Pont. speciali modo reservatam violatoribus comminari.

IX. Sequitur interrogationis formula:

Die . . . mense . . . anno . . .

Vocatus personaliter comparuit coram me infra-scripto Episcopo . . . (*notetur nomen dioecesis. Delegatus autem dicat*: coram me infra-scripto a r. p. d. Episcopo . . . ad hunc actum tantum specialiter delegato) sistente in . . . (*notetur locus ubi negotium geretur*).

N . . . N . . . (*nomen, cognomen et qualitates testis consenti*) qui, delato ei iuramento veritatis dicendae, quod praestitit tactis Ss. Dei Evangelii, fuit per me

1. Interrogatus: Utrum noverit Sacerdotem N. . . N . . . ? (*nomen, cognomen et qualitates denunciati*).

Respondit: . . . (*scribatur, lingua qua utitur testis, eius responsio*).

2. Interrogatus: Quenam sit huiusce Sacerdotis vitae ratio, quinam mores, quanam penes populum existimatio?

Respondit: . . .

3. Interrogatus: Utrum noverit viros vel ut plurimum, mulieres NN . . . NN . . . ? (*nomen, cognomen et qualitates uniuscuiusque denunciantis*).

Respondit: . . .

4. Interrogatus: Quenam sit uniuscuiusque eorum vitae ratio, quanam penes populum existimatio?

Respondit: . . .

5. Interrogatus: Utrum eos censeat fide dignos, vel contra mentiendi, calumniandi in iudicio et etiam peierandi capaces eos existimet?

Respondit: . . .

6. Interrogatus: Utrum sciat, num forte inter eos et praefatum Sacerdotem ulla unquam extiterit odii vel inimicitiarum causa?

Respondit: . . .

Tunc, delato ei iuramento de secreto S. Officii servando, quod praestitit ut supra, dimissus fuit, et antequam discederet, in confirmationem praemissorum se subscripsit.

Subscriptio autographa testis vel eius signum † crucis.

Acta sunt haec, per me N . . . N . . . (*nomen, cognomen et qualitates Episcopi vel eius Delegati qui testimonium recepit*).

Datum Romae, die 6 Augusti 1897.

L. M. Card. Parocchi.

CL

S. Officii declaratio circa facultatem cumulandi in tribuendis dispensationibus matrimonialibus. — 18 Augusti 1897.

Beatissime Pater. — Episcopus Mysuriensis, ad pedes S. V. provolutus, humiliter exponit se interdum ancipitem haerere in usu facultatum cumulandi (ut aiunt) quibus in tribuendis dispensationibus matrimonialibus

pollet. Hinc enixe petit insequentium dubiorum resolutionem:

I. Utrum, concurrente aliquo impedimento dirimente secreto, seu fori interni, cum alio impedimento item dirimente, sed publico, necessaria sit ad dispensationem specialis cumulandi facultas?

II. Utrum, concurrentibus duobus impedimentis, quorum unum sit dirimens et alterum impediens tantum, eo excepto quod *mixtae religionis* dicunt, pariter necesse sit, ad dispensationem, specialis cumulandi facultas?

Fer. IV, 18 Augusti 1897. - In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis, habita ab Em̄is ac Rm̄is DD. Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus, propositis suprascriptis dubiis, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem Em̄i ac RRm̄i DDñi respondere mandarunt:

Ad I. Negative; et detur Decretum die 31 Martii 1872 in *Coimbaturen.*

Ad II. Affirmative, quoad impedimenta impediens, quorum dispensatio reservatur S. Sedi, ea nempe quae oriuntur ex mixta religione, ut aiunt, atque ex sponsalibus et ex voto simplici perpetuae castitatis; secus in reliquis, circa quae Episcopus uti poterit iure suo.

Feria vero VI, die 20 eiusdem mensis et anni, in solita Audientia R. P. D. Adessori S. O. impertita, facta de his omnibus relatione SS. D. N. Leonis PP. XIII, idem SSm̄us Dominus resolutionem EE. ac RR. Patrum in omnibus adprobavit.

Decretum autem, die 31 Martii 1872 datum, occasione dubii a R. P. D. Vicario Apostolico Coimbaturen. propositi, prout constat ex actis S. Congr. de Propag.

Fide, sic se habet: « SSm̄us Dominus declaravit genericam prohibitionem concedendi absque speciali facultate dispensationes, quando in una eademque persona concurrunt impedimenta matrimonialia, non extendi ad eos casus, in quibus cum impedimento natura sua publico aliud occurrit impedimentum occultum, seu fori interni. » - I. Can. Mancini, S. R. et U. Inq. Not.

CII.

S. Officii decretum de transitu facultatum apostolicarum Ordinariis concessarum ad eorum successores. — 24 Novembris 1897.

Feria IV, 24 Novembris 1897.

In Congr. Gen. S. Rom. et Univ. Inquisit. habita ab Em̄is ac Rm̄is DD. Card. in rebus fidei et morum Gen. Inquisitoribus, iidem Em̄i Patres, rerum temporumque adiunctis mature perpensis, decernendum censuerunt: Supplicandum SSmo, ut declarare seu statuere dignetur facultates omnes speciales habitualiter a S. Sede Episcopis aliisque locorum Ordinariis concessas non suspendi vel desinere ob eorum mortem vel a munere cessationem, sed ad successores Ordinarios transire ad formam et in terminis decreti a Sup. hac Cong. editi die 20 Februarii 1888 quoad dispensationes matrimoniales.

Insequenti vero feria VI, die 26 Novembris 1897, in solita audientia R. P. D. Adessori S. O. impertita, facta de his omnibus SSmo Dño N. D. Leonis Div. Prov. Pp. XIII relatione, Sanctitas Sua Em̄orum Patrum resolutionem adprobavit, atque ita perpetuis fu-

turis temporibus servandum mandavit, contrariis non obstantibus quibuscumque. - Ios. Can. Mancini, S. R. et U. Inq. Notarius.

CIII.

S. Officii decretum de facultatibus concedendis « Ordinarius locorum », et de appellatione « Ordinarius ». — 20 April. 1898.

Feria IV, die 20 Aprilis 1898.

Postquam per Decretum huius supremæ Sacrae Congregationis in Fer. IV. die 24 Novembris 1897 declaratum fuit facultates omnes speciales habitualiter a S. Sede Episcopis aliisque locorum Ordinariis concessas non suspendi eorum morte vel cessatione a munere, sed ad successores Ordinarios extendi, ad formam Decreti S. Officii Fer. IV diei 20 Februarii 1888 pro dispensationibus matrimonialibus; propositum fuit eidem huic S. Congregationi dubium: utrum expediat in posterum eliminare facultates *durante munere*, quae ut plurimum Vicariis Capitularibus conceduntur.

Porro in Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis habita ab EEñis et RRñis DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Inquisitoribus Generalibus praefato dubio diligenter expenso, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem EEñi ac RRñi Patres rescribendum mandarunt.

Clausulam DURANTE MUNERE, esse supprimendam, et in caeteris standum formae Decreti iam lati die 20 Februarii 1888 num. 1. et 2., at iuxta modum, idest:

« 1^a Facultates omnes habituales in posterum committendas esse Ordinariis Locorum.

« 2^a Appellatione *Ordinarius* venire Episcopos, Administratores seu Vicarios Apostolicos, Praelatos seu Praefectos habentes iurisdictionem cum territorio separato, eorumque Officiales seu Vicarios in spiritualibus generales, et sede vacante Vicarium Capitularem vel legitimum Administratorem ».

Subsequenti vero feria VI, die 22 eiusdem mensis Aprilis 1898, in solita audientia R. P. D. Adessori impertita, facta de his omnibus SSñio D. N. Leoni Div. Prov. Pp. XIII relatione, SSñus resolutionem EEñorum Patrum adprobavit, contrariis non obstantibus quibuscumque. - I. Can. MANCINI, S. R. et U. Inquis. Not.

CIV.

S. C. Negot. EE. EE. declaratio authentica, quoad significationem denominationis Indorum et Nigritarum in Litteris Apostolicis « Trans Oceanum », diei 18 Apr. 1897. — 24 Maii 1898.

Ex Audientia Sanctissimi die 24 maii a. 1898. - Cum propositum fuerit dubium, quinam nomine *Indorum* et *Nigritarum* in Litteris Apostolicis *Trans Oceanum*, a SSñio D. N. Leone PP. XIII die 18 Aprilis 1897 editis, intelligi debeant, Eadem Sanctitas Sua, referente me infrascripto Sacrae Congregationis Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis praepositae Secretario, haec quae sequuntur censuit declaranda:

In praedictis Litteris Apostolicis *Trans Oceanum*, nomina *Indorum* et *Nigritarum* eadem significatione sumi ac in coeteris praecedentibus Constitutionibus pontificiis de hac materia agentibus, speciatim in Con-

stitutionibus Alexandri VIII *Animarum salutē*, diei 30 Martii 1690, et Benedicti XIV *Cum Venerabilis*, diei 27 Ianuarii 1757, videlicet:

I. Sub nomine *Indorum* et *Nigrilarum*, praeter ipsos Indos et Nigrilas, comprehendi etiam eos, qui ex Indo aut Nigrita et ex muliere Europaea (vel europaei sanguinis) nec non qui ex Europaeo viro et Indica vel Nigrita muliere, sunt progeniti, ideoque *Mixti*, *Mestizi* vel *Mulati* vocantur, et absolutam medietatem sanguinis europaei habent. Non autem comprehendi eos, qui originem ab Indis vel Nigritis ducunt per avum tantum vel aviam, quique *Quarterones* dicuntur, utpote quartam solummodo partem sanguinis indici vel nigrifici habentes; et multo minus qui per proavum, vel proaviam dumtaxat, ab Indis vel Nigritis originem trahunt, et vulgo *Puchuelos* seu *Puuelles* appellantur.

II. Insuper, *Indorum* et *Nigrilarum* nomine intelligi etiam Africanos, Asiaticos et Oceanios, dummodo ex europaeo sanguine non sint, ac in America Latina commorentur, quamvis in ea nati non fuerint.

Et ita Sanctitas Sua publicari et servari mandavit, contrariis quibuscumque minime obfuturis.

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis, die, mense et anno praedictis.

Felix Cavagnis, Secretarius S. Congr. Negotiis Eccl. Extraord. praeposita.

CV.

SS. D. N. Leonis PP. XIII *Litterae Apostolicae de erectione Archisodalitatis Praeconi et piorum Operum pro reditu Ecclesiarum dissidentium ad Catholicam Unitatem, sub patrocinio B. M. V. in caelum Assumptae in ecclesia Anastasiae Byzantiae, cum annexis Statutis.* — 25 Maii 1898.

Leo Pp. XIII. Ad perpetuam rei memoriam. — Cum, divini Pastoris auspicio et numine, magni momenti illam aggressi fuerimus operam, quae eo contendit, ut dissidentes Orientalium christianorum greges ad catholici ovilis unitatem reducantur; iucundo quidem accepimus animo has Nostras curas Apostolicas illic uberes iam fructus edidisse. Magnopere igitur laetamur Augustinianos ab Assumptione catholicae fidei studio vehementer incensos atque huic beati Petri Sedi devotissimos, non satis habentes tum veteribus tum novis pietatis argumentis obsequium erga Romanam Cathedram in Occidente fovere, pro viribus etiam adlaborare, ut operibus a Sancta Sede sibi praestitutis nobilissimam huiusmodi metam vel in Oriente pertingant. Quapropter eos iam de Latinis atque Orientalibus, praesertim in Bulgaria et in Turcarum Imperio meritos, pari ac pro egregie factis in Palaestinae regione laude prosequimur, utpote qui epistola Nostra *Adventibus Nobis* permoti, sive in urbe Constantinopoli, sive in Asia minore templis, non minus quam institutis, seminariis, scholis, studiis ac zelo animarum eximia in rem catholicam contulerint beneficia. Neque dissimili laude Nostra dignae videntur sacrae Virgines

eiusdem Societatis, Sorores scilicet Oblatae ab Assumptione nuncupatae, quae multiplici caritatis industria eorumdem populorum animos sibi devinciunt, atque haud parvo sunt subsidio Missionibus eorumdem religiosorum, qui curam illarum Oblatarum per eas regiones habent. Quae cum ita sint, memoratis Augustinianis ab Assumptione, de divina gloria tam sollicitis, spiritualem sive Latinorum sive Graecorum administrationem iam eis pro sedibus concessam, quas ad Stambul in urbe Constantinopoli et ex adverso ad Kadü-Keui in Chalcedone, et in reliqua Asia minore nec non Gallipoli possident aut sunt possessuri, praesentium tenore auctoritate Apostolica Nostra confirmamus, simulque adiciamus, ut eandem spiritualem administrationem pro Latinis ac fidelibus Graeco-Slavonici ritus in cunctis Bulgariae sedibus, ubi hoc pro Latinis munere funguntur, libere liciteque exercere, ac sollemnia officia quoque seorsum ritu apte ac decore agere queant. Cum vero ad caelestem opem in tanto christianae unitatis negotio implorandam pia Sodalitas sub patrocinio B. M. V. in caelos Assumptae ab illo sacerdote, pietate ac doctrina insigni, animarumque salutis studiosissimo, Emmanuele d' Alzon eiusdem Augustinianorum ab Assumptione Congregationis Legifero Patre quinque et viginti abhinc annis erecta sit, et ab eius successore Francisco Picard, in quo eiusdem viri spiritus integer viget, maiore in dies cum gratia augetur. Nos huiusmodi Consociationem, quae Sodales non modo inter Latinos sed inter Orientales quoque variorum rituum excipit, eosque ad Ecclesiae unitatem precibus operibusque multimodis provehendam etiam atque etiam adhortatur, adeo ut christianos ipsos dissidentes ad precandum cum eadem intentione excitet,

veluti iam peculiari benevolentia pluries complexi sumus, ita nunc novis honoribus ac privilegiis libenter decoramus. Idque eo propensius facimus, quod cum Nostra permagni referat, ut ea Sodalitas longe lateque propagetur, fideles quotquot sunt, quibus catholicus honor maxime est curae, impense in Domino ut in eandem Sodalitatem sua deat nomina cohortari volumus, et Consociationem ipsam de necessitate monere humiles multasque omnipotenti Deo, praesertim in augustissimo Eucharistiae Sacramento latenti, preces effundendi ac Deiparam Virginem exorandi, quibus fiat ut omnes Orientis dissidentes ad Romanum Pontificem quamprimum revertantur. Quare universos et singulos, quibus hae Nostrae litterae favent, a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, hisce litteris, praedictam Sodalitatem precum et plorum operum pro reditu Ecclesiarum dissidentium ad catholicam unitatem sub titulo B. M. V. in caelum Assumptae in Archisodalitatem Primam-Primariam auctoritate Nostra cum solitis privilegiis perpetuum in modum erigimus et constituimus, eiusque sedem in Ecclesia et aedibus Seminarii Augustinianorum ab Assumptione sub titulo Anastasiae Bizantii collocamus, certa spe freti, ut ex hoc Orientis centro quasi a copiosissimo fonte aliae multae eiusdem instituti Sodalitates tanquam rivuli deriverentur. Archisodalitatis autem leges seu statuta, quae octo capitibus comprehenduntur, pari auctoritate Nostra adprobamus, eamque in fide et tutela ponimus inprimis magnae Genitricis Dei; deinde caelestes ei Patronos advocamus S. Michaellem, SS. Apostolos Petrum et Paulum, ac

Sanctos Orientis Protectores, nominatim S. Andream, S. Ioannem Chrysostomum, S. Basilium, S. Gregorium Nazianzenum, et SS. Cyrillum ac Methodium Slavoniae Apostolos, quorum memoriam cultumque iam inde ab anno MDCCCLXXX amplificavimus. Apostolica auctoritate Nostra, tenore praesentium, sacerdoti dilecto filio Francisco Picard, hodierno Congregationis ab Assumptione nuncupatae Praeposito Generali, suisque in hoc honoris atque auctoritatis gradu successoribus Archisodalitatis Praesidibus, Curionibus ac Sodalibus ab eodem delegandis, praesentibus et futuris, ut ipsi alias Sodalitates eiusdem nominis atque instituti, ubique locorum domus et ecclesiae Congregationis adsint, erigere, aut ubique terrarum iam existentes, servatis tamen forma Constitutionis Clementis Papae VIII decessoris Nostri aliisque Apostolicis ordinationibus super hoc editis ad Archiconfraternitatem supra dietam aggregare, illisque omnes et singulas indulgentias Archisodalitati concessas aliisque communicabiles communicare possint ac valeant, eadem auctoritate Nostra item perpetuo concedimus ac largimur. Indulgentiarum autem modum hunc constituimus: Indulgentiam plenariam consequendi, servatis servandis, ius esto Sodalibus: I. Die aditus ad Archisodalitatem; II. In articulo mortis; III. In festivitate Assumptionis B. M. V.; IV. In festo Beatae Mariae Virginis Perdolentis, quod feria sexta intra hebdomadam Passionis celebratur; V. In festivitate Exaltationis SS. Mariae Crucis; VI. In diebus festis Sancti Andree, S. Ioannis Chrysostomi, ac SS. Cyrilli et Methodii. Partialem vero Indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum Sodalibus, servatis pariter servandis, concedimus festivitatibus Immaculae Conceptionis, Praesentationis, Annuntiationis, Visita-

tionis, ac Purificationis B. M. V., nec non diebus festis S. Michaelis, S. Ioannis Baptistae, cuiusque Apostolorum, S. Basilii, S. Gregorii Nazianzeni, S. Augustini, S. Athanasii ac S. Stephani; item tercentum dierum die hebdomadalis vel menstruae Concionis, de qua in articulo octavo statutorum sive legum; et centum denique dierum pro quolibet opere bono, quod sive mortificationem aliquam offerendo, sive praesidia aut elemosynam persolvendo ex Consociationis praescripto Sodales exercuerint. Ut vero Uniates Graeci vel Slavi ceterique omnes iisdem gratis spiritualibus fruantur, Apostolica auctoritate Nostra largimur, ut hi aequae ac Sodales latini praedictas indulgentias lucrari queant, si pares preces in suo quisque ritu vel liturgia recitaverit, ubi huiusmodi preces, sicut Oratio Dominica, Angelica Salutatio, ac minor Doxologia existant. Liceat autem Sodalibus, si velint, his omnibus et singulis indulgentiis tum plenariis tum partialibus labes poenaeque defunctorum expiare. Decernentes has Nostras litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiti debere, atque irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque speciali licet atque individua mentione et derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die xxv Maii MDCCCXVIII, Pontificatus Nostri anno vicesimo primo. — A. Card. Macchi.

A. - *Estatutos de la Archicofradía de Oraciones y buenas obras para el regreso á la unión Católica de las Iglesias separadas, erigida bajo el patrocinio de Nuestra Señora de la Asunción en la iglesia de la Anastasia.*

1. El fin de la piadosa Unión ó Archicofradía de N. S. de la Asunción consiste en obtener de Dios por medio de la oración y buenas obras el regreso de las Iglesias separadas á la unión Católica, especialmente de las iglesias eslavas y griegas, y de auxiliar con este mismo fin, las misiones establecidas por los Agustinos de la Asunción en favor de estas mismas Iglesias.

2. La cofradía *Primaria* está fundada en la iglesia griega de la *Anastasia* en Constantinopla, la cual tiene el derecho de agregarse con el consentimiento de los Ordinarios respectivos, todas las cofradías análogas que se fundaran en el universo entero. En todos los lugares, endonde los Padres de la Asunción tuvieren una residencia, por derecho se ha de hacer la erección de la cofradía ó del comité local en las iglesias ó capillas de los mismos.

3. Para pertenecer á la cofradía y ganar las gracias espirituales que le son concedidas, los cofrades deben añadir á sus oraciones diarias un *Padrenuestro*, *Ave maria* y *Gloria Patri* para obtener de Dios el regreso de los eslavos y griegos disidentes á la unidad. También deben ellos enviar sus nombres al director de la cofradía, quien tendrá cuidado de inscribirles en el registro general.

4. El director general efectivo de la cofradía *Primaria* es el superior general *pro tempore* de los Agus-

tinos de la Asunción, quien por sí mismo ó por los sacerdotes de su congregación administra la obra y admite los fieles en la archicofradía. En las diócesis endonde la cofradía está canónicamente erigida y agregada á la *Primaria*, y endonde no hay Padres de la Asunción, los directores de la cofradía son nombrados por los Ordinarios respectivos.

5. La archicofradía está colocada bajo el patrocinio principal de Nuestra Señora de la Asunción. También venera como protectores especiales: á San Miguel; los Santos Angeles; los Apóstoles San Pedro, San Pablo y San Andrés; á San Juan Crisóstomo, San Basilio, San Gregorio Nazianzeno, los Santos Cirilo y Metodio y San Agustín.

6. El director puede elegir celadores y celadoras, los que tienen el encargo de aumentar el número de los cofrades y de entregarles, con autorización del director, la patente de la inscripción, debiendo llevar al efecto una lista de los mismos para hacerlos inscribir en el registro general.

7. El director forma con los celadores y celadoras por él nombrados, el concejo de la obra, el cual ha de reunirse en ciertas épocas para tomar las medidas que sean útiles para el bien y la extensión de la cofradía. El concejo general y los concejos ó comités locales son ante todo reuniones de oración creadas para atraer las bendiciones del Cielo sobre los misioneros. También se ocuparán en promover: las obras de misericordia ó de penitencia, los donativos y trabajos de los cofrades hechos con el fin de conseguir el fin general de la cofradía.

8. Una vez por semana, en la iglesia endonde se encuentra el asiento principal de la archicofradía, y

una vez al mes en las demás iglesias endonde está establecida se dirá, en cuanto sea posible, *servatis servandis*, la misa votiva, *ad tollendum schisma*; además una vez por semana se celebrará, en las iglesias endonde está la cofradia erigida, una reunión de los cofrades para hacer oraciones en común á fin de obtener más eficazmente de Dios la vuelta tan deseada á la unidad de nuestros hermanos disidentes, lo cual se hará, en cuanto sea posible, delante el Santísimo Expuesto, ó delante un altar de la Santísima Virgen.

Vigore specialium facultatum a SSmo Domino Nostro concessarum. Sacra Congregatio Eñorum ac Rñorum S. R. E. Cardinalium, Negotiis et Consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, omnibus mature perpensis, inscripta desuper Statuta benigne approbavit et confirmavit prout praesentis Decreti tenore approbat atque confirmat. Contrariis quibuscumque etiam speciali ac individua mentione dignis non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium, die 24 Maii 1898. — † S. Card. Vannutelli, Praef. — Locus Sigilli. — A. Trombeta, Secretarius.

B. — *Estatutos da Archiconfraria de Orações e de boas obras pela conversão das Igrejas separadas á Unidade Catholica, erecta, sob o patrocínio de Nossa Senhora da Assumpção, na igreja da Anastacia. (Versio ex officio transmissa).*

1. O fim da Pia União ou Archiconfraria de Nossa Senhora da Assumpção é obter de Deus mediante as orações e as boas obras a conversão das Igrejas separadas, principalmente das Igrejas Slavas e Gregas, á unidade catholica, e, neste intuito, secundar as mis-

soes dos Agostinhos da Assumpção em favor dessas mesmas Igrejas.

II. A Associação *Primaria* tem sua sede na Igreja grega de Anastacia, em Constantinopla: ella tem o direito de aggregar, com o consentimento dos Ordinarios respectivos, todas as demais associações congeneres, que vierem ser crectas em todo o Universo. Nos logares em que tiverem uma residencia os Padres da Assumpção, a sua Igreja ou Capella deve ser a sede da Associação ou do *Comité* local.

III. Para pertencerem á Associação e participarem de seus favores espirituaes, os associados deverão cada dia ajuntar ás orações quotidianas un *Pater*, una *Ave* e un *Gloria Patri*, para alcançarem de Deus a conversão dos dissidentes Slavos ou Gregos á Unidade. Tambem deverão fazer transmittir seus nomes ao Director da Associação, o qual tomará cuidado em que se faça a inscripção delles no Registro geral.

IV. O Director Geral effectivo da Associação *Primaria* é o Superior Geral *pro tempore* dos Agostinhos da Assumpção; elle poderá por si ou pelos Sacerdotes de sua Congregação dirigir os negocios da Obra e admitir os fieis na Archiconfraria. Nas dioceses, em que a Associação fór canonicamente erecta e aggregada á *Primaria*, não havendo Padres da Assumpção, os Directores da Associação serão nomeados pelos respectivos Ordinarios.

V. A Associação é collocada sob o patrocínio principal de Nossa Senhora da Assumpção; mas ella honra tambem como seus especiaes protectores: Santo Miguel, os Santos Anjos, S. Pedro e S. Paulo, Santo André, S. João Chrysostomo, S. Bazilio, S. Gregorio Nazianzeno, Santos Cyrillo e Methodio e S. Agostinho.

VI. O Director poderá eleger zeladores e zeladoras, cujo encargo será augmentar o numero dos Associados e lhes dar, com auctorisação do Director, seus bilhetes ou patentes de inscripção, tendo o cuidado de remetter a lista para os fazer inscriver no Registro geral.

VII. O Director formará com os Zeladores e as Zeladoras, que designar, o Conselho geral da Obra, o qual se reunirá em datas determinadas, afin de tomarem os medidas uteis ao bem e á extensão da Associação. O Conselho geral e os Conselhos ou *Comités* locais são antes de tudo *Comités* de orações destinadas a attrahirem as benções do Ceo sobre os trabalhos dos Missionarios; Occupam-se tambem de promover as obras de misericordia ou de penitencia, os dons eos trabalhos dos Associados, tendo em vista attingir ao fim geral de Associação.

VIII. Uma vez por semana na igreja onde está a sede principal da Archiconfraria, e uma vez por mez nas outras egrejas, em que estiver erecta, se dirá, quanto for possível, *servatis servandis*, a missa Votiva *ad tollendum schisma*. Uma vez por semana, nas egrejas onde estiver erecta a Associação, farse-ha uma reunião de seus membros, afin de em commum fazerem, sendo possível diante do Santissimo Sacramento exposto ou em um altar da Santa Virgem, orações para alcançarem mais efficaçmente de Deus a conversão tão desejada de nossos irmãos separados á unidade.

CVI.

S. *Officii decretum circa interpretationem decreti 20 April. 1898 de facultatibus Ordinariis locorum committendis etc.* — 23 Junii 1898.

Fer. IV. die 23 Junii 1898.

Suprema haec Congregatio in feria IV die 24 Novembris 1897 decrevit in facultatibus Episcopis *concedendis* clausulam *durante munere* esse supprimendam et in ceteris standum formae Decreti iam lati die 20 Februarii 1888 n. 1. et 2., at iuxta modum, idest: « 1. Facultates omnes habituales in posterum committendas esse Ordinariis Locorum. — 2. Appellatione *Ordinariorum* venire Episcopos, Administratores seu Vicarios Apostolicos, Praelatos seu Praefectos habentes in iurisdictionem cum territorio separato, eorumque Officiales seu Vicarios in spiritualibus generalibus, et sede vacante Vicarium Capitularem vel *legitimum administratorem* ». Hinc propositum fuit eidem huic S. Congregationi dubium: *Utrum concessionibus iam factae antecederent Episcopis ab Apostolica Sede intelligi debeant in sensu praefati Decreti?*

Porro in Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis habita ab EEmis DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Inquisitoribus Generalibus, praefato dubio diligenter expenso, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem EEmi ac RRmi Patres rescribendum mandarunt:

Declaratio S. Officii, facta circa facultates, concedendas, ex decreto Fer. IV. diei 25 Novembris 1897, extendatur ad facultates iam antecederent concessas, facto verbo cum Sanctissimo.

Subsequenti vero Sabbato, die 25 eiusdem mensis Iunii 1898, in solita audientia R. P. D. Adessori impertita, facta de his omnibus SSmo D. N. Leoni Div. Prov. Pp. XIII relatione, SSms resolutionem EEmsorum Patrum adprobavit, contrariis non obstantibus quibuscumque. — I. Can. Mancini, S. R. et U. Inquis. Not.

CVII.

S. Officii decretum de matrimoniis moribundorum cum infidelibus coniunctorum et excommunicatorum. — 6 Iulii 1898.

Fer. IV, die 6 Iulii 1898.

Huic Supremae Congregationi R. et U. Inquisitionis proposita fuerunt enodanda dubia quae sequuntur:

I. Quomodo se gerere debeat parochus vel sacerdos qui, vocatus a viro vel muliere catholica in articulo mortis constituto et cum infideli iam vinculo civili coniuncto, illum invenit sensibus pene destitutum? Quando parochus illum ad contritionem excitaverit ac sub conditione absolverit, potest etiam ad sepulturam admittere ecclesiasticam?

II. Quomodo in praedicto casu parochus vel sacerdos se gerere debeat si moribundus sensibus sit penitus destitutus?

III. Quid, si iste moribundus sit compos sui et adsint filii baptizati, quos lex civilis retinet uti legitimos?

IV. Quid, si filii non fuerint baptizati?

V. An, et quibus cautelis, sint baptizandi filii orti ex matre hebraea, post obitum patris catholici, si filii durante civili contubernio baptizati fuerint?

Porro in Congregatione Generali habita ab EEms et RRms DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Inquisitoribus Generalibus, praefatis dubiis diligenter expensis, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem EEms ac RRms Patres rescribendum mandarunt:

Ad I. Detur responsum S. Poenitentiariae, idest:

« Venendo a morte uno scomunicato notorio od un « pubblico peccatore senza essersi riconciliato colla « S. Chiesa, se però avesse desiderato l'opera del « sacerdote, dal quale fu trovato o già morto o de- « stituito dei sensi, e se avesse dato segni di penti- « mento, o baciando il Crocifisso o facendo altri atti « di pietà, dovrà il parroco negargli la sepoltura? — « Resp.: In hisce casibus, evulgatis resipiscentiae si- « gnis, dari posse sepulturam ecclesiasticam, vetitis « tamen ecclesiasticis pompis et solemnitatibus exe- « quiarum. Quod si in aliquo casu circumstantiae ex- « traordinariae concurrant, parochus consulat Ordina- « rium et stet eius mandatis. »

Ad II. Consulat probatos Auctores, ac praesertim S. Alphonsum M. De Liguorio Lib. VI, n. 483.

Ad III. Episcopus vel parochus in casu uti poterit facultate Ordinarii concessa sub die 20 Febr. 1888, renovato consensu et datis cautionibus.

Ad IV. Si possibilis spes affulgeat fore ut huiusmodi pueri possint suo tempore in vera religione instrui, tunc, datis cautionibus, baptizentur. Quod si nulla via possit huiusmodi spes moralis haberi, tunc, nisi pueri in mortis articulo inveniantur, ab iis baptizandis abstinetur; et ad mentem. Mens est quod parochus curare non omitat ut, datis cautionibus, liberi baptizari et in Catholica Religione educari possint, cum Ecclesia in iis hoc ius iam habeat. — A moribundo catholico vero, si

iam est compos sui, cautiones exquirantur ut praedicta valeant obtineri.

Ad V. Si filii nondum baptizati sunt, provisum in praecedenti. Si vero sint baptizati, tunc curandum ut in Catholica Religione instituantur et educantur.

Subsequenti vero feria VI, die 8 eiusdem mensis Iulii 1898, in solita audientia R. P. Adessori imperita, facta de his omnibus SSmo Dño Nro. Leoni Div. Prov. Pp. XIII relatione, SSms resolutionem EEñrum PP. adprobavit. — I. Can. Mancini, S. R. et U. Inquisitionis Not.

CVIII.

S. Congr. Concilii Decretum « A. primis » de Clericorum excardinatione et ordinatione. — 20 Iulii 1898.

A primis Ecclesiae sacculis, plura Sacra Concilia decreverunt, quod recentius confirmavit Tridentinum *cap. 8, sess. 23 de reform.*, neminem nisi a proprio Episcopo posse ordinari.

Proprius autem alicuius Episcopus, iuxta ea quae praefinit in primis Bonifacius VIII in Sexto Decret. *cap. Cum nullus, De tempore Ordin.*, « intelligitur in hoc casu Episcopus de cuius dioecesi est is, qui ad ordines promoveri desiderat, oriundus, seu in cuius dioecesi beneficium obtinet ecclesiasticum, seu habet « licet alibi natus fuerit » domicilium in eadem ». Deinde cum consuetudo invaluerit, ut Episcopi familiares suos, etsi alienae dioecesis, sacris initiarent, et sancta Tridentina Synodus *cap. 9, sess. 23 de reform.* id certis sub conditionibus probaverit, obtinuit, ut tribus prioribus titulis, originis, domicilii et beneficii, quibus ius fiebat Episcopis aliquem ad ordines promovendi, quartus

quoque accenseretur, scilicet familiaritatis. Cum autem de huiusmodi titulis disceptaretur, Innocentius XII apostolicis litteris, incipientibus « *Speculatores* », datis die 4^o Nov. 1694, determinavit ac constituit quo sensu et extensione iidem essent accipiendi ad eum effectum, ut quis proprius fieret alicuius Episcopi subditus, quo legitime ordinari valeret. Quae constitutio ut suprema lex deinde habita est, eaque duce omnes quaestiones diremptae.

Verum, nostris temporibus, novae contentioni freuens se praebuit occasio. Pluribus enim in locis usu receptum est, ut clerici, qui e sua dioecesi digredi et in alia sibi sedem constituere desiderarent, excardinationem, quam vocant, id est plenam et perpetuam dimissionem a suo Ordinariò peterent; eaque innixi, in alia dioecesi incardinationem seu adscriptionem implorarent: qua obtenta, eo ipso ut proprii novi Episcopi subditi ad ulteriores ordines suscipiendos admitterentur. Quae agendi ratio, ubi caute prudenterque adhibita fuit, absque querelis processit, sed nonnullis in locis, ubi necessaria cautio defuit, controversiis et abusibus viam saepenumero patefecit.

Quapropter Emi S. C. Concilii Patres, rebus omnibus mature perpensis, praesenti generali decreto, haec statuenda censuerunt:

- 1.^o excardinationem fieri non licere nisi iustis de causis, nec effectum undequaque sortiri, nisi incardinatione in alia dioecesi executioni demandata;
- 2.^o incardinationem faciendam esse ab Episcopo non oretenus, sed in scriptis, absolute et in perpetuum, id est nullis sive expressis sive tacitis limitationibus obnoxiam; ita ut clericus novae dioecesi prorsus mancipetur, praestito ad hoc iuramento, ad instar illius quod

Constitutio « *Speculatores* » pro domicilio acquirendo praescribit ;

3.^o ad hanc incardinationem deveniri non posse, nisi prius ex legitimo documento constiterit alienum clericum a sua dioecesi fuisse in perpetuum dimissum, et obtenta insuper fuerint ab Episcopo dimittente, sub secreto, si opus sit, de eius natalibus, vita, moribus ac studiis opportuna testimonia ;

4.^o hac ratione adscriptos posse quidem ad ordines promoveri. Cum tamen nemini sint cito manus imponendae, officii sui noverint esse Episcopi, in singulis casibus perpendere, an, omnibus attentis, clericus adscriptus talis sit, qui tuto possit absque ulteriori experimento ordinari, an potius oporteat eum diutius probari. Et meminerint, quod, sicut « nullus debet ordinari « qui iudicio sui Episcopi non sit utilis aut necessarius « suis Ecclesiis », ut in *cap. 16, sess. 23 de reform. Tridentinum* statuit; ita pariter nullum esse adscribendum novum clericum, nisi pro necessitate aut commo- ditate dioecesis ;

5.^o quo vero ad clericos diversae linguae et nationis, oportere ut Episcopi, in iis admittendis, cautius et severius procedant, ac numquam eos recipiant, nisi requisiverint prius a respectivo eorum Ordinario, et obtinuerint, secretam ac favorabilem de ipsorum vita et moribus informationem, onerata super hoc graviter Episcoporum conscientia ;

6.^o denique quoad laicos, aut etiam quoad clericos, qui excardinationis beneficio uti nequeant vel nolunt, standum esse dispositionibus const. « *Speculatores* » quae, nihil obstante praesenti decreto, ratae ac firmae semper manere debent.

Facta autem de his omnibus relatione SSiño Do-

mino Nostro per infrascriptum Cardinalem S. C. Concilii Praefectum, Sanctitas Sua resolutionem Em. Patrum benigne approbare et confirmare dignata est, contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus S. C. Concilii, die 20 Iulii 1898.

A. Card. Di Pietro, S. C. Concilii Praefectus. -
† Beniaminus, Arch. Nazianzenus, Pro-Secretarius.

CIX.

S. Officii decretum de absoluteione sectis votitis adscriptorum. — 5 Aug. 1898.

Beatissimo Padre, — Il Vescovo N. N., protrato ai piedi della S. V., umilmente espone che non di rado si presentino ai confessori gli aggregati alle sette massoniche per essere assolti. Ora il sottoscritto chiede umilmente se in forza delle facoltà concesse colla solita pagella della S. Penitenzieria si possano assolvere tanto i framassoni occulti quanto i pubblici, e se, prescrivendosi nella detta pagella *ut eturent*, debba da tutti richiedersi formale e notoria abiura, da conservarsi in Curia. Che ecc.

Feria IV, die 5 Augusti 1898.

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis habita ab EE^{mm}is ac RR. DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Inquisitoribus Generalibus, propositis infrascriptis dubiis, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem EE. ac RR. Patres rescribendum mandarunt :

Episcopus utatur facultatibus quae Ordinariis a

S. Poenitentiarum concedi solent, quarum vi et ipse et alii ab ipso delegati Confessarii absolvere possunt eos qui sectis vetitis nomen dederunt, sive notorii sint, sive non, dummodo a respectiva secta omnino se separent, eamque saltem coram Confessario eurent, seu detestentur, reparato scandalo eo meliori modo quo fieri potest, et aliis iniunctis de iure iniungendis, iuxta praefatas litteras S. Poenitentiarum.

Feria vero VI, die 5 eiusdem mensis Augusti, in solita audientia R. P. D. Adessori impertita, facta de his omnibus SSmo D. N. Leoni PP. XIII relatione, SSmus resolutionem EEumorum Patrum approbavit. - I. Can. Mancini S. R. et U. Inquis. Not.

CX.

S. C. Negot. EE. EE. declaratio authentica de vigore Litterarum Apostolicarum « Trans Oceanum » diei 18 Aprilis 1897 in omnibus Antillis et caeteris Insulis maris Caraibici.

Ex audientia SSmi die 16 Augusti 1898.

Ex parte nonnullorum Antistitum Coloniarum maris Antillarum, propositum fuit dubium de vigore, in territorio suae iurisdictioni subiecto, litterarum Apostolicarum « *Trans Oceanum* » a SSmo D. N. Leone PP. XIII die 18 Aprilis 1897 editarum. Eadem Sanctitas Sua, referente me infrascripto S. Congregationis Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis praepositae Secretario, declarandum esse censuit: Praefatas Litteras Apostolicas « *Trans Oceanum* » vigorem habere in omnibus Antillis et caeteris Insulis maris Caraibici, cuicumque civili ditioni subiiciantur. Et ita Sanctitas

Sua publicari et servari mandavit, contrariis minime obfuturis.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die, mense et anno praedictis. - Felix Cavaonis, Secret.

CXI.

S. Cong. sup. Discipl. Regul. decretum interpret. decreti « Auctis admodum » quoad religiosos saecularizatos ad tempus. - 16 Aug. 1898.

Illis et Rme Dno uti Frater,

Difficili Regularium hodiernae conditioni occurrere satagens, S. Congr. super Disciplina Regulari, pro illis Religiosis, qui gratia vocationis destituti, vel de alia rationabili causa muniti, extra claustra degere voluerunt, et tractu temporis vellent - auditis Superioribus Generalibus Ordinis, maturo consilio, statuit atque decrevit: - « ut ipsis facultas tribueretur manendi extra claustra habitu regulari dimisso, ad annum; quo tempore S. Patrimonium sibi constituerent: Episcopus scopum benevolum receptorem invenirent; atque deinde, pro saecularisatione perpetua, iterum recurrerent, et interim Sacra facientes, verbum Domini praedicantes, fidelibus populis pia conversatione prodesse valerent ».

Quibus autem dispositionibus iurisdictione Episcopalis nulli subest detrimento; namque Ordinarius invitatus non cogitur illos in suum Clerum cooptare, neque Beneficiis ecclesiasticis proponere; sed perdurante gratia concessionis, eiusdemque a Sede Apostolica consecuta prorogatione, ad S. obeunda ministeria, pro lubitu in sua Dioecesi habilitare potest, si velit. Neque ullam

huic agendi rationi dubitationem infert Decretum *Auctis* admodum 1892, quia hoc per *regulam generalem* afficit *Instituta recentia votorum simplicium*; ac tantum per *exceptionem* respicit *Ordines proprie dictos*, in quibus *vota sollemnia* religiosi nuncupantur. Quae tamen exceptio, si fieri contigerit, in *singulari decreto* admissim *notatur*, ita ut *speciale Rescriptum*, eiusque conditiones, *legem pro individuo*, constituunt: et solummodo *ab eo* Ordinarius sui agendi rationem quaerere debeat.

Iam vero, litteris, quas die 4 Iulii cur. an. Amplitudo tua ad hanc S. Congregationem mittere existimavit, *relate* ad PP... Ordinis SS^{mae} Trinitatis - et *pro quibus* ut ait, - « *quin onera Episcopi benevoli* » receptoris in se suscipiat, aliquod levamen ipsis afferre « *desiderat*; ideoque *licentiam exposcit*, ut Ordinem « *exercere valeant ad suum beneplacitum etc.* ».

Hic S. Ordo respondit: « *Religiosos huiusmodi esse secularizatos ad annum et interim etc.* ut supra: « *pertinere ad Ordines votorum sollemnium*; proinde « *nisi sint aliqua speciali censura irretiti*, nulla ipsi *indigent nova facultate*, ut Sacris ministeriis Episcopo « *auctorante in respectiva Dioecesi possint vacare* ».

Et haec dicta sint, ut ius et regula agendi in re Tibi proponatur, cui a Deo Optimo Maximo cuncta felicia adprecamur.

Amplitudinis tuae. - Uti Frater Addictissimus -
S. Card. Vannutelli, Praef.

CXII.

SS. D. N. Leonis PP. XIII Constitutio Apostolica de legibus, iuribus ac privilegiis Sodalitatis a SS. Rosario, cum adnexo catalogo Indulgentiarum. — VI Nonas Octobris 1893.

Ubi primum, arcano divinae providentiae consilio, ad supremam Petri Cathedram fuimus evecti, oblato conspectu ingruentium in dies malorum, Apostolici muneris esse duximus expediendae salutis agitare consilia ac studere, quibus maxime modis Ecclesiae tutelae et catholicae fidei incolumitati prospici posset. - Inter haec ad magnam Dei Matrem eandemque reparandi humani generis consortem ultro animus convolvavit, ad quam trepidis in rebus confugere catholicis hominibus praecipuum semper ac solemne fuit. Cuius fidei quanto sese crediderint, praeclara testantur ab ipsa collata beneficia, inter quae plura constat fuisse impetrata per probatissimam illam precandi formulam titulo *Rosarii* ab eadem inventam et Dominici Patris ministerio promulgatam. - Solemnes autem honores eo ritu Virgini habendos Summi Pontifices decessores Nostri haud semel decrevere. Quorum Nos etiam aemulati studia, de Rosarii Marialis dignitate ac virtute satis egimus copiose. Encyclicis Litteris pluries datis, vel inde a kalendis Septembris anni MDCCCLXXXIII, cohortantes fideles, ut, sive publice sive suis in domibus, saluberrimum hoc pietatis officium augustissimae Matri persolverent et Marianis ab eo titulo Sodalitatis sese aggregarent. Ea vero omnia nuperrime, datis litteris die v Septembris huius anni, veluti in unum collecta, paucis memoravimus; simulque consilium Nostrum pate-

huic agendi rationi dubitationem infert Decretum *Auctis* admodum 1892, quia hoc per *regulam generalem* afficit *Instituta recentia votorum simplicium*; ac tantum per *exceptionem* respicit *Ordines proprie dictos*, in quibus *vota sollemnia* religiosi nuncupantur. Quae tamen exceptio, si fieri contigerit, in *singulari decreto* admissim *notatur*, ita ut *speciale Rescriptum*, eiusque conditiones, *legem pro individuo*, constituunt: et solummodo *ab eo* Ordinarius sui agendi rationem quaerere debeat.

Iam vero, litteris, quas die 4 Iulii cur. an. Amplitudo tua ad hanc S. Congregationem mittere existimavit, *relate* ad PP... Ordinis SS^{mae} Trinitatis - et *pro quibus* ut ait, - « *quin onera Episcopi benevoli* » receptoris in se suscipiat, aliquod levamen ipsis afferre « *desiderat*; ideoque *licentiam exposcit*, ut Ordinem « *exercere valeant ad suum beneplacitum etc.* ».

Hic S. Ordo respondit: « *Religiosos huiusmodi esse secularizatos ad annum et interim etc.* ut supra: « *pertinere ad Ordines votorum sollemnium*; proinde « *nisi sint aliqua speciali censura irretiti*, nulla ipsi *indigent nova facultate*, ut Sacris ministeriis Episcopo « *auctorante in respectiva Dioecesi possint vacare* ».

Et haec dicta sint, ut ius et regula agendi in re Tibi proponatur, cui a Deo Optimo Maximo cuncta felicia adprecamur.

Amplitudinis tuae. - Uti Frater Addictissimus -
S. Card. Vannutelli, Praef.

CXII.

SS. D. N. Leonis PP. XIII Constitutio Apostolica de legibus, iuribus ac privilegiis Sodalitatis a SS. Rosario, cum adnexo catalogo Indulgentiarum. — VI Nonas Octobris 1893.

Ubi primum, arcano divinae providentiae consilio, ad supremam Petri Cathedram fuimus evecti, oblato conspectu ingruentium in dies malorum, Apostolici muneris esse duximus expediendae salutis agitare consilia ac studere, quibus maxime modis Ecclesiae tutelae et catholicae fidei incolumitati prospici posset. - Inter haec ad magnam Dei Matrem eandemque reparandi humani generis consortem ultro animus convolvavit, ad quam trepidis in rebus confugere catholicis hominibus praecipuum semper ac solemne fuit. Cuius fidei quanto sese crediderint, praeclara testantur ab ipsa collata beneficia, inter quae plura constat fuisse impetrata per probatissimam illam precandi formulam titulo *Rosarii* ab eadem inventam et Dominici Patris ministerio promulgatam. - Solemnes autem honores eo ritu Virgini habendos Summi Pontifices decessores Nostri haud semel decrevere. Quorum Nos etiam aemulati studia, de Rosarii Marialis dignitate ac virtute satis egimus copiose. Encyclicis Litteris pluries datis, vel inde a kalendis Septembris anni MDCCCLXXXIII, cohortantes fideles, ut, sive publice sive suis in domibus, saluberrimum hoc pietatis officium augustissimae Matri persolverent et Marianis ab eo titulo Sodalitatis sese aggregarent. Ea vero omnia nuperrime, datis litteris die v Septembris huius anni, veluti in unum collecta, paucis memoravimus; simulque consilium Nostrum pate-

fecimus edendae *Constitutionis* de iuribus, privilegiis, indulgentiis, quibus gaudent qui pie isti Sodalitati dederint nomina. Nunc vero ut rem absolvamus, votis obsecundantes Magistri generalis Ordinis Praedicatorum, *Constitutionem* ipsam edimus, qua leges de huiusmodi Sodalitate latas, itemque beneficia recensentes a summis Pontificibus eidem concessa, modum decernimus quo in perpetuum salutifera haec institutio regatur.

I. Sacratissimi Rosarii Sodalitas in eum finem est instituta, ut multos fraterna caritate coniunctos, per piissimam illam precandi formulam, unde ipsa consociatio nomen mutuatur, ad beatae Virginis laudationem et eiusdem patrocinium unanimi oratione impetrandum alliciat. Quapropter, nullo quaesito lucro aut imperata pecunia, cuiusvis conditionis excipit homines, eosque per solam Rosarii Marialis recitationem mutuo devincit. Quo fit, ut pauca singuli ad communem thesaurum conferentes multa inde recipiant. Actu igitur vel habitu dum ex instituto Sodalitii suum quisque pensum recitandi Rosarii persolvit, sodales omnes eiusdem societatis mentis intentione complectitur, qui idem caritatis officium ipsi multiplicatum reddunt.

II. Sodalium Dominicanorum Ordo, qui, vel inde ab sui initio beatae Virginis cultui maxime addictus, instituendae ac provehendae Sodalitatis a sacratissimo Rosario auctor fuit, omnia, quae ad hoc genus religionis pertinent, veluti hereditario iure sibi vindicat.

Unj igitur Magistro generali ius esto instituendi Sodalitates sacratissimi Rosarii: ipso a Curia absente, subeat Vicarius eius generalis; mortuo vel amoto, Vicarius generalis Ordinis. — Quamobrem quaevis Sodalitas in posterum instituenda, nullis gaudeat beneficiis, privilegiis, indulgentiis, quibus Romani Pontifices legi-

timam verique nominis Sodalitatem auxerunt, nisi diploma institutionis a Magistro generali vel a memoratis Vicariis obtineat.

III. Quae anteacto tempore Sodalitates sacratissimi Rosarii ad hanc usque diem sine Magistri generalis patentibus litteris institutae sunt, litteras huiusmodi intra anni spatium expediendas curent; interim vero (dummodo hoc uno tantum defectu laborent) sodalitates ipsas, donec eadem litterae expediantur, tamquam ratas et legitimas, ac privilegiorum, beneficiorum et indulgentiarum omnium participes, auctoritate apostolica benigne declaramus.

IV. Instituendae Sodalitati in designata aliqua ecclesia Magister generalis deputet per consuetas litteras sacerdotem sui Ordinis: ubi Conventus Sodalium Dominicanorum desint, alium sacerdotem episcopo acceptum. — Eidem Magistro generali ne liceat facultates, quibus pollet, in universum et absque limitatione committere Provincialibus, aliisve aut sui aut alieni Ordinis vel Instituti sacerdotibus.

Facultatem revocamus a fel. rec. Benedicto XIII Magistris Ordinis concessam¹, delegandi generatim Provinciales *transmarinos*. Indulgemus tamen, rei utilitate perspecta, ut earundem provinciarum prioribus, vicariis, praepositis missionalibus potestatem faciant instituendi certum Sodalitatum numerum, quarum accuratam rationem iis reddere teneantur.

V. Sodalitas a sacratissimo Rosario in omnibus ecclesiis publicisque aedibus institui potest, ad quas fidelibus accessus libere pateat, exceptis monialium aliarumque piarum mulierum vitam communiter agen-

¹ Constit. *Pretiosus*, die 26 Maii 1727.

tium ecclesiis, prout sacrae romanae Congregationes saepe declararunt.

Quum iam ab Apostolica Sede cautum sit ne in uno eodemque loco plures existant sacratissimi Rosarii Sodalitates, Nos eiusmodi legem iterum inculcamus, et ubique observari iubemus. In praesenti tamen, si quo in loco plures forte existant, rite constitutae, sodalitates; facultas sit Magistro generali Ordinis ea de re pro aequitate iudicandi. Ad magnas vero urbes quod attinet, plures in iis, uti iam ex indulgentia provisum est, haberi possunt titulo Rosarii Sodalitates, ab Ordinariis pro legitima institutione Magistro generali proponendae¹.

VI. Quum nulla habeatur sacratissimi Rosarii Sodalitas princeps, cui aliae minores aggregentur, hinc nova quaevis huiusmodi consociatio, per ipsam sui canonicam institutionem particeps fit indulgentiarum omnium ac privilegiorum, quae ab hac Apostolica Sede aliis per orbem sodalitatibus eiusdem nominis concessa sunt. — Eadem ecclesiae adhaeret, in qua est instituta. Quamvis enim Sodalitatis privilegia homines spectent, tamen indulgentiae complures, eius sacellum vel altare aduentibus concessae, uti etiam privilegium altaris, loco adhaerent, ideoque sine speciali Apostolico indulto neque avelli possunt neque transferri. Quoties igitur Sodalitas, quavis de causa, in aliam ecclesiam deduci contigerit, ad id novae litterae a Magistro generali expectantur. Si autem, destructa ecclesia, nova ibidem aut in vicinia aedificetur eodem titulo, ad hanc, quum idem esse censeatur locus, privilegia omnia atque indulgentiae transeunt, nullâ requisita novae sodalitatis insti-

¹ S. C. Indulg., die 20 Maii 1896.

tutione. — Sicubi vero, post institutam canonicè in aliqua ecclesia Sodalitatem, Conventus cum ecclesia Praedicatorum fuerit extractus, ad ecclesiam eius Conventus Sodalitas ipsa, prout de iure, transferatur. Quod si, peculiari aliquo in casu, de hac lege remittendum videatur, facultas esto Magistro generali Ordinis pro sua aequitate et prudentia opportune providendi; integro tamen sui Ordinis iure.

VII. Ad ea, quae supra decreta sunt, quaeque naturam ipsam et constitutionem Sodalitatis attingunt, quaedam accedere poterunt, quae ad bonum societatis regimen conferre videantur. Integrum est enim sodalibus *statuta* sibi condere, sive quibus tota regatur societas, sive quibus aliqui ad peculiaria quaedam christianae pietatis officia, collatâ etiam pecuniâ, si placuerit, saccis assumptis vel secus, excitentur. Ceterum quaevis horum varietas non obest quominus indulgentiae possint acquiri a sodalibus, dummodo ea praesent, quae iis lucrandis ab Apostolica Sede praecipua sunt. Addita tamen huiusmodi statuta Episcopo dioecesano probentur, eiusque moderationi maneant obnoxia; quod Constitutione Clementis VIII *Quaecumque* sancitum est.

VIII. Rectorum electio, qui nempe Sodalitatis membra in piam societatem recipiant, eorum rosariis benedicant, omnibus denique fungantur muneribus praecipuis, ad Magistrum generalem vel eius Vicarium, uti antea, spectet; de consensu tamen Ordinarii loci, pro ecclesiis clero saeculari conceditis.

Quo autem Sodalitati conservandae melius prospiciatur, Magistri generales ei rectorem praeficiant sacerdotem aliquem, in ecclesia, ubi est instituenda Sodalitas, certo munere fungentem vel certo fruentem

beneficio, illiusque in hoc sive beneficio sive munere in posterum successores. Si, qualibet ex causa, desint; Episcopis, uti iam est ab hac Apostolica Sede sancitum¹, facultas esto ad id muneris deputandi parochos *pro tempore*.

IX. Quum haud raro peropportuna, quin etiam necessarium videatur, ut sacerdos alius legitimi rectoris loco nomina inscribat, coronis benedicat aliaque praestet, quae ad ipsius rectoris officium pertinent, Ordinis Magister rectori facultatem tribuat subdelegandi, non generatim quidem, sed in singulis casibus, alium idoneum sacerdotem, qui eius vices gerat, quoties iusta de causa id opportunum iudicaverit.

X. Item, ubi Rosarii Sodalitas eiusque rector institui nequit, Magistro generali facultas esto designandi alios sacerdotes, qui fideles, indulgentias lucrari cupidos, Sodalitati propinquiori aggregent, et Rosariis benedicant.

XI. Formula benedicendi Rosarii, seu Coronae, usu sacrata, inde a remotis temporibus in Ordine Sodalium Dominicanorum praescripta et in appendice romani Ritualis inserta, retineatur.

XII. Etsi quovis tempore nomina possint legitime inscribi, optandum tamen ut solemnius illa receptio, quae, sive primis cuiusque mensis dominicis, sive in festis maioribus Deiparae haberi solet, apprime servetur.

XIII. Unicum Sodalibus impositum onus, citra tamen culpam, est Rosarium unaquaque hebdomada cum quindecim mysteriorum meditatione recitandum.

Ceterum sua Rosario genuina forma servetur, ita ut coronae non aliter quam ex quinque aut decem

¹ S. C. Indulg., die 8 Ian. 1861.

aut quindecim granorum decadibus coalescant; item ne aliae cuiusvis formae rosarii nomine appellentur; denique ne humanae reparationis mysteriis contemplandis, usu receptis, meditationes aliae sufficiantur, contra ea quae iamdiu ab hac Apostolica Sede decreta sunt, id est, qui ab his consuetis mysteriis meditandis recesserint, eos Rosarii indulgentias nullas lucrari¹.

Sodalitatum rectores sedulo curent ut, si fieri possit, quotidie, vel saltem quam saepissime, maxime in festis beatae Virginis, ad altare eiusdem Sodalitatis, etiam publice Rosarium recitetur; retenta consuetudine huic Sanctae Sedi probata, ut per gyrum cuiuslibet hebdomadae singula mysteria ita recolantur: *gaudiosa* in secunda et quinta feria; *dolorosa* in tertia et sexta; *gloriosa* tandem in dominica, quarta feria et sabbato².

XIV. Inter pios Sodalitatis usus merito primum obtinet locum pompa illa solemnis, qua, Deiparae honorandae causa, vicatim proceditur, prima cuiusque mensis dominica, praecipue vero prima Octobris: quem morem, a saeculis institutum, S. Pius V commendavit, Gregorius XIII inter *laudabilia instituta et consuetudines* Sodalitatis recensuit, multi denique summi Pontifices indulgentias locupletarunt³.

Ne autem huiusmodi supplicatio, saltem intra ecclesiam, ubi temporum iniuria extra non liceat, unquam omittatur, privilegium a Benedicto XIII Ordini Praedicatorum concessum, eam transferendi in aliam dominicam, si forte ipso die festo aliqua causa impediatur⁴,

¹ S. C. Indulg., die 13 Aug. 1726.

² S. C. Indulg., die 1 Jul. 1839 ad 5.

³ S. Pius V *Consueverunt*, die 17 Sept. 1569; Gregorius XIII *Monet Apostolicus*, die 1 Apr. 1573; Paulus V *Piorum hominum*, die 15 Apr. 1608.

⁴ Const. *Pretiosus*, die 26 Maii 1727, § 18.

ad omnes Sodalitatum sacratissimi Rosarii rectores extendimus.

Ubi autem propter loci angustiam et populi accursum ne per ecclesiam quidem possit ea pompa commode duci, indulgemus, ut, per interiorē ecclesiae ipsius ambitum, sacerdote cum clericis piae supplicationis causā circumeunte, Sodales, qui adstant, indulgentiis omnibus frui possint eidem supplicationi annexis.

XV. Privilegium Missae votivae sacratissimi Rosarii, Ordini Praedicatorum toties confirmatum¹, servari placet, atque ita quidem ut non solum Dominicani sacerdotes, sed etiam Tertiarii a Poenitentia, quibus Magister generalis potestatem fecerit Missali Ordinis legitime utendi, Missam votivam « *Salve Radix Sancta* » celebrare possint bis in hebdomada, ad normam decretorum S. Rituum Congregationis.

Ceteris vero sacerdotibus in Sodalium album adscitis, ad altare Sodalitatis tantum Missae votivae celebrandae ius esto, quae in Missali romano pro diversitate temporum legitur, iisdem diebus ac supra et cum iisdem indulgentiis. Harum indulgentiarum Sodales etiam e populo participes fiunt, si ei sacro adstiterint, culpisque rite expiatis vel ipsa confessione vel animi dolore cum confitendi proposito, pias ad Deum fuderint preces.

XVI. Magistri generalis curā et studio, absolutus atque accuratus, quamprimum fieri potest, conficiatur index Indulgentiarum omnium, quibus romani Pontifices

¹ Decr. S. C. Rit., die 25 Jun. 1622; — Clemens V *Caesitium munerum*, die 16 Feb. 1671; Innocentius XI *Nuper pro parte*, die 21 Jul. 1679, cap. X, nn. 6 et 7; Pius IX in *Summarium Indulg.*, die 18 Sept. 1862, cap. VIII, nn. 1 et 2.

Sodalitatem sacratissimi Rosarii, ceterosque fideles illud pie recitantes cumularunt, a sacra Congregatione Indulgentiis et SS. Reliquiis praeposita expendendus et Apostolica auctoritate confirmandus.

Quaecumque igitur in hac Apostolica Constitutione decreta, declarata, ac sancita sunt, ab omnibus ad quos pertinet servari volumus ac mandamus, nec ea notari, infringi, et in controversiam vocari posse ex quavis, licet privilegiata causa, colore et nomine; sed plenarios et integros effectus suos habere, non obstantibus praemissis et, quatenus opus sit, Nostris et Cancellariae Apostolicae regulis, Urbani VIII aliisque apostolicis, etiam in provincialibus ac generalibus Conciliis editis Constitutionibus, nec non quibusvis etiam confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate roboratis statutis, consuetudinibus ac praescriptionibus: quibus omnibus ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus et derogatum esse volumus, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo nonagesimo octavo, sexto nonas Octobris, Pontificatus Nostri anno vigesimo primo. — C. Cardinalis Aloisi-Masella, Prodat. — A. Card. Macchi.

Visa de Curia; I. de Aquila e Vicecomitibus Reg. in Secret. Brevium; I. Cugnonius.

(Sequitur Catalogus Indulgentiarum edit. 29 Augusti 1899.)

INDULGENTIAE CONFRATERNITATIS
SSMI ROSARII.

PARS PRIMA. — INDULGENTIAE CONFRATRIBUS PROPRIAE.

I. — *Pro iis qui confraternitati nomen dant.*

1. Indulgentia Plenaria, si confessi sacraque communione relecti in confraternitatem recipiuntur. (Gregorius XIII. *Gloriosi*, 15 Jul. 1579).

2. Indulgentia Plenaria, si legitime inscripti et confessi Eucharistiae sacramentum sumunt in ecclesia seu capella confraternitatis, tertiam partem Rosarii recitant et ad intentionem Summi Pontificis orant. (S. Pius V, *Consueverunt*, 17 Sept. 1569).

Nota. — Qui confraternitati adscribuntur has indulgentias, aut ipsa adscriptionis die, aut die dominica vel festiva proxime sequenti lucrari possunt. (S. C. Indulg., 25 Febr. 1848).

II. — *Pro iis qui recitant rosarium.*

A. — *Quoties anni tempore.*

3. Indulgentia Plenaria, semel in vita, si Rosarium ex instituto confraternitatis per hebdomadam recitant. (Innocentius VIII, 15 Oct. 1484).

4. Si integrum Rosarium recitant, omnes consequuntur indulgentias quae in Hispania conceduntur coronam B. Mariae V. recitantibus. (Clemens IX, *Exponit nobis*, 22 Febr. 1668).

5. Indulgentia quinquaginta annorum, semel in die, si tertiam partem Rosarii recitant in capella SS. Rosarii, seu saltem in conspectu altaris praedictae capellae; vel si extra civitatem in qua erecta est confra-

ternitas commorantur, in ecclesia vel oratorio publico quocumque. (Adrianus VI, *Illius qui*, 1 Apr. 1523).

6. Indulgentia decem annorum et totidem quadragenarum, si ter in hebdomada Rosarium recitant pro qualibet vice. (Leo X, *Pastori aeterni*, 6 Octob. 1520).

7. Indulgentiam septem annorum et totidem quadragenarum pro qualibet hebdomada, si integrum Rosarium recitant. (S. Pius V, *Consueverunt*, 17 Sept. 1569).

8. Indulgentia quinque annorum et totidem quadragenarum quoties, recitando Rosarium, in salutatione angelica nomen Iesu devote proferunt. (Pius IX, *Decr.* S. C. Indulg., 14 Apr. 1856).

9. Indulgentia duorum annorum, si integrum Rosarium per hebdomadam dicendum per tres dies distribuunt, pro uno quolibet ex his tribus diebus, quo tertiam partem Rosarii recitant. (Clemens VII, *Etsi temporalium*, 8 Maii 1534).

10. Indulgentia tercentum dierum si recitant tertiam partem Rosarii. (Leo XIII, 29 Aug. 1899).

11. Indulgentiam centum dierum quoties alios inducunt ad tertiam partem Rosarii recitandum. (Leo XIII, 29 Aug. 1899).

12. Indulgentia tercentum dierum, semel in die, si dominicis vel festis diebus in aliqua ecclesia Ordinis Praedicatorum assistunt exercitio recitandi vel canendi professionaliter singulas Rosarii decades, coram singulis mysteriis sive in pariete sive in tabulis depictis. (S. C. Indulg., 21 Maii 1892).

B. — *Certis anni diebus vel festis.*

13. Indulgentia Plenaria, in festo Annuntiationis B. M. V., si confessi et communione relecti Rosarium recitant. (S. Pius V, *Iniunctum nobis*, 14 Iun. 1566).

14. Indulgentia decem annorum et totidem quadragenarum, in festis Purificationis, Assumptionis et Nativitatis B. M. V., si Rosarium recitant. (S. Pius V, loc. cit.).

15. Indulgentia decem annorum et totidem quadragenarum, in festis Resurrectionis, Annuntiationis et Assumptionis B. M. V., si tertiam partem Rosarii recitant. (S. Pius V, *Consueverunt*, 17 Sept. 1569).

16. Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum, in reliquis festis D. N. I. C. et B. M. V. in quibus sacra ipsius Rosarii mysteria recensentur, (scilicet, in festis Visitationis B. M. V., Nativitatis D. N. I. C., Purificationis et Compassionis B. M. V. [feria sexta post dominicam passionis], Ascensionis D. N. I. C., Pentecostes et Omnium Sanctorum), si saltem tertiam partem Rosarii recitant. (S. Pius V, loc. cit.).

17. Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum, in festis Nativitatis, Annuntiationis et Assumptionis B. M. V., si integrum Rosarium ex instituto confraternitatis per hebdomadam recitant. (Sixtus IV, *Pastoris aeterni*, 30 Maii 1478; Leo X, *Pastoris aeterni*, 6 Oct. 1520).

18. Indulgentia centum dierum in festis Purificationis, Annuntiationis, Visitationis, Assumptionis et Nativitatis B. M. V. (Leo X, loc. cit.).

III. — *Pro iis qui comitantur processionem SS. Rosarii.*

19. Indulgentia Plenaria, si confessi et communicati processionem prima mensis dominica intersunt, ibique ad intentionem Summi Pontificis orant, et insuper capellam SS. Rosarii visitant. (Gregorius XIII, *Ad augendam*, 24 Oct. 1577).

Nota. — Hanc indulgentiam confratribus concessam consequi poterunt confratres itinerantes, navigantes, aut alicui inservientes (quos inter milites actu servientes adnumerantur) integra Rosarii recitatione; infirmi vero, vel legitime impediti, si tertiam partem Rosarii recitant. (Gregorius XIII, *Cupientes*, 24 Dec. 1583).

20. Indulgentia Plenaria, si processionem associant in festis Purificationis, Annuntiationis, Visitationis, Assumptionis, Nativitatis, Praesentationis et Immaculae Conceptionis B. M. V. (Pius IV, *Dum praeclara*, 28 Febr. 1561), vel aliquo die infra octavas istorum festorum. (S. C. Ind., 25 Febr. 1848).

21. Indulgentia quinque annorum acquirenda, quando ex eleemosynis confraternitatis virgines matrimonio iungendae dotantur, si processioni intersunt. (Gregor. XIII, *Desiderantes*, 22 Mart. 1580).

22. Indulgentia centum dierum, si processionem debitibus diebus faciendam associant. (Gregorius XIII, *Cum sicut*, 3 Ian. 1579).

23. Indulgentia sexaginta dierum, si processiones ordinarias tam confraternitatis, quam alias quascunque de licentia Ordinarii celebratas, etiam SS. Sacramenti ad infirmos delati, comitantur. (Gregorius XIII, *Gloriosi*, 15 Jul. 1579).

IV. — *Pro iis qui visitant capellam vel ecclesiam confraternitatis.*

24. Indulgentia Plenaria qualibet prima mensis dominica, si confessi et s. communione relecti id faciunt, ibique ad intentionem Summi Pontificis orant. (Gregorius XIII, *Ad augendam*, 12 Mart. 1577).

Nota. — Hanc indulgentiam etiam confratres infirmi, qui ad eandem ecclesiam accedere non valent, lucrari

possunt, si, praevia confessione et communione, domi ante devotam imaginem Rosarium seu coronam (h. e. tertiam partem Rosarii; S. C. Indulg. 25 Febr. 1877 ad 6), aut septem psalmos poenitentiales devote recitant. (Gregorius XIII, *Ad augendam*, 8 Nov. 1578).

25. Indulgentia Plenaria, quavis prima mensis dominica, si sacramentis muniti, expositioni sanctissimi Eucharistiae sacramenti in ecclesia confraternitatis, quatenus de Ordinarii licentia locum habet, per aliquod temporis spatium devote intersunt, ibique ad intentionem Summi Pontificis orant. (Gregorius XVI, *Ad augendam*, 17 Decembris 1833).

26. Indulgentia Plenaria, si confessi ac sacra communione refecti capellam SS. Rosarii aut ecclesiam confraternitatis visitant, ibique ad mentem Summi Pontificis orant a primis vespere usque ad occasum solis in festis Domini Nativitatis, Epiphaniae, Resurrectionis, Ascensionis et Pentecostes; item in duabus feriis sextis quadragesimae ad arbitrium eligendis; nec non in festo Omnium Sanctorum, ac semel infra octiduum Commemorationis omnium fidelium defunctorum. (Gregorius XIII, *Pastoris aeterni*, 5 Maii 1582; Gregorius XVI, *Ad augendam*, 17 Decembris 1833; S. C. Indulg., 12 Maii 1851).

27. Indulgentia Plenaria, sub iisdem conditionibus, a primis vespere usque ad occasum solis, in festis B. M. V. Immaculae Conceptionis, Nativitatis, Praesentationis, Annuntiationis, Visitationis, Purificationis, Assumptionis, ac in festo septem Dolorum (feria sexta post dominicam passionis). (Gregorius XIII, loc. cit.; Clemens VIII, *De salute*, 18 Ian. 1593; Gregorius XVI, loc. cit.).

Nota a). — Indulgentia Plenaria in festis B. M. V. Conceptionis, Nativitatis, Praesentationis, Annuntiationis,

nis, Visitationis, Purificationis et Assumptionis acquiri etiam potest per octavam, sed semel tantum in quovis octiduo. (S. C. Ind., 25 Febr. 1848).

Nota b). — Indulgentia Plenaria in diebus Paschatis, Ascensionis et Pentecostes, ac in festis B. M. V. Immaculae Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Visitationis, Purificationis, Praesentationis et Assumptionis, nec non in duabus feriis sextis quadragesimae acquiri potest etiam visitando quancumque aliam ecclesiam vel publicum oratorium. (S. C. Indulg. 12 Maii 1851).

Nota c). — Quoad itinerantes, navigantes, inservientes, vel infirmos, aut alias legitime impeditos pro acquisitione Indulgentiae Plenariae ecclesiam seu capellam SS. Rosarii visitantibus concessae diebus quibus festa mysteriorum Rosarii celebrantur, idem dicendum, quod superius de iis, qui processioni intervenire nequeunt (n. 19), dictum est. (Sixtus V, *Dum ineffabilia*, 30 Ianuarii 1586).

28. Indulgentia Plenaria, sub iisdem conditionibus, dominica infra octavam Nativitatis B. M. V. (Clemens VIII, *Ineffabilia*, 12 Febr. 1598).

29. Indulgentia Plenaria, sub iisdem conditionibus, dominica tertia Aprilis, a primis vespere usque ad solis occasum. (Gregorius XIII, *Cum sicut*, 3 Ian. 1579).

30. Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum, si confessi sacraque communione refecti capellam seu altare confraternitatis visitant, ibique ad intentionem Summi Pontificis orant in diebus Nativitatis Dñi, Paschatis, Pentecostes, et in festis Immaculae Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Visitationis et Assumptionis B. M. V., nec non in festo Omnium Sanctorum. (Clemens VIII, *Salvatoris*, 13 Ian. 1593; Idem, *De salute*, 18 Ian. 1593).

31. Indulgentia centum dierum pro quolibet die quo visitant capellam seu altare SS. Rosarii, ibique ad intentionem Summi Pontificis orant. (Gregorius XIII, *Cum sicut*, 3 Ian. 1579).

Nota. — Moniales in clausura viventes, iuvenes utriusque sexus in collegiis, seminariis, conservatoriis degentes, omnesque demum personae viventes in institutis ex quibus ad libitum egredi non possunt, imo et membra societatum catholicarum, omnes indulgentias pro quibus praescriberetur visitatio capellae seu ecclesiae confraternitatis, — dummodo huic rite adscripti sint, — lucrari possunt visitando propriam ipsorum ecclesiam, seu capellam, sive oratorium (S. C. Ind., 11 Aug. 1871; 8 Febr. 1874).

Confratres infirmi vel quomodocumque impediti quominus sacramentum Eucharistiae recipiant, aut ecclesiam vel capellam visitent, indulgentias omnes pro quibus istae condiciones praescribuntur lucrari possunt, si confessi, aliisque iniunctis operibus adimpletis, aliquod pium opus a confessario iniunctum exequentur.

Cum in quibusdam festis pro visitatione ecclesiae seu capellae SS. Rosarii praeter plenariam indulgentiam aliqua etiam indulgentia partialis concessa fuerit, ad hanc quoque acquirendam distincta ecclesiae seu capellae visitatio necessaria est.

V. — *Pro iis qui visitant quinque altaria.*

32. Confratres qui visitant quinque altaria cuiuscumque ecclesiae vel oratorii publici, vel quinquies unum duove altaria ubi quinque non reperiuntur, lucrantur easdem indulgentias ac si Romae stationes visitarent. (Leo X, 22 Maii 1518).

VI. — *Pro iis qui dicunt vel audiunt missam votivam SS. Rosarii.*

33. Indulgentiae omnes integrum Rosarium recitantibus concessae, pro confratribus sacerdotibus si missam votivam secundum missale romanum pro diversitate temporis ad altare SS. Rosarii celebrant (quae missae votivae bis in hebdomada dici possunt); pro aliis autem confratribus si tali missae assistunt et ibi pias ad Deum fundunt preces. (Leo XIII, *Ubi primum*, 2 Oct. 1898).

34. Indulgentiae omnes concessae iis qui processionem prima uniuscuiusque mensis dominica fieri solitam associant, pro iis qui consuetudinem habent celebrandi vel audiendi hanc missam, semel in mense, die quo confessi sacramentum communionis recipiunt. (Clemens X, *Caelestium munerum*, 16 Febr. 1671).

35. Indulgentia unius anni pro iis qui in sabbatis quadragesimae assistunt coniunctim missae, concioni de B. M. V. et antiphonae « Salve Regina ». (Gregorius XIII, *Desiderantes*, 22 Mar. 1580).

VII. — *Pro iis qui devotionem quindecim sabbatorum SS. Rosarii peragunt.*

36. Indulgentia Plenaria in tribus ex quindecim sabbatis, uniuscuiusque arbitrio eligendis, si per quindecim sabbata consecutiva (vel immediate praecedentia festum SS. Rosarii, vel etiam quolibet infra annum tempore) confessi et sacra communione refecti ecclesiam confraternitatis visitant ibique ad intentionem Summi Pontificis orant. (S. C. Indulg., 12 Dec. 1849).

37. Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum in duodecim sabbatis n. 36 non comprehensis. (S. C. Indulg., 12 Dec. 1849).

VIII. — *Pro iis qui mense rosariano certas devotiones peragunt.*

38. Indulgentia Plenaria, si exercitio mensis octobris in ecclesiis Ordinis Praedicatorum institui solito saltem decies interfuerunt, die ab ipsis eligendo, si sacramenta recipiunt et ad intentionem Summi Pontificis orant. (S. C. Indulg., 31 Aug. 1885).

39. Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum, quoties devotionibus in ecclesiis Ordinis Praedicatorum mense octobris quotidie institui solitis intersunt. (S. C. Ind., 31 Aug. 1885).

IX. — *Pro iis qui assistunt antiphonae « Salve Regina » cantatae.*

40. Indulgentia trium annorum et totidem quadragenarum, si in ecclesia confraternitatis cum candela accensa (ubi usus viget, alibi adiungatur una « Ave Maria ») assistunt antiphonae « Salve Regina » cantari solitae in festis B. M. V. quae ab universa ecclesia celebrantur, (S. C. Indulg., 18 Septem. 1862 ad 4) et in Apostolorum natalitiis, ac festis Sanctorum Ordinis Praedicatorum. (Clemens VIII, *Ineffabilia*, 12 Febr. 1598).

41. Indulgentia centum dierum, omnibus diebus per totum annum, si huic antiphonae post completorium assistunt. (Clemens VIII, loc. cit.).

42. Indulgentia quadraginta dierum in omnibus sabbatis ac diebus festivis per annum. (Leo X, *Pastoris aeterni*, 6 Oct. 1520).

Nota. — Indulgentias nn. 40 et 41 recensitas legitime impediti, quominus in ecclesia huic antiphonae adstent, lucrari possunt si eandem flexis genibus coram

altari vel imagine B. M. V. recitant. (Clemens VIII, *Ineffabilia*, 12 Febr. 1598).

X. — *Pro iis qui orationem mentalem aut alia spiritualia exercitia peragunt.*

43. Indulgentia Plenaria, semel in mense, si per integrum mensem quotidie per mediam horam vel saltem per quartam horae partem mentali orationi operam dant, die ad eorum arbitrium eligendo, quo sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae recipiunt. (Clemens X, *Ad ea*, 28 Ian. 1671).

44. Indulgentia Plenaria, si in memoriam quadraginta dierum, quibus dominus Iesus stetit in deserto, per eundem numerum dierum in oratione, mortificatione et in aliis piis operibus sese exercuerint, semel in anno, die ab ipsis eligendo. (Pius VII, *Ad augendam*, 16 Februarii 1808).

45. Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum, quoties per mediam horam mentali orationi operam dant. (Clemens X, *Ad ea*, 28 Ian. 1671).

46. Indulgentia centum dierum, quoties per quartam horae partem meditationi vacant. (Clemens X, loc. cit.).

XI. — *Pro iis qui visitant confratres infirmos.*

47. Indulgentia trium annorum et totidem quadragenarum, quoties infirmos confratres visitant. (Clemens VIII, *Ineffabilia*, 12 Febr. 1598).

48. Indulgentia centum dierum, si confratres infirmos ad ecclesiastica sacramenta suscipienda hortantur. (Gregorius XIII, *Cum sicut*, 3 Ian. 1579).

XII. — *Pro iis qui suffragantur animabus confratrum defunctorum.*

49. Indulgentia Plenaria, si in quatuor anniversariis (diebus 4 Febr., 12 Jul., 5 Sept., 10 Nov.) quotannis in ecclesiis publicis tum fratrum, tum sororum Ordinis Praedicatorum institui solitis, officiis defunctorum intersunt, ad confessi sacraque communione refecti ad intentionem Summi Pontificis orant, semel quolibet ex illis quatuor diebus. (Pius VII. *Ad augendam*, 16 Februarii 1808).

50. Indulgentia octo annorum, si exequiis adstiterint sequentes processionem quae in suffragium defunctorum quolibet die sabbati aut semel in mense per ecclesiam confraternitatis sive per claustrum ducitur. (Gregorius XIII. *Desiderantes*, 22 Mart. 1580).

51. Indulgentia trium annorum et totidem quadragenarum, quoties corpora confratrum defunctorum ad ecclesiam confraternitatis associant. (Clemens VIII. *Ineffabilia*, 12 Febr. 1598).

52. Indulgentia centum dierum, si cadavera confratrum cum vexillo confraternitatis ad sepulturam associant; vel si anniversariis pro animabus defunctorum confratrum celebratis intersunt, et ibidem ad intentionem Summi Pontificis orant. (Gregorius XIII. *Cum sicut*, 3 Ian. 1579).

XIII. — *Pro iis qui quodcumque caritatis vel pietatis opus peragunt.*

53. Indulgentia sexaginta dierum, quoties confratres aliquod opus caritatis et pietatis exercent. (Gregorius XIII. *Gloriosi*, 15 Jul. 1579).

XIV. — *Pro morientibus.*

54. Indulgentia Plenaria a sacerdote etiam extra confessionem per formulam communem applicanda, si Rosarium per hebdomadam recitare consueverunt. (Innocentius VIII, 13 Oct. 1483; S. C. Indulg. Decr. 10 Augusti 1899).

55. Indulgentia Plenaria, si ex hac vita migranti manu tenentes candelam benedictam SS. Rosarii, dummodo semel saltem in vita integrum Rosarium recitaverint. (Hadrianus VI. *Illius qui*, 1 Apr. 1523).

56. Indulgentia Plenaria, si sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae recipiunt. (S. Pius V. *Consueverunt*, 17 Septemb. 1569).

57. Indulgentia Plenaria, si contriti ss. nomen Iesu saltem corde, si ore non possunt, invocant. (Leo XIII. *Rescr. S. C. Indulg.*, 19 Aug. 1899).

58. Indulgentia Plenaria, si susceptis Ecclesiae sacramentis fidem Romanae Ecclesiae profitentes et antiphonam « Salve Regina » recitantes, B. Virgini se commendant. (Clemens VIII. *Ineffabilia*, 12 Febr. 1598).

Nota. — Quamvis haec relata sit pluries indulgentia plenaria in mortis articulo, tamen ad tramitem Decretorum S. C. Indulgent. una tantum acquiri poterit in mortis articulo sub una vel altera ex diversis conditionibus supra expositis.

XV. — *Pro defunctis.*

59. In ecclesiis Ordinis Praedicatorum altare SS. Rosarii pro sacerdotibus eiusdem Ordinis privilegiatum est pro anima cuiuscumque confratris, (Gregorius XIII. *Omnium salutis*, 1 Sept. 1582).

60. In ecclesiis confraternitatis altare SS. Rosarii

pro sacerdotibus confratribus gaudet privilegio, non solum in favorem confratrum defunctorum, sed etiam cuiuscumque defuncti, etiamsi aliud altare privilegiatum in eadem ecclesia existat. Imo, si in ecclesia non extat aliud altare privilegiatum, altare SS. Rosarii etiam pro quocumque sacerdote, quamvis confraternitati non adscripto, et in favorem cuiuscumque defuncti privilegiatum est. (S. C. Ind. *Cameracen.* 7 Jun. 1842; Pius IX, *Omnium saluti*, 3 Mart. 1857).

PARS SECUNDA. — INDULGENTIAE CONFRATRIBUS
CUM ALIIS FIDELIBUS COMMUNES.

61. Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum, prima dominica cuiuslibet mensis, si processioni intersunt. (S. Pius V, *Consueverunt*, 17 Sept. 1569).

62. Indulgentia Plenaria toties quoties in festo SS. Rosarii, sacramentis reflecti, a primis vespertis usque ad occasum solis diei ipsius, in memoriam victoriae super Turcas apud Echinadas insulas ope Rosarii reportatae, capellam (vel effigiem B. M. V. in ecclesia expositam; S. C. Ind., 25 Jan. 1866) visitant, ibique ad intentionem Summi Pontificis orant. (S. Pius V, *Salvatoris*, 5 Mart. 1572; S. C. Indul., 5 Apr. 1869, 7 Jul. 1885).

Nota. — Ad lucranda praefatam Indulgentiam, confessio poterit anticipari feria sexta immediate praecedenti festum SS. Rosarii. (Leo XIII, Rescr. S. C. Ind. 19 Aug. 1899).

63. Indulgentia Plenaria in uno die octavae festi SS. Rosarii ad arbitrium uniuscuiusque eligendo, si, sacramentis reflecti, cappellam SS. Rosarii, vel simulacrum B. M. V. in ecclesia expositum, visitant, ibique ad intentionem Summi Pontificis orant. (Benedictus XIII, *Pretiosus*, 20 Maii 1727; S. C. Ind., 7 Jul. 1885).

64. Indulgentia Plenaria sub iisdem conditionibus in festo Corporis Christi et in festo Sancti Titularis ecclesiae. (Gregorius XIII, *Desiderantes*, 22 Mart. 1580).

65. Omnes et singulae indulgentiae in hoc Indice contentae possunt per modum suffragii applicari animabus fidelium qui vinculo caritatis Deo coniuncti supremum diem obierunt; excepta tamen Plenaria in mortis articulo. (Innocentius XI, *Ad ea*, 15 Jun. 1679).

DECRETUM.

Cum Magister Generalis Ordinis Praedicatorum mandato obtemperans articuli XVI Constitutionis Apostolicae *Ubi primum* anno superiore editae, novum Indulgentiarum Indicem huic S. Congregationi exhibendum curaverit, haec S. Congregatio illum diligentissime expendit, adhibita etiam opera quorundam ex suis Consultoribus. Cumque, mature perpensis omnibus, existimaverit nonnulla demenda, addenda, declaranda vel brevius exprimenda esse, has omnes immutationes, in Indicem praefatum inducendas, SS. ño Dño Nostro Leoni PP. XIII per infrascriptum Cardinalem Praefectum subiecit.

Sanctitas autem Sua in audientia diei 29 Augusti 1899 eas benigne approbare dignata est, simulque novum hunc Indicem uti supra reductum in omnibus et singulis partibus probavit, Indulgentias omnes in eo contentas Apostolica Sua Auctoritate confirmavit, et, quatenus opus sit, denuo concessit; simul edicens praeter eas quae in praesenti Indice referuntur quas-cumque alias Confraternitatibus ss. Rosarii tributas, abrogatas seu revocatas esse censendas; ita ut quaecumque iam erecta vel in posterum erigenda sit Sodalitas ss. Rosarii a Magistro Generali Ordinis Praedicatorum iis tantummodo gaudeat Indulgentiis quae

in hoc Indice insertae reperiuntur. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis die 29 Augusti 1899. — Fr. Hieronymus M. Card. Gotti, Praefectus. — L. ✠ S. — † A. Sabatucci Archiepiscopus Antinoensis, Secretarius.

Appendix. — Summarium Indulgentiarum omnibus Christianis pro devotione SS. Rosarii concessarum.

1. Indulgentia Plenaria, semel in anno, si singulis diebus saltem tertiam partem Rosarii recitant, et die ab ipsis eligenda sacramentis reficiuntur, dummodo adhibeant coronam ab aliquo religioso Ordinis Praedicatorum, vel ab alio sacerdote deputato benedictam. (*Raccolta*, Editio 1898, n. 194).
2. Indulgentia centum dierum pro quolibet « Pater noster » et qualibet « Ave Maria », si integrum Rosarium vel saltem tertiam eius partem recitant, dummodo Rosarium sit benedictum ab aliquo religioso Ordinis Praedicatorum, vel ab alio sacerdote deputato. (*Ibid.*).
3. Indulgentia quinque annorum et totidem quadragenarum, quoties tertiam partem Rosarii recitant. (*Ibid.*).
4. Indulgentia decem annorum et totidem quadragenarum, semel in die, si una cum aliis, sive domi, sive in ecclesia, sive in aliquo oratorio publico seu privato, saltem tertiam partem Rosarii recitant. (*Ibid.*).
5. Indulgentia Plenaria in ultima singulorum mensium dominica, si saltem ter in hebdomada tertiam partem Rosarii una cum aliis sive domi, sive in ecclesia, sive in aliquo oratorio recitant, et in dicta ultima dominica ss. sacramentis refecti aliquam eccle-

siam seu aliquod publicum oratorium visitant, ibique secundum mentem Summi Pontificis orant. (*Ibid.*).

6. Indulgentia Plenaria in uno ex quindecim sabbatis continuis, arbitrio uniuscuiusque eligendo, si singulis sabbatis sacramenta suscipiunt, et tertiam partem Rosarii recitant, vel aliter eiusdem mysteria devote recolunt. (*Raccolta*, edit. cit., n. 197).

Nota. — Quoties fideles legitime impediuntur quominus praefatum exercitium die sabbati peragant, absque indulgentiarum iactura illud die dominica explere possunt. (*Ibid.*).

7. Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum, omnibus sabbatis num.^o praecedenti non comprehensis. (*Ibid.*).

8. Indulgentia Plenaria, si quovis anni tempore per novem dies in honorem Reginae SS. Rosarii piis exercitiis operam dant, recitando preces a legitima auctoritate approbatas, die ad arbitrium uniuscuiusque eligendo, sive intra novendiales sive infra octo dies immediate sequentes novendium, quo vere poenitentes, confessi et s. communionem refecti iuxta mentem Summi Pontificis orant. (*Raccolta*, edit. cit., n. 149).

9. Indulgentia tercentum dierum pro omnibus aliis diebus novendii, quibus in dictis orationibus se exercent. (*Ibid.*).

Pro recitantibus tertiam partem Rosarii in mense Octobris.

A SS^{no} Dño Nostro Leone PP. XIII (1 Septembris 1883 — 20 Augusti 1885 — 23 Iulii 1898) concessae fuerunt in perpetuum Indulgentiae quae sequuntur:

10. Indulgentia Plenaria, si in die festo B. V. de

Rosario, vel aliquo die infra octavam, sacramenta rite suscipiunt, et aliquam sacram aedem visitant, ibique ad mentem Summi Pontificis orant, dummodo die festo et singulis per octavam diebus, sive publice in aliqua ecclesia, sive privatim, tertiam partem Rosarii recitent.

11. Indulgentia Plenaria, si post octavam festi SS. Rosarii saltem decies infra eundem mensem Octobris, sive publice in aliqua ecclesia sive privatim, tertiam partem Rosarii recitent et die ab ipsis eligendo sacramenta rite suscipiunt, aliquam ecclesiam visitant, ibique ad intentionem Summi Pontificis orant.

12. Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum pro quovis die mensis octobris, quo fideles tertiam partem Rosarii sive publice in aliqua ecclesia sive privatim recitant.

13. Omnes et singulae Indulgentiae in hoc Summario recensitae sunt applicabiles animabus igne Purgatorii detentis. (*Raccolta*, edit. cit., p. XXII, n. 4).

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita praesens Summarium Indulgentiarum omnibus Christifidelibus pro devotione SS. Rosarii concessarum uti authenticum recognovit typisque imprimi ac publicari permisit.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 29 Augusti 1899. — L. S. — Fr. Hieronymus M. Card. Gotti, Praefectus. — A. Sabatucci Archiepiscopus Antioensis, Secretarius.

CXIII.

S. Officii decretum de vi decreti « Tametsi » in America Latina. — 23 Nov. 1898.

Beatissime Pater, — Episcopus de Costa Rica in America Centrali sequentia dubia enodanda proponit:

Licet nulla extet memoria publicatum fuisse Concilium Tridentinum in dioecesi de Nicaragua et Costa Rica, tamen nunquam in dubio positum est quin eiusdem leges in tota America Latino-Hispanica vigerent (etiam Cap. I, Sess. 24 *de Ref. Matrim.*): nihilominus dubium occurrit utrum haec lex Tridentina publicanda sit in novis parochiis quae eriguntur, speciatim in locis, ubi maior pars habitantium est haeretica.

Casus concretus hic est: Portus de Limon anno 1870 regio erat inculta et silvis consita. Primi incolae fuerunt Nigritae haeretici et nonnulli catholici costarricensis. Anno 1893 erecta fuit parochia in eodem portu, ubi degunt 1000 catholici et 4000 haeretici.

I. Vigetne ibidem lex Tridentina quoad celebrationem matrimoniorum propter solam rationem quod terra illa pertineat ad dioecesim ubi publicata censetur lex, an vero denuo publicanda est?

II. Validane sunt matrimonia ab haereticis celebrata coram ministro acatholico vel coram Gubernio in Portu de Limon?

III. Anno 1897, 27 haeretici suos errores abiuraverunt et in Ecclesiam reversi sunt. Quaerit parochus quid cum iis faciendum, qui matrimonium inierunt modo n. II exposito: Post baptismum conditionalem etc. consensus matrimonialis renovandus est, necne?

IV. Utrum conveniat, ad tollenda dubia, Concilium Tridentinum publicare?

V. Utrum conveniat dispensationem petere a S. Sede relate ad matrimonia haereticorum, sicut concessa fuit a Benedicto XIV d. 4 Nov. 1741 pro provinciis foederatis Belgii et Hollandiae?

Feria IV, die 23 Novembris 1898.

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis habita ab EE^{ss} et RR^{ss} DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Generalibus Inquisitoribus, propositis suprascriptis dubiis, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem EE. ac RR. Patres respondendum mandarunt:

Ad I. Decretum TAMETSI Conc. Tridentini tamquam promulgatum censeri debet in tota diocesi de Costa Rica; neque praeinde necessaria est eiusdem decreti promulgatio in nova parocchia Portus de Limon.

Ad II. Provisum in praecedenti; scilicet Negative.

Ad III. Affirmative; et detur Decret. S. O. 20 Novembris 1876.*

Ad IV. Publicationem necessariam non esse.

Ad V. Negative.

* Ecce tenorem cit. decreti: « Utrum conferri debeat Baptismus sub conditione haereticis qui ad catholicam fidem convertuntur e quocumque loco proveniant et ad quancumque sectam pertinent? — *Resp. Negative*, sed in conversione haereticorum, a quocumque loco vel a quocumque secta venerint, inquirendum est de validitate baptismi in haeresi suscepti. Instituto igitur in singulis casibus examine, si comperit fuerit aut nullum, aut nulliter collatum fuisse, baptizandi erunt absolute. Si autem pro temporum et locorum ratione, investigatione peracta, nihil sive pro validitate, sive pro invaliditate detegatur, aut adhuc probabile dubium de baptismi validitate supersit, tunc sub conditione secreto baptizentur. Demum si constiterit validum fuisse, recipiendi erunt tantummodo ad abjurationem, seu professionem fidei ».

Feria vero VI, die 25 eiusdem mensis et anni, in solita audientia R. P. D. Adessori S. O. impertita, facta de his omnibus SS^{mo} D. N. Leoni Div. Prov. Pp. XIII relatione, SS^{mus} resolutionem E^morum Patrum adprobavit. — I. Can. Mancini, S. R. et U. Inquis. Not.

CXIV.

S. Officii decretum de matrimoniis impiorum et massonum. — 11 Januar. 1899.

Beatissimo Padre, — Il Vescovo N. N., prostrato ai piedi della S. V., rispettosamente espone quanto appresso:

Con decreto di Fer. IV 30 Gennaio 1867, confermato dall' altro di Fer. III loco IV 25 Maggio 1897, il S. Officio dichiarò: « Quoties agatur de matrimonio inter unam partem catholicam et alteram quae a fide ita defecit, ut alicui falsae religioni vel sectae sese adscriperit, requirendam esse consuetam et necessariam dispensationem cum solitis ac notis praescriptionibus et clausulis. Quod si agatur de matrimonio inter unam partem catholicam et alteram, quae fidem abiecit, at nulli falsae religioni vel haereticae sectae sese adscripsit, quando parochus nullo modo potest huiusmodi matrimonium impedire (ad quod totis viribus incumbere tenetur) et prudenter timet ne ex denegata matrimonio adsistentia grave scandalum vel damnum oriatur, rem deferendam esse ad R. P. D. Episcopum, qui, sicut ei opportuna nunc facultas tribuitur, inspectis omnibus casus adiunctis, permittere poterit, ut parochus matrimonio passive intersit tam-

« quam testis *authorizabilis*, dummodo cautum omnino
« sit catholicae educationi universae proles aliisque si-
« milibus conditionibus ».

Ora il Vescovo oratore chiede umilmente la facoltà di permettere i matrimonii dei liberi pensatori secondo le norme del prefato decreto. Che ecc.

Feria IV, die II Ianuarii 1899.

In Congregatione generali S. R. et U. Inquisitionis, habita ab Em̄is et Rm̄is DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Generalibus Inquisitoribus, propositis suprascriptis precibus, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem EE. ac RR. Patres respondendum mandarunt:

Reformatis precibus: I. *An verba Decreti S. Officii fer. IV, die 30 Ianuarii 1867 ad I.* « rem deserendam esse ad R. P. D. Episcopum qui, sicut ei opportuna nunc facultas tribuitur », *extendi possint ad omnes Episcopos?*

II. *Et quatenus negative, orator Episcopus N. N. suppliciter petit ut sibi dicta facultas concedatur.*

Resp. ad I. *Affirmative, facto verbo cum SSmo.*

Ad II. *Provisum in primo.*

Feria vero VI, die 13 eiusdem mensis et anni, in solita audientia R. P. D. Adessori S. O. impertita, facta de his omnibus SSmo D. N. Leoni Div. Prov. Pp. XIII relatione, SSmus resolutionem Em̄orum Patrum adprobavit. — I. Can. Mancini, S. R. et U. Inquis. Not.

CXV.

SS. D. N. Leonis XIII Epist. Apost. « Testem benevolentiae » ad Em̄um Card. Iacobum Gibbons, Archiepiscopum Baltimoreensem, quoad opiniones nonnullas quae indicantur nomine « Americanismi ». — 22 Ianuarii 1899.

Testem benevolentiae Nostrae hanc ad te epistolam mittimus, eius nempe benevolentiae, quam, diuturno Pontificatus Nostri cursu, tibi et Episcopis collegis tuis ac populo Americae universo profiteri nunquam destitimus, occasionem omnem libenter nacti, sive ex felicibus Ecclesiae vestrae incrementis, sive ex utiliter a vobis recteque gestis ad catholicorum rationes tutandas et evehendas. Quin imo saepe etiam accidit egregiam in gente vestra indolem suspicere et admirari ad praeclara quaeque experrectam, atque ad ea prosequenda, quae humanitatem omnem iuvant splendoremque civitatis. — Quamvis autem non eo nunc spectet epistola ut alias saepe tributas laudes confirmet, sed ut nonnulla potius cavenda et corrigenda significet; quia tamen eadem apostolica caritate conscripta est, qua vos et prosequuti semper et alloquuti saepe fuimus, iure expectamus, ut hanc pariter amoris Nostri argumentum censeatis; idque eo magis futurum confidimus, quod apta nataque ea sit ad contentiones quasdam extinguendas, quae, exortae nuper in vobis, etsi non omnium, at multorum certe animos, haud mediocri pacis detrimento, perturbant.

Compertum tibi est, dilecte Fili Noster, librum de vita *Isaaci-Thomae Hecker*, eorum praesertim opera, qui

« quam testis *authorizabilis*, dummodo cautum omnino
« sit catholicae educationi universae proles aliisque si-
« milibus conditionibus ».

Ora il Vescovo oratore chiede umilmente la facoltà di permettere i matrimonii dei liberi pensatori secondo le norme del prefato decreto. Che ecc.

Feria IV, die II Ianuarii 1899.

In Congregatione generali S. R. et U. Inquisitionis, habita ab Em̄is et Rm̄is DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Generalibus Inquisitoribus, propositis suprascriptis precibus, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem EE. ac RR. Patres respondendum mandarunt:

Reformatis precibus: I. *An verba Decreti S. Officii fer. IV, die 30 Ianuarii 1867 ad I.* « rem deserendam esse ad R. P. D. Episcopum qui, sicut ei opportuna nunc facultas tribuitur », *extendi possint ad omnes Episcopos?*

II. *Et quatenus negative, orator Episcopus N. N. suppliciter petit ut sibi dicta facultas concedatur.*

Resp. ad I. *Affirmative, facto verbo cum SSmo.*

Ad II. *Provisum in primo.*

Feria vero VI, die 13 eiusdem mensis et anni, in solita audientia R. P. D. Adessori S. O. impertita, facta de his omnibus SSmo D. N. Leoni Div. Prov. Pp. XIII relatione, SSmus resolutionem Em̄orum Patrum adprobavit. — I. Can. Mancini, S. R. et U. Inquis. Not.

CXV.

SS. D. N. Leonis XIII Epist. Apost. « Testem benevolentiae » ad Em̄um Card. Iacobum Gibbons, Archiepiscopum Baltimoreensem, quoad opiniones nonnullas quae indicantur nomine « Americanismi ». — 22 Ianuarii 1899.

Testem benevolentiae Nostrae hanc ad te epistolam mittimus, eius nempe benevolentiae, quam, diuturno Pontificatus Nostri cursu, tibi et Episcopis collegis tuis ac populo Americae universo profiteri nunquam destitimus, occasionem omnem libenter nacti, sive ex felicibus Ecclesiae vestrae incrementis, sive ex utiliter a vobis recteque gestis ad catholicorum rationes tutandas et evehendas. Quin imo saepe etiam accidit egregiam in gente vestra indolem suspicere et admirari ad praeclara quaeque experrectam, atque ad ea prosequenda, quae humanitatem omnem iuvant splendoremque civitatis. — Quamvis autem non eo nunc spectet epistola ut alias saepe tributas laudes confirmet, sed ut nonnulla potius cavenda et corrigenda significet; quia tamen eadem apostolica caritate conscripta est, qua vos et prosequuti semper et alloquuti saepe fuimus, iure expectamus, ut hanc pariter amoris Nostri argumentum censeatis; idque eo magis futurum confidimus, quod apta nataque ea sit ad contentiones quasdam extinguendas, quae, exortae nuper in vobis, etsi non omnium, at multorum certe animos, haud mediocri pacis detrimento, perturbant.

Compertum tibi est, dilecte Fili Noster, librum de vita *Isaaci-Thomae Hecker*, eorum praesertim opera, qui

aliena lingua edendum vel interpretandum susceperunt, controversias excitasse non modicas, ob inexactas quasdam de ratione christiane vivendi opiniones. Nos igitur, ut integritati fidei pro supremo Apostolatus munere prospiciamus, et fidelium securitati caveamus, volumus de re universa fusiori sermone ad te scribere.

Novarum igitur, quas diximus, opinionum id fere constituitur fundamentum: quo facilius qui dissident ad catholicam sapientiam tradueantur, debere Ecclesiam ad adulti saeculi humanitatem aliquanto propius accedere, ac, veteri relaxata severitate, recens inexactis populorum placitis ac rationibus indulgere. Id autem non de vivendi solum disciplina, sed de doctrinis etiam, quibus *fidei depositum* continetur, intelligendum esse multi arbitrantur. Opportunum enim esse contendunt, ad voluntates discordium alliciendas, si quaedam doctrinae capita, quasi levis momenti, praetermittantur, aut molliantur ita, ut non eundem retineant sensum quem constanter tenuit Ecclesia. — Id porro, dilecte Fili Noster, quam improbando sit consilio excogitatum, haud longo sermone indiget, si modo doctrinae ratio atque origo repetatur, quam tradit Ecclesia. Ad rem Vaticanam Synodus: « Neque enim fidei doctrina, quam Deus revelavit, velut philosophicum inventum proposita est humanis ingeniiis perficienda, sed tamquam divinum depositum Christi Sponsae tradita fideliter custodienda et infallibiliter declaranda... Is sensus sacrorum dogmatum perpetuo est retinendus, quem semel declaravit Sancta Mater Ecclesia; nec unquam ab eo sensu altioris intelligentiae specie et nomine recedendum »¹.

¹ Const. de Fid. cath. c. IV.

Neque omnino vacare culpa censendum est silentium illud, quo catholicae doctrinae principia quaedam consulto praetereuntur ac veluti oblivione obscurantur. — Veritatum namque omnium, quotquot christiana disciplina complectitur, unus atque idem auctor est et magister *Unigenitus Filius qui est in sinu Patris*². Easdem vero ad aetates quaslibet ac gentes accommodatas esse, perspicue ex verbis colligitur, quibus ipse Christus Apostolos est alloquutus: *Euntes docete omnes gentes... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis; et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi*³. Quapropter idem Vaticanum Concilium: « Fide divina, inquit, et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia, sive solemnii iudicio, sive ordinario et universali magisterio, tamquam divinitus revelata credenda proponuntur »⁴. Absit igitur ut de tradita divinitus doctrina quidpiam quis detrahat vel consilio quovis praetereat; id enim qui faxit, potius catholicos seiungere ab Ecclesia, quam qui dissident ad Ecclesiam transferre volet. Redeant, nil enim Nobis optatius, redeant universi, quicumque ab ovili Christi vagantur longius; non alio tamen itinere, quam quod Christus ipse monstravit.

Disciplina autem vivendi, quae catholicis hominibus datur, non eiusmodi est, quae, pro temporum et locorum varietate, temperationem omnem reiciat. — Habet profecto Ecclesia, inditum ab Auctore suo, clemens ingenium et misericors; quam ob causam, inde a sui exordio, id praestitit libens, quod Paulus Apostolus de se

¹ Ioann. I. 18.

² Matth. XXVIII, 19 s.

³ Const. de Fid. cath. c. III.

profitebatur: *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos*¹. — Aetatum vero praeteritarum omnium historia testis est, Sedem hanc Apostolicam, cui, non magisterium modo, sed supremum etiam regimen totius Ecclesiae tributum est, constanter quidem *in eodem dogmate, eodem sensu, eademque sententia*² haesisse; at vivendi disciplinam ita semper moderari consuevisse, ut, divino incolumi iure, diversarum adeo gentium, quas amplectitur, mores et rationes nunquam neglexerit. Id si postulet animorum salus, nunc etiam facturam quis dubitet? — Non hoc tamen privatorum hominum arbitrio definiendum, qui fere specie recti decipiuntur; sed Ecclesiae iudicium esse oportet: in eoque acquiescere omnes necesse est, quicumque Pii VI. decessoris Nostri reprehensionem cavere malant. Qui quidem propositionem LXXVIII Synodi Pistoriensis « Ecclesiae ac Spiritui « Dei quo ipsa regitur iniurias *edixit*, quatenus examini subiciat disciplinam ab Ecclesia constitutam et « probatam, quasi Ecclesia disciplinam constituere possit inutilem et onerosiorem quam libertas christiana « patiatur ».

In causa tamen de qua loquimur, dilecte Fili Noster, plus affert periculi estque magis catholicae doctrinae disciplinaeque infestum consilium illud, quo rerum novarum sectatores arbitrantur libertatem quamdam in Ecclesiam esse inducendam, ut, constricta quodammodo potestatis vi ac vigilantia, liceat fidelibus suo cuiusque ingenio actuosaeque virtuti largius aliquanto indulgere. Hoc nimirum requiri affirmant ad libertatis eius exemplum, quae, recentius invecta, civilis fere communis ius modo ac fundamentum est. — De qua Nos fuse

¹ I Cor. IX, 22.

² Conc. Vatic. Ibid. c. IV.

admodum loquuti sumus in iis Litteris, quas de civitatum constitutione ad Episcopos dedimus universos; ubi etiam ostendimus, quid inter Ecclesiam, quae iure divino est, intersit, ceterasque consociationes omnes, quae libera hominum voluntate vigent. — Praestat igitur quamdam potius notare opinionem, quae quasi argumentum affertur ad hanc catholicis libertatem suadendam. Aiunt enim, de Romani Pontificis infallibili magisterio, post solemne iudicium de ipso latum in Vaticana Synodo, nihil iam oportere esse sollicitos; quam ob rem, eo iam in tuto collocato, posse nunc ampliorem cuivis ad cogitandum atque agendum patere campum. — Praeposterum sane arguendi genus: si quid enim ex magisterio Ecclesiae infallibili suadet ratio, hoc certe est, ut ab eo ne quis velit discedere, imo omnes eidem se penitus imbuendos ac moderandos dent, quo facilis a privato quovis errore serventur immunes. Accedit, ut ii, qui sic arguunt, a providentis Dei sapientia discedant admodum; quae, quum Sedis Apostolicae auctoritatem et magisterium affirmata solemniori iudicio voluit, ideoque voluit maxime, ut pericula praesentium temporum animis catholicorum efficacius caveret. Licentia quae passim cum libertate confunditur; quidvis loquendi obloquendique libido; facultas denique quilibet sentiendi litterarumque formis exprimendi, tenebras tam alte mentibus obfuderunt, ut maior nunc quam ante sit magisterii usus et necessitas, ne a conscientia quis officioque abstrahatur. — Abest profecto a Nobis ut quaecumque horum temporum ingenium parit, omnia repudiemus; quin potius quidquid indagando veri aut enitendo boni attingitur, ad patrimonium doctrinae augendum publicaeque prosperitatis fines proferendos, libentibus sane Nobis, accedit. Id tamen omne, ne so-

lidae utilitatis sit expers, esse ac vigere nequaquam debet, Ecclesiae auctoritate sapientiaque posthabita.

Sequitur ut ad ea veniamus quae ex his, quas attigimus, opinionibus consecraria veluti proferuntur; in quibus si mens, ut credimus, non mala, at certe res carere suspitione minime videbuntur. — Principio enim externum magisterium omne ab iis, qui christianae perfectioni adipiscendae studere velint, tamquam superfluum, immo etiam minus utile, reicitur; ampliora, aiunt, atque uberiora nunc quam elapsis temporibus, in animos fidelium Spiritus Sanctus influit charismata, eosque, medio nemine, docet arcano quodam instinctu atque agit. — Non levis profecto temeritatis est velle modum metiri, quo Deus cum hominibus communicet; id enim unice ex eius voluntate pendet, estque ipse munerum suorum liberrimus dispensator. *Spiritus ubi vult spirat*¹. *Unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi*². — Ecquis autem repentes Apostolorum historiam, exordientis Ecclesiae fidem, fortissimorum martyrum certamina et caedes, veteres denique plerasque aetates sanctissimorum hominum foecundissimas, audeat priora tempora praesentibus componere, eaque affirmare minore Spiritus Sancti effusione donata? Sed, his omissis, Spiritum Sanctum secreto illapsu in animis iustorum agere eosque admonitionibus et impulsione excitare, nullus est qui ambigat; id ni foret, externum quodvis praesidium et magisterium inane esset. « Si quis... salutari, id est evangelicae praedicationi consentire posse confirmat, absque illuminatione Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo

¹ Ioan. III, 8.

² Eph. IV, 7.

« et credendo veritati, haeretico fallitur spiritu »³. Verrum, quod etiam experiendo novimus, hae Sancti Spiritus admonitiones et impulsiones plerumque, non sine quodam externi magisterii adiumento ac veluti comparatione, persentiuntur. « Ipse, ad rem Augustinus, in « bonis arboribus cooperatur fructum, qui et forinsecus « rigat atque excolit per quemlibet ministrum, et per « se dat intrinsecus incrementum »⁴. Scilicet ad communem legem id pertinet, qua Deus providentissimus, uti homines plerumque fere per homines salvandos decrevit, ita illos, quos ad praestantiorum sanctimoniae gradum advocat, per homines eo perducendos constituit; « ut nimirum, quemadmodum Chrysostomus ait, « per homines a Deo discamus »⁵. Praeclarum eius rei exemplum, ipso Ecclesiae exordio, positum habemus: quamvis enim Saulus, *spirans minarum et caedis*⁶, Christi ipsius vocem audivisset ab eoque quaesivisset: *Domine, quid me vis facere*; Damascus tamen ad Ananiam missus est: *Ingredere civitatem, et ibi dicetur tibi quid te oporteat facere*. — Accedit praeterea, quod qui perfectiora sectantur, hoc ipso quod ineunt intentatam plerisque viam, sunt magis errori obnoxii, ideoque magis quam ceteri doctore ac duce indigent. — Atque haec agendi ratio iugiter in Ecclesia obtinuit; hanc ad unum omnes doctrinam professi sunt, quotquot, decursu saeculorum, sapientia ac sanctitate floruerunt; quam qui respuant, temere profecto ac periculose respuent.

Rem tamen bene penitus consideranti, sublato etiam

¹ Conc. Arausic. II, can. VII.

² De Grat. Christi c. XIX.

³ Hom. I, in Inscr. altur.

⁴ Act. Ap. c. IX.

externo quovis moderatore, vix apparet in novatorum sententia quorsum pertinere debeat uberior ille Spiritus Sancti influxus, quem adeo extollunt. — Profecto maxime in excolendis virtutibus Spiritus Sancti praesidio opus est omnino: verum qui nova sectari adamant, naturales virtutes praeter modum efferunt, quasi hae praesentis aetatis moribus ac necessitatibus respondeant aptius, iisque exornari praestet, quod hominem paratorem ad agendum ac strenuiorem faciant. — Difficile quidem intellectus est, eos, qui christiana sapientia imbuantur, posse naturales virtutes supernaturalibus anteferre, maioremque illis efficacitatem ac foecunditatem tribuere. Ergone natura, accedente gratia, infirmior erit, quam si suis ipsa viribus permittatur? Num vero homines sanctissimi, quos Ecclesia observat palamque colit, imbecillos se atque ineptos in naturae ordine probavere, quod christianis virtutibus excelluerunt? Atqui, etsi naturalium virtutum praeclaros quandoque actus mirari licet, quotus tamen quisque est inter homines qui naturalium virtutum habitu reapse polleat? Quis enim est, qui animi perturbationibus, iisque vehementibus, non incitetur? Quibus constanter superandis, sicut etiam universae legi in ipso naturae ordine servandae, divino quodam subsidio iuvari hominem necesse est. Singulares vero actus, quos supra innumus, saepe, si intimius praespiciantur, speciem potius virtutis quam veritatem prae se ferunt. — Sed demus tamen esse: si *currere in vacuum* quis nolit aeternamque oblivisci beatitatem, cui nos benigne destinat Deus, eequid naturales virtutes habent utilitatis, nisi divinae gratiae munus ac robur accedat? Apte quidem Augustinus: « Magnae « vires et cursus celerrimus, sed praeter viam »¹. Sicut

¹ In Ps. xxxi, 4.

enim praesidio gratiae natura hominum, quae, ob communem noxam, in vitium ac dedecus prolapsa erat, erigitur novaque nobilitate evehitur ac roboratur; ita etiam virtutes, quae non solis naturae viribus, sed eiusdem ope gratiae exercentur, et foecundae fiunt beatitatis perpetuo mansurae, et solidiores ac firmiores existunt.

Cum hac de naturalibus virtutibus sententia, alia cohaeret admodum, qua christianae virtutes universae in duo quasi genera dispertuntur, in *passivas*, ut aiunt, atque *activas*; adduntque, illas in elapsis aetatibus convenisse melius, has cum praesenti magis congruere. — De qua quidem divisione virtutum quid sentiendum sit, res est in medio posita; virtus enim, quae vere *passiva* sit, nec est nec esse potest. « Virtus, sic sanctus Thomas, nominat quamdam potentiae perfectionem; finis autem potentiae actus est; et nihil est « aliud actus virtutis, quam bonus usus liberi arbitrii »²; adiuvante utique Dei gratia, si virtutis actus supernaturalis sit. — Christianas autem virtutes, alias temporibus aliis accommodatas esse, is solum velit, qui Apostoli verba non meminerit: *Quos praescivit, hos et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui*³. Magister et exemplar sanctitatis omnis Christus est; ad cuius regulam aptari omnes necesse est, quotquot adventum beatorum sedibus inseri. Iamvero, haud mutatur Christus progredientibus saeculis; sed *idem heri, et hodie, et in saecula*⁴. Ad omnium igitur aetatum homines pertinet illud: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde*⁵;

¹ I. II. n. 1.

² Rom. viii, 29.

³ Hebr. xiii, 8.

⁴ Matth. xi, 29.

nulloque non tempore Christus se nobis exhibet *factum obedientem usque ad mortem*¹; valetque quavis aetate Apostoli sententia: *Qui sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitis et concupiscentiis suis*². — Quas utinam virtutes multo nunc plures sic colerent, ut homines sanctissimi praeteritorum temporum! Qui demissione animi, obedientia, abstinentia, *potentes fuerunt opere et sermone*, emolumento maximo, nedum religiosae rei, sed publicae ac civilis.

Ex quo virtutum evangelicarum veluti contemptu, quae perperam *passivae* appellantur, primum erat sequi, ut religiosae etiam vitae despectus sensim per animos pervaderet. Atque id novarum opinionum fantoribus commune esse, conuicimus ex eorum sententiis quibusdam circa vota quae Ordines religiosi nuncupant. Aiunt enim, illa ab ingenio aetatis nostrae dissidere plurimum, utpote quae humanae libertatis fines coerceant; esseque ad infirmos animos magis quam ad fortes apta; nec admodum valere ad christianam perfectionem humanaeque consociationis bonum, quin potius utrique rei obstare atque officere. — Verum haec quam falso dicantur, ex usu doctrinaeque Ecclesiae facile patet, cui religiosum vivendi genus maxime semper probatum est. Nec sane immerito: nam qui, a Deo vocati, illud sponte sua amplectantur, non contenti communibus praeceptorum officii, in evangelica euntes consilia, Christo se milites strenuos paratosque ostendunt. Hocne debilius esse animorum putabimus? aut ad perfectiorem vitae modum inutile aut noxium? Qui ita se votorum religione obstringunt, adeo sunt a libertatis iactura remoti,

¹ Philip. II, 8.

² Galat. v. 24.

ut multo pleniore ac nobiliore fruantur, ea nempe *qua Christus nos liberavit*¹.

Quod autem addunt, religiosam vivendi rationem aut non omnino aut parum Ecclesiae iuvandae esse, praeterquamquod religiosis Ordinibus invidiosum est, nemo unum certe sentiet, qui Ecclesiae annales evolverit. Ipsae vestrae foederatae civitates num non ab alumnis religiosarum familiarum fidei pariter atque humanitatis initia habuerunt? quorum uni nuper, quod plane vobis laudi fuit, statuum publice ponendam decrevistis. — Nunc vero, hoc ipso tempore, quam alacrem, quam frugiferam catholicae rei religiosi coetus, ubicumque ii sunt, navant operam! Quam pergunt multi novas oras Evangelio imbuere et humanitatis fines propagare; idque per summam animi contentionem summaque pericula! Ex ipsis, haud minus quam e clero cetero, plebs christiana verbi Dei praecones conscientiaeque moderatores, iuventus institutores habet, Ecclesia denique omnis sanctitatis exempla. — Nec discrimen est laudis inter eos qui actuosum vitae genus sequuntur, atque illos, qui, recessu delectati, orando, afflictandoque corpori vacant. Quam hi etiam praeclare de hominum societate meruerint, mereant, ii norunt profecto qui, quid ad placandum conciliandumque Numen possit *deprecatio iusti assidua*², minime ignorant, ea maxime quae cum afflictatione corporis coniuncta est.

Si qui igitur hoc magis adamant, nullo votorum vinculo, in coetum unum coalescere, quod malint, faxint; nec novum id in Ecclesia nec improbabile institutum. Caveant tamen ne illud prae religiosis Ordinibus extollant; quin potius, cum modo ad fruendum voluptatibus

¹ Galat. IV, 31.

² Iac. V, 16.

proclivius, quam ante, sit hominum genus, longe pluris ii sunt habendi, qui, *relictis omnibus, sequuti sunt Christum*.

Postremo, ne nimis moremur, via quoque et ratio, qua catholici adhuc sunt usi ad dissidentes revocandos, deserenda edicitur, aliaque in posterum adhibenda. — Qua in re hoc sufficit advertisse, non prudenter, dilecte Fili Noster, id negligi quod diu experiendo antiquitas comprobavit, apostolicis etiam documentis erudita. — Ex Dei verbo habemus¹, omnium officium esse proximorum saluti juvandae operam dare, ordine graduque quem quisque obtinet. Fideles quidem hoc sibi a Deo assignatum munus utilime exequuntur morum integritate, christianae caritatis operibus, instante ad Deum ipsum assiduaque prece. At qui e clero sunt id ipsum praestent oportet sapienti Evangelii praedicatione, sacrorum gravitate et splendore, praecipue autem eam in se formam doctrinae exprimentes, quam Tito ac Timotheo Apostolus tradidit. — Quod si, e diversis rationibus verbi Dei eloquendi, ea quandoque praeferenda videatur, qua ad dissidentes non in templis dicant sed privato quovis honesto loco, nec ut qui disputent sed ut qui amice colloquantur; res quidem reprehensione caret: modo tamen ad id muneris auctoritate Episcoporum ii destinentur, qui scientiam integritatemque suam antea ipsis probaverint. — Nam plurimos apud vos arbitramur esse, qui ignorantia magis quam voluntate a catholicis dissident; quos ad unum Christi ovile facilius forte adducet, qui veritatem illis proponat amico quodam familiarique sermone.

Ex his igitur, quae huc usque disseruimus, patet,

¹ Eccl. xvii, 4.

dilecte Fili Noster, non posse Nobis opiniones illas probari, quarum summam *Americanismi* nomine nonnulli indicant. — Quo si quidem nomine peculiaris animi ornamenta, quae, sicut alia nationes alias, Americae populos decorant, significare velint; item si statum vestrarum civitatum, si leges moresque quibus utimini, non est profecto cur ipsum reiiciendum censeamus. At si illud usurpandum ideo est, ut doctrinae superius allatae, non indicentur modo, immo vero etiam cohaerentur; quodnam est dubium, quin Venerabiles Fratres Nostri Episcopi Americae, ante ceteros, repudiaturi ac damnaturi sint, utpote ipsis totique eorum genti quam maxime iniuriosum? Suspicionem enim id iniicit esse apud vos, qui Ecclesiam in America aliam effingant et velint, quam quae in universis regionibus est. — Una, unitate doctrinae sicut unitate regiminis, eaque catholica est Ecclesia: cuius quoniam Deus in Cathedra Beati Petri centrum ac fundamentum esse statuit, iure Romana dicitur; *ubi enim Petrus, ibi Ecclesia*¹. Quam ob rem quicumque catholico nomine censi vult, is verba Hieronymi ad Damasum Pontificem usurpare ex veritate debet: « Ego nullum primum, nisi Christum, sequens, beatitudini tuae, idest Cathedrae Petri communionem consocior; super illam petram aedificatam Ecclesiam scio; quicumque tecum non colligit, spargit ».

Haec, dilecte Fili Noster, quae, singularibus litteris, officio muneris ad te damus, ceteris etiam foederatarum civitatum Episcopis communicanda curabimus; caritatem iterum testantes, qua gentem vestram universam complectimur; quae sicut elapsis temporibus multa pro reli-

¹ S. Ambr. in Ps. xi, 57.

gione gessit, maiora etiam in posterum, Deo feliciter opitulante, praestituram portendit. — Tibi autem et fidelibus Americae omnibus Apostolicam benedictionem, divinorum subsidiorum auspiciem, amantissime imperimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xxii mensis Ianuarii MDCCCXCIX, Pontificatus Nostri anno vicesimo primo. — LEO PP. XIII.

CXVI.

S. Cong. Rituum decretum super oratoriis semipublicis, cum adnexo decreto « Nivernen. » 8 Martii 1879.
— 23 Ianuar. 1899.

A Sacra Rituum Congregatione saepe postulatum est, quanam Oratoria ceu semipublica habenda sint. Constat porro Oratoria publica ea esse, quae auctoritate Ordinarii ad publicum Dei cultum perpetuo dedicata, benedicta, vel etiam solemniter consecrata, ianuam habent in via, vel liberum a publica via Fidelibus universim pandunt ingressum. Privata e contra stricto sensu dicuntur Oratoria, quae in privatis aedibus in commodum alicuius personae, vel familiae, ex Indulto Sanctae Sedis erecta sunt. Quae medium inter haec duo locum tenent, ut nomen ipsum indicat, Oratoria semipublica sunt et vocantur. Ut autem quaelibet ambiguitas circa haec Oratoria amoveatur, Sanctissimus Dominus Noster LEO PAPA XIII ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto, statuit et declaravit: Oratoria semipublica ea esse, quae etsi in loco quodammodo privato, vel non absolute publico, auctoritate Ordinarii erecta sunt; commodo tamen, non Fidelium omnium, nec

privatae tantum personae aut familiae, sed alicuius communitatis vel personarum coetus inserviunt. In his, sicut auctoritate Ordinarii sacrosanctum Missae sacrificium offerri potest, ita omnes qui eidem intersunt, praecepto audiendi Sacrum satisfacere valent. Huius generis Oratoria sunt, quae pertinent ad Seminaria et Collegia ecclesiastica; ad pia Instituta et Societates votorum simplicium, aliasque Communitates sub regula sive statutis saltem ab Ordinario approbatis; ad Domus spiritualibus exercitiis addictas; ad Convictus et Hospitia inventuti literis, scientiis, aut artibus instituendae destinata; ad Nosocomia, Orphanotrophia, nec non ad Arces et Carceres; atque similia Oratoria in quibus ex instituto, aliquis Christianifidelium coetus convenire solet ad audiendam Missam. Quibus adiungi debent Cappellae, in Coemeterio rite erectae, dummodo in Missae celebratione non iis tantum ad quos pertinent, sed aliis etiam Fidelibus aditus pateat. Voluit autem Sanctitas Sua sarta et tecta iura ac privilegia Oratoriorum, quibus fruuntur Eius S. R. E. Cardinales, Rm̄i Sacrorum Antistites, atque Ordines Congregationesque Regulares. Ac praeterea confirmare dignata est Decretum in una Nivernen. diei 8 Martii 1879. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 23 Ianuarii 1899.

L. S. — C. Ep. Praenestinus Card. Mazzella, S. R. C. Praef. — Diomedes Panici, S. R. C. Secret.

(Decr. authent. n. 4007).

NIVERNEN.

Rm̄us D. Stephanus Antonius Lelong, Episcopus Nivernen., quae sequuntur Sacrae Rituum Congrega-

tioni exposuit, opportunitam declarationem seu resolutionem humillime expostulans; videlicet:

I. Potestne Episcopus iure ordinario concedere licentiam etiam plures Missas qualibet die celebrandi: 1.^o in Cappellis seu Oratoriis publicis piarum Communitatum, etiam earum quae clausuram non habent; 2.^o in Cappellis seu Oratoriis piarum Communitatum, quae licet non habeant ingressum in via publica, inserviunt tamen quotidianis exercitiis totius Communitatis; 3.^o in Cappellis seu Oratoriis ad personas quidem privatas pertinentibus, sed quae sunt publica vel semipublica in eo sensu quod habeant ingressum in via publica, vel prope viam publicam, ut semper cuilibet volenti intrare permittatur?

II. Potestne Episcopus alia Oratoria praeter Cappellam seu principale Oratorium erigere in piis Communitatibus, sive ob numerum Sacerdotum ibi degentium ut ab omnibus Missa dici possit, sive in gratiam infirmorum qui nequeunt adire Capellam seu Oratorium principale?

III. Potestne Episcopus iure proprio concedere facultatem asservandi Sñm Sacramentum: 1.^o in Ecclesiis seu Cappellis publicis, quae tamen titulo parochiali non gaudent, etsi utilitatibus Paroeciae inserviant; 2.^o in Cappellis piarum Communitatum publicis, id est quarum porta pateat in via publica vel in area cum via publica communicante, et quae habitantibus omnibus aperiuntur; 3.^o in Cappellis seu Oratoriis interioribus piarum Communitatum, quando non habent Cappellam seu Oratorium publicum in sensu exposito, ut evenit ex. gr. in Seminariis?

IV. Potestne Episcopus iure proprio licentiam concedere uni Sacerdoti secundam Missam diebus Dominicis aut festivis de praecepto celebrandi: 1.^o in Orato-

riis seu Cappellis, quae a S. Sede vel vi Indulti ab ea concessi fuerunt approbata, quando propter distantiam a Parochiali Ecclesia ista secunda Missa proficere potest voto Parochianorum, qui aliter Missam non audirent vel saltem difficillime; 2.^o in duabus Ecclesiis in eadem Parochia existentibus quando pro utraque deservienda unus adest Sacerdos, et tamen non sine detrimento religionis Missa in una tantum celebraretur; 3.^o in eadem Ecclesia, quando aliter pars sat notabilis Parochianorum Missam non audiret; 4.^o quando valde utilis est, vel etiam necessaria ista secunda Missa ut communicari a Fidelibus cum maiori facilitate et aedificatione frequentius possit?

Sacra itaque Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario, hisce postulatis sic respondit:

Ad I. Episcopus utatur iure suo in omnibus casibus expositis.

Ad II. Si porro, ex piarum Communitatum conditione, necessaria sit erectio alterius Oratorii, pro eius erectione facultas erit a Sancta Sede obtinenda.

Ad III. Implorandum est indultum a Sancta Sede quoad omnia postulata.

Ad IV. Posito quod Episcopus iam facultatem obtinuerit a S. Sede concedere Sacerdotibus suae Dioecesis indultum bis in die festo Sacrum litandi, erit suae prudentiae hac speciali facultate in casu necessitatis pro populi bono uti; si vero eiusmodi facultate ipse non sit instructus, eam impetrare poterit.

Atque ita respondit ac declaravit, Die 8 Martii 1879. (Decr. authent. n. 3484).

CXVII.

S. Officii decretum circa interpretationem decreti 24 Novembris 1897 de transitu facultatum Ordinariis concessarum ad eorum successores. — 3 Maii 1899.

Beatissime Pater. — Decreto S. R. et U. Inquisitionis die 24 Novembris 1897 statuitur « facultates « omnes speciales, *habitualiter* a Sancta Sede Episcopis « aliorumque locorum Ordinariis concessas, non suspendi vel desinere ob eorum mortem vel a munere « cessationem, sed ad successores Ordinarios transire « ad formam et in terminis decreti a Suprema hac Congregatione editi die 20 Februarii 1888 quoad dispensationes matrimoniales ».

Verumtamen infrascriptus Vicarius Capitularis, sede vacante, Dioeceseos N. N., ad omne dubium tollendum pro suae conscientiae tranquillitate, ad Sanctitatis Vestrae pedes humiliter provolutus postulat ut declarare dignetur:

I. Utrum sub illis verbis *facultates omnes speciales HABITUALITER a Sancta Sede Episcopis aliorumque locorum Ordinariis concessas* comprehendantur facultates omnes speciales a Sancta Sede Ordinariis concessae, quibus utuntur quoties voluerint, licet ad praefinitum tempus; cuiusmodi sunt facultates de *Poenitentiaria* dictae, reductionis missarum, etc.

II. Utrum facultas benedicendi et delegandi ad sacra paramenta benedicenda, quae Episcopis fuerit concessa, transeat etiam ob eorum mortem vel a munere cessationem ad successorem Vicarium Capitularem, quamvis Episcopali dignitate non insignitum.

III. Utrum sub iisdem verbis *facultates omnes speciales HABITUALITER a Sancta Sede Episcopis ... concessas* comprehendantur etiam facultates, quibus dumtaxat uti valent pro determinato casuum numero, ut sunt facultates dispensandi a sacrae ordinationis titulo, pro definito ordinandorum numero.

IV. Et quatenus ad aliquid horum negative, quatenam sit interpretatio illius adverbii *HABITUALITER*.
Et Deus etc.

Fer. IV, die 3 Maii 1899.

In Congregatione Generali ab Em̄is et R̄mis DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Inquisitoribus Generalibus habita, propositis suprascriptis dubiis, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iudem EE. ac RR. Patres respondendum mandarunt:

Ad I. II et III. *Affirmative.*

Ad IV. *Provisum in praecedentibus.*

Sequenti vero feria VI, die 5 eiusdem mensis et anni, in audientia a SS. D. N. Leone Divinae Prov. PP. XIII R. P. D. Adessori impertita, SS̄mus D. N. resolutionem EE. et RR. Patrum adprobavit. — I. Can. Mancini, S. R. et U. Inquis. Not.

CXVIII.

S. Officii decretum circa interpretat. *Encycl.* 20 Febr. 1888, quoad concubinarios in art. mortis. — 3 Maii 1899.

Beatissime Pater. — Vicarius Capitularis Dioecesis N. N. ad pedes S. V. provolutus quae sequuntur exponit. Decreto S. R. et U. Inquisitionis diei 20 Februarii 1888, Sanctitas Vestra benigne annuit pro gratia,

qua locorum Ordinarii dispensare valeant sive per se, sive per ecclesiasticam personam sibi benevisam, super impedimentis publicis matrimonium dirimentibus, cum iis qui in gravissimo mortis periculo constituti, et quando non suppetit tempus recurrenti ad Sanctam Sedem, iuxta leges civiles sunt coniuncti, aut alias in concubinato vivunt, ut morituri in tanta temporis angustia in faciem Ecclesiae rite copulari et propriae conscientiae consulere valeant.

Nunc vero in hac civitate N. N., nonnulli concubinarie viventes prolem genuerunt, et postea, relicto contubernio, iam iam graviter aegrotantes, cum eadem persona, cum qua in concubinato vixerunt, ad prolem legitimandam, vel mulieris famam aut damnum reparandum, vel ad scandalum tollendum, vel ad propriae conscientiae consulendum, matrimonium contrahere desiderant.

Hisce praehabitis, superscriptis Vicarius Capitularis Sanctitati Vestrae dubia, quae sequuntur, enodanda proponit:

I. Utrum sub citato decreto S. R. et U. Inquisitionis diei 20 Februarii 1888 etiam comprehendi valeant aegroti in mortis periculo constituti, qui actualiter non vivunt in concubinato, sed tamen in eo vixerunt, prolemque genuerunt quam legitimare oportet?

II. Utrum comprehendi etiam valeant aegroti, qui actualiter non vivunt, sed tamen vixerunt in nefario concubinato, quin prolem genuerint, vel genita iam obierit?

Et Deus etc.

Feria IV, die 3 Maii 1899.

In Congregatione Generali Sacrae Romanae et Universalis Inquisitionis, propositis superscriptis dubiis, rite

perpensis omnibus tum iuris tum facti rationum momentis, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, Eñi ac Rñi DD. in rebus fidei et morum Generales Inquisitores respondendum censuerunt:

Detur Decretum fer. IV, diei 17 Septembris 1890 latum super dubio proposito ab Archiep. Compostellan.

Porro huiusmodi dubium ita se habebat: « Utrum « vi decretorum diei 20 Februarii 1888 et 1 Martii 1889 « valeant Ordinarii per se vel per parochos dispensare « super impedimentis ... in articulo mortis constitutos, « licet matrimonium civile quod vocant non celebrave- « rint, nec vivant in concubinato? — Eñi PP. respon- « dendum mandarunt: *Negative* ».

Feria vero VI, die 2 eiusdem mensis Maii, SSñus D. N. Leo div. prov. PP. XIII in audientia R. P. D. Adessori S. O. impertita, habita hac de re relatione, resolutionem Eñorum PP. adprobavit et confirmavit. — I. Can. Mancini, S. R. et U. Inquis. Not.

CXIX.

S. Officii decretum absolutionem complicis excludens a concessione praevisa in decr. 9 Nov. 1898. — 7 Iunii 1899.

Beatissime Pater, — Sacerdos Titus in regionem extraneam se contulit ad confitendum peccatum Summo Pontifici reservatum. Porro confessori declaravit: 1.º nec opera ministerii sui nec substantiam facultatum sibi permittere iterum aggrediendi iter ad recipiendam respon- sionem S. Poenitentiariae; 2.º nimis onerosum sibi fore ad alium confessarium se praesentare in propria regione, quod signanter voluit devitare iter adsumens.

Hiscæ expositis, Episcopus N. pro sua norma humiliter a Sanctitate Vestra petit utrum supradictus casus, etiamsi agatur de absoluteione complicis, inter eos annumerari debeat prævisis in Decreto S. Officii diei 9 Nov. 1898, et Confessarius niti possit prælaudato Decreto ad absoluteionem impertiendam sine recursu ad S. Poenitentiarium, nec ne.

Feria IV. die 7 Iunii 1899.

In Congregatione Generali habita ab Em̄is ac Rm̄is DD. Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus, proposito suprascripto dubio, iidem Em̄i Dñi, præhabito RR. DD. Consultorum voto, respondendum mandarunt:

Non complendi.

Sequenti vero feria V loco VI, die 8 eiusdem mensis et anni, in solita audientia R. P. D. Adessori S. O. impertita, facta de omnibus relatione SSm̄o D. N. Leoni Div. Prov. PP. XIII, idem SSm̄us Dñus responsionem Em̄iorum PP. adprobavit.

I. Can. Mancini, S. R. et U. Inquisit. Notarius,

CXX.

S. Cong. Negot. EE. EE. de concess. Privilegii Archiepiscop. Americæ Latinae concedendi octoginta dies indulgentiarum. — 4 Iulii 1899.

Die 4 Iulii 1899.

Cum relatam fuerit SSm̄o Dño antiquam in Americæ Latinae regionibus generatim vigere consuetudinem, de qua tamen nullum extat scriptum documentum, ut nempe Archiepiscopi, loco quadraginta dierum sicuti de iure, octoginta Indulgentiæ dies concedant: cuni-

que eidem SSm̄o Domino ab Archiepiscopis Concilio Plenario Americano in Urbe adstantibus supplicatum fuerit ut consuetudinem illam ratihabere ac confirmare dignaretur; Sanctitas Sua certam ac uniformem in America latina disciplinam statuere, Ecclesiæque illius regionis peculiari amore prosequi volens, Apostolica sua auctoritate benigne decrevit ut in posterum Archiepiscopi Americæ Latinae universi privilegio concedendi octoginta dies de vera Indulgentia in forma Ecclesiæ consueta frui ac uti libere valeant. Super quibus vero eadem Sanctitas Sua infrascripto Secretario S. Congregationis Negotiis Ecclesiasticis extraordinariis præpositæ iussit hoc edi decretum sine ulla Brevis expeditione, idemque in acta ipsius S. Congregationis referri mandavit.

Datum ex Secretaria eiusdem S. Congregationis, die, mense et anno ut supra. — Felix Cavagnis, Secretarius.

CXXI.

S. Cong. Negot. EE. EE. Decretum seu Indultum ad decennium super ieiunio et abstinentia pro America Latina. — 6 Iulii 1899.

Archiepiscopi et Episcopi Americæ Latinae, in Urbe, in plenarium Concilium congregati, Sanctissimo D. N. Leoni PP. XIII, gloriose regnanti, exposuerunt maximam difficultatem in qua, ob speciales regionum conditiones, versantur fideles suarum dioecesium, servandi ecclesiasticas leges de ieiunio et abstinentia, non obstantibus amplissimis indultis a S. Sede iam concessis. Supplices proinde dederunt preces ut Sanctitas Sua am-

pliolem et generalem pro America Latina dispensationem concedere dignaretur.

Porro Sanctissimus Pater, referente me infrascripto S. C. Negotiorum Ecclesiasticorum extraordinariorum Secretario, re mature perpensa atque prachabito voto nonnullorum S. R. E. Cardinalium, attentis gravissimis causis allatis, volens animarum necessitatibus atque anxietatibus occurrere, servata ecclesiastica lege ieiunii et abstinentiæ ac salvis permanentibus excusationibus ab eadem lege iure communi, iuxta regulas probatorum auctorum admissis, nec non specialibus indultis singulis ecclesiasticis provinciis hactenus impertitis, et adhuc vigentibus, donec perduraverint, statuit concedere *ad decennium*, prout concedit, omnibus Americae Latinae Ordinariis facultatem, parochis, confessariis, et aliis viris ecclesiasticis subdelegabilem, dispensandi ipsorum arbitrio, singulis annis et facta mentione apostolicae delegationis, fideles qui id petierint, etiam religiosos utriusque sexus, de consensu tamen suorum superiorum ecclesiasticorum, a lege ieiunii et abstinentiæ, dummodo:

1. *Lex ieiunii sine abstinentia* a carnibus servetur feriis VI adventus et feriis IV quadragesimæ.
2. *Lex ieiunii et abstinentiæ* a carnibus servetur feria IV cinerum, feriis VI quadragesimæ, et feria V maioris hebdomadae.

Sed diebus ieiunii semper licebit omnibus, etiam regularibus, quamvis specialem dispensationem non petierint, in collatione serotina, uti ovis ac lactiniis.

3. *Abstinentia a carnibus* sine ieiunio servetur in quatuor pervigiliis festorum Nativitatis D. N. I. C., Pentecostes, Assumptionis in coelum B. M. V. et Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli.

4. In singulis regionibus serventur conditiones quoad

precum recitationem et eleemosynarum erogationem atque destinationem, hactenus in concessione indultorum pontificiorum servari solitæ.

Parochis autem et aliis sacerdotibus subdelegatis ab Episcopis vetitum est quidquid aliud petere aut acceptare occasione dispensationum ab ipsis impertitarum.

Firma vero permanent privilegia Americae Latinae in Const. *Trans Oceanum*, 18 Apr. 1897, concessa.

Et super his Sanctissimus Dominus mandavit præsens edi decretum atque in acta S. C. Negotiorum Ecclesiasticorum extraordinariorum referri.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romæ e Secretaria S. C. Negotiorum Ecclesiasticorum extraordinariorum, die, mense et anno prædictis. — Felix Cavagnis, Secretarius.

CXXII.

Litteræ S. Cong. Rituum de cultu SS. Cordis Iesu amplificando. — 21 Iulii 1899.

Perillustris ac Rme Domine. — Etsi gratum semper mihi fuit officium communicandi cum Ecclesie Præsulibus ea, quæ supremus eiusdem Pastor illis significanda præscripserit; gratissimum modo accidit patefacere singulis Sacrorum Antistibus suavissimam animi voluptatem, quam SSñus D. N. Leo PP. XIII percepit ex promulgatione novissimæ suæ Epistolæ Encyclicæ, qua universum humanum genus Sacratissimo Cordi D. N. Iesu Christi solemniter devovendi auctor fuit. Novit enim quanta animi propensione, quo consensu voluntatum, fuerint eae litteræ ab omnibus tum pa-

storibus tum fidelium gregibus receptae, et quam prompte ac studiose fuerit illis ubique obsecundatum.

Ipsemet sane Summus Pontifex cunctis exemplo praeivit; et ad suas Vaticanas Aedes, in sacello, cui a Paulo V nomen est, institutâ per Ipsum supplicatione universum terrarum orbem divino Iesu Cordi obtulit et devovit. Cuius exemplum secutus romanus populus magna frequentia convenit in Patriarchales et minores Basilicas, in templa quaelibet curialia, in aedes sacras prope singulas; ibique solemnem consecrationis formulam iteravit, unoque veluti ore confirmavit.

Protinus allatae sunt undique litterae, et quotidie afferuntur, nuntiantes, eundem consecrationis ritum pari studio ac pietate peractum fuisse in unaquaque dioecesi, imo in singulis ferme ecclesiis; neque Italiae solum et Europae, sed et regionum maxime dissitarum. Cuius universi catholici populi consensus in obsecundando votis et voluntati supremi omnium Patris, profecto laus maxime debetur. sacris Praesulibus, qui suis gregibus eiusmodi in re auctores fuerunt ac duces. Quapropter, Summi Pontificis obsequens desiderio, Tibi et singulis, qui tuae subiaccnt potestati, animarum regimen gerentibus, Eius nomine, magnopere gratulor et gratias ago.

Siquidem, ut in iisdem encyclicis litteris Beatissimus Pater edicit, uberes iucundissimosque fructus, nedum in singulos christifideles, verum et in universam christianam familiam, imo et in omne genus hominum, ex hac solemni oblatione derivaturos confidit, et nos cum Eo confidimus. Omnes enim intime persentiant quam necessarium sit, ut languescens nimium fides vividius excitetur; ut sinceræ caritatis ardor ignescat; ut exsultantibus nimium cupiditatibus frena iniiciantur,

moribusque in dies contabescentibus medicaminis non nihil afferatur. Omnium in votis esse debet, ut humana societas suavissimo Christi imperio subiciatur, Eiusque regium ius, divinitus Ei in omnes gentes collatum, civiles etiam potestates cognoscant et vereantur; quo fiat ut Ecclesia Christi, quae regnum Ipsius est, magis magisque amplificetur et ea perfruatur libertate et quiete, quae ad novos usque triumphos comparandos prorsus est ei necessaria. Ad hoc denique ab omnibus enitendum est, ut innumeras gravissimasque iniurias, quae quotidie, in universo orbe, divinae maiestati ab ingrattissimis hominibus inferuntur, compensare piis operibus ac reparare studeamus.

Verum ut concepta spes novas in dies vires acquirat, ac bonum eiusmodi semen affluenter germinet uberiorerque afferat messem, necesse est ut iam excitata pietas erga sacratissimum divini Redemptoris Cor stabilis perseveret, imo alatur indesinenter. Constans enim perseverantia in precibus quamdam, ut sic loquar, vim afferet dulcissimo Iesu Cordi, ut earum recludat fontes gratiarum, quas ipsemet cupidissime elargiri desiderat, quemadmodum B. Margaritae Alacoque, amantissimae suae, significavit non semel.

Quamobrem Summus Pontifex, me usus suae voluntatis interprete, Amplitudinem Tuam et universi catholici orbis sacrorum Antistites vehementer hortatur, ut, coeptis alacres insistentes, ea excogitent et constituent, quae, pro varia locorum ac temporum conditione, ad optatum finem assequendum magis conducibilia videantur.

Ipse vero Beatissimus Pater commendat quam maxime eum morem, qui iam in pluribus ecclesiis obtinuit, ut per integrum mensem Iunium varia pietatis obsequia divino Cordi publice praestentur: quod ut

lubentius perficiatur, thesauros Ecclesiae reserans, tercentorum dierum indulgentiam christifidelibus impertit, toties lucranda quoties sacris eiusmodi exercitiis interfuert; plenariam vero iis qui saltem decem in mense vicibus idipsum praestiterint.

Magnopere etiam in votis habet Sanctissimus Dominus, ut praxis, alte commendata, ac pluribus iam in locis usurpata, qua, prima qualibet sexta feria cuiusvis mensis nonnulla obsequia peraguntur in honorem sanctissimi Cordis, largius assidue propageatur: recitatis publice Litanis, quas nuper Ipse probavit, et iterata consecrationis formula a se proposita. Quae praxis si in christiano populo augetur, et quasi in morem transeat, iugis erit et frequens affirmatio divini illius et regii iuris, quod Christus in omne humanum genus a Patre accepit, et effuso sanguine acquisivit. Quibus obsequiis ipse lenitus, utpote qui dives est in misericordia mireque propensus ad homines beneficiis cumulandos, et eorum nequitiae obliviscetur, et ipsos nedum ut fideles subditos, verum ut amicos et filios carissimos amplectetur.

Praeterea Beatissimus Pater vehementer exoptat ut adolescentes, ii maxime qui litteris scientisque dant operam, in eas societates congregentur, quae pii *coetus* vel *sodalitatis a Sacro Iesu Cordis* nuncupantur. Constant nimirum ex illo delectorum adolescentium agmine, qui, dato sponte nomine, statutâ per hebdomadam die et hora, in aedículas aut templa, aut ipsorum litterariorum ludorum sacella conveniunt, ibique, alicuius sacerdotis ductu, pia quaedam in honorem sacri Cordis Iesu exercitia devote peragunt. Si gratum acceptumque divino Redemptori pium quodvis accidit obsequium, quod ipsi a suis fidelibus exhibeatur, iucundissimum profecto illud

est, quod e iuvenili pectore elicitur. Nec vero sermone assequi possumus quantopere id ipsum iuvenili eidem aetati sit profuturum. Assidua enim divini Cordis contemplatio, et penitior virtutum eius et ineffabilis amoris cognitio, nequit fervescentes iuvenum cupiditates non frangere, et virtuti sectandae stimulos non adicere. — Qui pariter coetus iniri ac frequentari poterunt inter adultos, in iis quae, varii generis, *Societates catholicae* nuncupantur.

Ceterum piae eiusmodi exercitationes, quas memoravimus, nullimode a Sanctissimo Patre indicuntur; sed omnia Ipse Episcoporum prudentiae et sagacitati permittit, in quorum studiosa propensissimaque voluntate plane confidit: illud unice exoptans, ut in populis christianis pietas erga sacratissimum Cor Domini Iesu indesinenter floreat et virescat.

Interim Amplitudini Tuae diuturnam ex animo felicitatem adprecor.

Amplitudinis Tuae uti Frater addictissimus
Romae, ex Secretaria SS. Rituum Congregationis,
die XXI Iulii, anno MDCCCCLXXXIX. — C. Episcopus
Praenestinus, Card. Mazzella, S. R. C. Praefectus. —
D. Panici, S. R. C. Secretarius.

CXXIII.

S. Officii decretum de quodam usu Hypnotismi. —
26 Iulii 1899.

Beatissimo Patre¹, — N. N. Dottore in medicina,
prostrato ai piedi della S. V., per tranquillità di sua
coscienza, umilmente chiede se può prender parte a

¹ Beatissime Pater, — N. N. Doctor in arte salutari ad S. V. pedes
provolutus, ut conscientiae suae quieti provident, humiliter postulat utrum

dispute che ora si fanno dalla Società delle Scienze Mediche di N. sulle suggestioni ipnotiche nelle cure dei fanciulli infermi. Si tratta non solo di discutere su fatti già compiuti, ma ancora di fare esperienze nuove, sia che possano spiegarsi con ragioni naturali, sia che no. E però l'oratore, per non esporsi al pericolo di errare, aspetta docilmente l'oracolo della S. Sede.

Feria IV, die 26 Iulii 1899.

In Congregatione Generali habita ab EEñis ac RRñis DD. Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus, propositis suprascriptis precibus, praehabitoque Reverendissimorum DD. Consultorum voto, iidem EE. ac RR. Patres respondendum mandarunt:

Quoad experimenta iam facta, permitti posse, modo absit periculum superstitionis et scandali; et insuper Orator paratus sit stare mandatis S. Sedis et partes theologi non agat. - Quoad nova experimenta, si agatur de factis quae certo naturae vires praetergrediantur, non licere; sin vero de hoc dubitetur, praemissa protestatione nullam partem haberi velle in factis praeternaturalibus, tolerandum, modo absit periculum scandali.

Insequenti vero feria VI, die 28 eiusdem mensis et anni, in solita audientia a SSmo D. N. Leone Div. Prov. PP. XIII R. P. D. Adessori impertita, facta de his omnibus relatione, SSmus Dñus responsionem Eminentissimorum Patrum adprobavit. — I. Can. Mancini, S. R. et U. Inquisit. Not.

partem habere possit in disputationibus quae nunc instituntur penes Societatem a Scientiis Medicinalibus loci N. circa suggestiones hypnoticas in curandis pueris infirmis. Agitur enim discussio, non solum circa experimenta iam facta, sed etiam denuo facienda, sive ea explicari possint iuxta naturales leges, sive non; quapropter orator, ne errandi periculo exponatur, expectat dociliter S. Sedis oraculum.

CXXIV.

Urbis et Orbis. - S. Congr. Indulg. Decretum de Regulis seu Normis ad dignoscendas veras Indulgentias ab apocryphis. - 10 Aug. 1899.

Inter cetera quae huic S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae munera sunt tributa, illud supereminet, secernendi nimirum veras Indulgentias ab apocryphis easque proscribendi. Cui quidem muneri satis ipsa fecit plurimis editis ad haec usque tempora decretis de apocryphis Indulgentiis in authentica Decretorum collectione contentis. Verum etsi haec S. Congregatio vigilans ab ipso suae institutionis exordio semper extiterit quoad Indulgentiarum publicationem, ne falsae in Christianum populum irreperant, nihilominus, quum hac etiam nostra aetate non desint, qui, vel mala voluntate, aut etiam irrationabili zelo percusi, falsas, vel ut minimum valde suspectas, Indulgentias sive orationibus, sive piis exercitiis adnexas propalare inter fideles non vereantur, hinc factum est ut plures Antistites hanc S. Congregationem adiverint, ut de aliquibus Indulgentiis suum iudicium ederet. Id potissimum praestiterunt ea causa permoti ut non solum verae a falsis Indulgentiis discernentur, sed praesertim ut Ecclesiae hostibus via praeccluderetur eam calumniandi, et spernendi coelestem Indulgentiarum thesaurum.

Porro S. Congregatio ut huic malo, quoad fieri posset, praesens remedium adhiberet, regulas seu normas quasdam statuere excogitavit, quibus prae oculis habitis nedum locorum Ordinariis, sed et ipsis Christianidelibus aperiretur via ad dignoscendum quodnam sit

dispute che ora si fanno dalla Società delle Scienze Mediche di N. sulle suggestioni ipnotiche nelle cure dei fanciulli infermi. Si tratta non solo di discutere su fatti già compiuti, ma ancora di fare esperienze nuove, sia che possano spiegarsi con ragioni naturali, sia che no. E però l'oratore, per non esporsi al pericolo di errare, aspetta docilmente l'oracolo della S. Sede.

Feria IV, die 26 Iulii 1899.

In Congregatione Generali habita ab EEñis ac RRñis DD. Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus, propositis suprascriptis precibus, praehabitoque Reverendissimorum DD. Consultorum voto, iidem EE. ac RR. Patres respondendum mandarunt:

Quoad experimenta iam facta, permitti posse, modo absit periculum superstitionis et scandali; et insuper Orator paratus sit stare mandatis S. Sedis et partes theologi non agat. - Quoad nova experimenta, si agatur de factis quae certo naturae vires praetergrediantur, non licere; sin vero de hoc dubitetur, praemissa protestatione nullam partem haberi velle in factis praeternaturalibus, tolerandum, modo absit periculum scandali.

Insequenti vero feria VI, die 28 eiusdem mensis et anni, in solita audientia a SSmo D. N. Leone Div. Prov. PP. XIII R. P. D. Adessori impertita, facta de his omnibus relatione, SSmus Dñus responsionem Eminentissimorum Patrum adprobavit. — I. Can. Mancini, S. R. et U. Inquisit. Not.

partem habere possit in disputationibus quae nunc instituntur penes Societatem a Scientiis Medicinalibus loci N. circa suggestiones hypnoticas in curandis pueris infirmis. Agitur enim discussio, non solum circa experimenta iam facta, sed etiam denuo facienda, sive ea explicari possint iuxta naturales leges, sive non; quapropter orator, ne errandi periculo exponatur, expectat dociliter S. Sedis oraculum.

CXXIV.

Urbis et Orbis. - S. Congr. Indulg. Decretum de Regulis seu Normis ad dignoscendas veras Indulgentias ab apocryphis. - 10 Aug. 1899.

Inter cetera quae huic S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae munera sunt tributa, illud supereminet, secernendi nimirum veras Indulgentias ab apocryphis easque proscribendi. Cui quidem muneri satis ipsa fecit plurimis editis ad haec usque tempora decretis de apocryphis Indulgentiis in authentica Decretorum collectione contentis. Verum etsi haec S. Congregatio vigilans ab ipso saepe institutionis exordio semper extiterit quoad Indulgentiarum publicationem, ne falsae in Christianum populum irreperant, nihilominus, quum hac etiam nostra aetate non desint, qui, vel mala voluntate, aut etiam irrationabili zelo percusi, falsas, vel ut minimum valde suspectas, Indulgentias sive orationibus, sive piis exercitiis adnexas propalare inter fideles non vereantur, hinc factum est ut plures Antistites hanc S. Congregationem adiverint, ut de aliquibus Indulgentiis suum iudicium ederet. Id potissimum praestiterunt ea causa permoti ut non solum verae a falsis Indulgentiis discernentur, sed praesertim ut Ecclesiae hostibus via praeccluderetur eam calumniandi, et spernendi coelestem Indulgentiarum thesaurum.

Porro S. Congregatio ut huic malo, quoad fieri posset, praesens remedium adhiberet, regulas seu normas quasdam statuere excogitavit, quibus prae oculis habitis nedum locorum Ordinariis, sed et ipsis Christianidelibus aperiretur via ad dignoscendum quodnam sit

ferendum iudicium de aliquibus Indulgentiis, quae passim in vulgus eduntur, dubiamque praeseferunt authenticitatis notam.

Hoc vero S. Congregationis propositum SS^{mo} Dño Nostro Leonì XIII delatum, eadem Sanctitas Sua illud approbavit, iussitque quam primum executioni mandari.

Quare S. Congregatio, adhibito studio R^morum Consultorum, Indicem praedictarum regularum elucubrandum curavit, quem deinde in generali Congregatione ad Vaticanum coadunata die 5 Maii 1898 examini E^morum PP. Cardinalium subiecit. Hi vero postquam praefatum Indicem mature perpenderit, eundem, in aliquibus immutatum, in altera Congregatione denuo expendendum sibi reservarunt.

Quod quidem actum est in generalibus Comitibus ad Vaticanum habitis die 3 Augusti 1899, in quibus E^mi et R^mi Patres Indicem uti infra proponendum censuerunt:

REGULA PRIMA.

Authenticae sunt omnes indulgentiae, quae in novissima Collectione a S. Indulgentiarum Congregatione edita continentur.

REGULA SECUNDA.

Indulgentiae generales, quae in supradicta Collectione non exhibentur, vel quae concessae feruntur post editam Collectionem, hinc solummodo habendae erunt ut authenticae, cum earundem concessionis aethographum monumentum recognitum fuerit a S. Indulgentiarum Congregatione, cui, sub nullitatis poena, exhibendum erit aequam publicentur.

REGULA TERTIA.

Authenticae habeantur Indulgentiae concessae Ordinibus et Congregationibus religiosis, Archiconfraternitatibus, Confraternitatibus, Archisodalitatibus, Sodalitatibus, piis Unionibus, piis Societatibus, nonnullis Ecclesiis celeberrimis, Locis piis et Obiectis devotionis, quae continentur in Summariis recognitis et approbatis a S. Congregatione Indulgentiarum, eiusque auctoritate vel venia typis editis.

REGULA QUARTA.

Non habeantur ut authenticae Indulgentiae sive generales, sive particulares, quae continentur in libris, in libellis, in summariis, in foliis, in chartulis, sive etiam in imaginibus, impressis sine approbatione auctoritatis competentis; quae approbatio concedenda erit post diligentem recognitionem, et distincte exprimenda.

REGULA QUINTA.

Apocryphae, vel nunc prorsus revocatae, sunt omnes Indulgentiae mille vel plurimum annorum quocumque tempore concessae dicantur.

REGULA SEXTA.

Suspectae habeantur Indulgentiae plenariae quae asseruntur concessae recitantibus pauca dumtaxat verba: exceptis Indulgentiis in articulo mortis.

REGULA SEPTIMA.

Reiciendae sunt ut apocryphae Indulgentiae, quae circumferuntur in libellis, foliis seu chartulis impressis vel manuscriptis, in quibus ex libris aut etiam super-

stitionis causis et incertis revelationibus, vel sub illusoriis conditionibus promittuntur Indulgentiae et gratiae usum et modum excedentes.

REGULA OCTAVA.

Ut commentitia recitanda sunt folia, et libelli, in quibus promittitur fidelibus unam alteramve precem recitantis liberatio unius vel plurium animarum a Purgatorio: et Indulgentiae quae dictae promissioni adiacent solent ut apocryphae habendae sunt.

REGULA NONA.

Apocryphae, vel saltem ut graviter suspectae, habeantur Indulgentiae recentioris assertae concessionis, si ad inusitatum numerum annorum vel dierum producantur.

Quas quidem regulas per me infrascriptum Cardinalem eiusdem S. Congregationis Praefectum SSmo Dño Nostro Leoni PP. XIII relatas in Audientia diei 10 Augusti 1899, eadem Sanctitas Sua approbavit, mandavitque per generale Decretum publicari.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 10 Augusti 1899. — L. H. S. — Fr. Hieronymus M. Card. Gotti, Praefectus. — † Ant. Archiep. Antinoen., Secretarius.

Commentarii in supradictas regulas, approbante S. Congregatione Indulgentiarum Sacrisque Reliquiis praeposita, ad opportunitatem adiecti.

AD REGULAM PRIMAM.

Haec regula respicit collectionem vulgo — *Raccolta di Orazioni e pie Opere per le quali sono state concesse*

dai Sommi Pontefici le SS. Indulgenza — Roma — Tipografia della S. C. di Propaganda Fide, 1898. — Regulae vero fundamentum ex ipso fine, quem sibi S. Congregatio in edendo illo libro praestituit, manifeste patet. Iam enim anno 1877, quando prima editio Collectionis, de qua agimus, ex officio ab ipsa hac S. Congregatione publicanda praeparabatur, in Decreto praevio haec legebatur declaratio: « Summus Pontifex benigniter annuit, ut authentica omnium et singularum precum piorumque operum, quae usque ad presentem diem indulgentiis ditata vel aucta fuere, sylloge seu Collectio per Secretariam eiusdem S. Congregationis quam diligentissime conficeretur ». Ideo illa prima, et postea anno 1886 pariter secunda, editio ab eadem S. Congregatione declarata est authentica; nunc vero in Decreto tertiae editioni anni 1898 praefixo ita legitur: « Huiusmodi Collectionem typis S. Congregationis de Propaganda Fide cusam, idem SS. Dñus Nr. Leo Pp. XIII sua apostolica auctoritate approbavit; eaque proinde uti genuina et authentica Sylloge Indulgentiarum hactenus pro universis Christifidelibus et pro quibusdam eorum coetibus ibidem designatis concessarum ab omnibus est retinenda ».

AD REGULAM SECUNDAM.

Approbantibus Benedicto Pp. XIV, et Pio Pp. IX, a S. Congregatione Indulgentiarum diebus 28 Ianuarii 1756 et 14 Aprilis 1856 Decretum est promulgatum huius tenoris (Dec. auth. S. C. Indulg. n. 205 et 371): « Cum experientia quotidie comperitur, complures indulgentiarum concessionis generales expediri inscia S. Congregatione, ex quo multi praenanant abusus ac confusiones, re mature perpensa, praesenti Decreto declaravit, impetrantes posthac huiusmodi generales

concessionem teneri sub nullitatis poena gratiae obtentae exemplar earundem concessionum ad Secretariam eiusdem S. Congregationis deferre». — Id tamen valet tantum quoad indulgentias omnino et sub omni respectu generales; quae scilicet concessae sunt omnibus fidelibus pro quibusdam precibus vel piis operibus, et quidem in perpetuum; non valet de iis, quae requirunt insuper adscriptionem in piam Unionem etc. vel visitationem determinatae ecclesiae, vel quae obligationem imponunt deferendi certum scapulare vel numisma etc., vel quae ad tempus quoddam determinatum conceduntur: istae omnes indulgentiae potius particulares censendae sunt, ad quas Decretum Benedicti XIV et Pii IX non sese extendit.

Constare autem poterit de recognitione indulgentiarum novarum generalium a S. Congregatione peracta, si indulgentiae istae exhibentur a libris vel auctoribus omni fide dignis qui ab ipsa S. Congregatione eiusmodi concessionem accipiunt, vel saltem, eadem permittente, eas lectoribus suis communicant.

AD REGULAM TERTIAM.

Agitur hic de indulgentiis non omnino generalibus, de quibus in regula praecedenti, sed aliquo modo particularibus, ut patet ex ipso tenore huius regulae. Iamvero quaedam ex Summariis hic nominatis, uti statim in regula sequenti dicitur, a solis Episcopis recognosci et approbari possunt; alia vero S. Congregationi Indulgentiarum necessario sunt proponenda pro recognitione et approbatione. Patet autem huiusmodi Summaria omnia, si certo ab ipsa S. Congregatione recognita et approbata fuerint, ab omnibus ut certo authentica habenda esse neque alia recognitione et appro-

batione Episcoporum indigere, etiamsi forte recognitio et approbatio Episcopalis per se sola sufficiens fuisset.

AD REGULAM QUARTAM.

In nova Constitutione de Prohibitione et Censura Librorum Decretum XVII ita habet: « Indulgentiarum libri omnes, summaria, libelli, folia etc. in quibus earum concessionem continentur, non publicentur absque competentis auctoritatis licentia ». Et in Decreto XV legitur: « Imagines quomodocumque impressae, D. N. I. C., B. M. V. etc. sive preces habeant adnexas, sive absque illis edantur, sine ecclesiasticae auctoritatis licentia non publicentur ». Hinc patet, de authenticitate indulgentiarum generalium sive particularium quomodocumque impressarum non constare, nisi adsit approbatio auctoritatis competentis; deficit enim elementum necessarium et praescriptum ad authenticitatem cognoscendam et stabilendam.

Dicitur autem probatio *distincte exprimenda*, id est cum nomine approbantis, cum loco et tempore approbationis datae.

Auctoritas competens in genere est ipsa S. Congregatio Indulgentiarum, exceptis tamen casibus sequentibus, in quibus etiam approbatio Ordinarii loci sufficit (Decret. auth. n. 383):

1.º Si agatur de edenda concessione alicuius indulgentiae particularis, vel de edendo Summario indulgentiarum, quod ex uno tantum Brevi Apostolico vel Rescripto desumendum est;

2.º Si agatur de Summario ex auctoritate S. Congregationis iam vulgato — excepto tamen elencho indulgentiarum, ut aiunt, Apostolicarum (pro coronis, numismatibus etc.), qui ubicumque et quovis idiomate

edatur, approbationem S. Congregationis requirit; excepta etiam quavis versione integrae Collectionis Indulgentiarum « Raccolta » dictae; singulae tamen indulgentiae in eadem contentae auctoritate Episcopi, ut patet, publicari possunt;

3.^o Si agatur de Summaris illarum Confraternitatum, quae ex concessione S. Sedis ab Institutis Religiosis eriguntur vel ab Archiconfraternitatibus aggregantur; tunc enim sufficit cognitio et approbatio Episcopi illius loci, ubi eiusmodi Instituta religiosa vel Archiconfraternitates sedem principalem habent. (Dec. Auth. n. 388).

In omnibus aliis casibus cognitio et approbatio ipsius S. Congregationis requiritur, praesertim si agatur de Summario indulgentiarum vel antea collecto, sed numquam approbato, vel nunc primum ex diversis concessionibus colligendo.

Patet denique, huiusmodi Summaria omnia, si certo iam ab ipsa S. Congregatione recognita et approbata fuerint, ab omnibus ut certo authentica habenda esse, neque alia recognitione et approbatione Episcoporum indigere, etiamsi forte ex dictis cognitio et approbatio episcopalis per se sola sufficiens fuisset.

AD REGULAM QUINTAM.

Indulgentiae huius generis a gravissimis auctoribus semper iudicatae sunt alienae ab usu Sedis Apostolicae. Revera si concessae referantur ante saeculum XIV, stare non possunt cum antiquiori Ecclesiae disciplina (ita Theodor. a Spirito Sancto de Indulgentiis II, 247): manifesto enim constat saeculo XIII, et etiam XIV, adhuc indulgentias fuisse valde exiguas (v. g. 10, 20, 40 dierum, unius anni, raro 5 annorum vel 7, rarissime

20 annorum). Quod si posterioribus saeculis attribuantur, multa quidem extant authentica Decreta, quibus eiusmodi indulgentiae reprobandur ut apocryphae, sed ne unum quidem adhuc afferri potuit documentum talis concessionis, quod sit *certo authenticum*. Si vero aliquid dubium de quadam huius generis indulgentia extare posset, nuper Decreto huius S. Congregationis d. d. 26 Maii 1898 omnes indulgentiae mille vel plurium millium annorum sunt revocatae: ita ut hodie ne una quidem admitti possit.

AD REGULAM SEXTAM.

Christifidelibus in articulo mortis constitutis Summi Pontifices magna liberalitate indulgentiam plenariam concedere consueverunt, ea sub conditione, ut saltem contriti corde (si SSima Sacramenta Poenitentiae et Communionis recipere non potuerint) nomen Iesu ore, vel saltem corde, devote invocaverint, et mortem ut stipendium peccati de manu Domini aequo animo susceperint. Sed praeter articulum mortis indulgentiam plenariam fidelibus pauca dumtaxat verba recitantibus concedere nunquam mos fuit sanctae Sedis. Revera in tota Collectione authentica precum piorumque operum, quae « Raccolta » dicitur, ne unum quidem exemplum huius generis invenitur; si forte excipias orationem illam notissimam « En ego, o bone et dulcissime Iesu, » ante imaginem Crucifixi recitandam. Sed in primis ea oratio non adeo paucis verbis constat, et in ea supponitur aliqua meditatio dolorum ac vulnerum Iesu Christi Crucifixi, ac praeterea ad plenariam indulgentiam lucrandam confessio et communio et etiam preces ad mentem Summi Pontificis requiruntur. Quare hic repeti potest, quod in praecedenti regula explicanda dicebatur, nullum

scilicet extare documentum *certo authenticum*, quo Christianifidelibus pauca solum verba recitantibus concessa fuerit unquam a Summis Pontificibus indulgentia plenaria; multa vero Decreta certa tales indulgentias ut apocryphas vel suspectas repudiant.

AD REGULAM SEPTIMAM.

Haec regula explicatione vix indiget. Cum enim indulgentiae ex piis solummodo et rationalibus causis concedi debeant, S. Sedes numquam eiusmodi naenias vel ridicula vel impossibilia promisit in elargiendis indulgentiis: immo ne fallaci spe et noxia praesumptione fidelium mentes deciperentur, plura Concilia opportune eos monuerunt, ne libellis vel scriptis huiusmodi temere fidem haberent (Cir. Theodor. a Spir. Sancto II, p. 327). Sane catalogi indulgentiarum a Summis Pontificibus proscriptarum id manifeste evincunt. Sufficiat ex multis citare orationem quamdam, quae inventa fuisse dicebatur in sepulcro D. N. I. C. et revelata olim Sanctis Elisabethae, Reginae Hungariae, Mechtildi et Birgittae, quae quidem cum omnibus suis promissionibus extravagentibus iam anno 1678, et nunc iterum Decreto 26 Maii 1898 ab hac S. Congregatione ut apocrypha reprobata est.

AD REGULAM OCTAVAM.

Etsi Summi Pontifices praeteritis saeculis ea etiam formula in indulgentiis concedendis usi sint, ut Christianifidelibus certas orationes (non pauca tantum verba, uti supra in regula sexta) recitantibus, vel pia quaedam opera peragentibus liberationem unius animae ex Purgatorio promitterent, id tamen communiter alio sensu intelligi non debet, quam ut indulgentia quaevis plenaria fidelibus viventibus a Summis Pontificibus oblata,

etiam animae cuiuscumque in Purgatorio detentae applicabilis declarata fuerit, uti fert stylus Curiae hodie usitatus. Certo autem ex authenticis documentis probari nequit, quemquam illorum liberationem plurimum simul animarum a Purgatorio unquam promississe, multoque minus pro recitatione unius alteriusve precis tantum.

Quemadmodum igitur assertiones eiusmodi uti male fundatae haberi debent, ita etiam indulgentiae promissionibus talibus adiectae, ut apocryphae nulliusque valoris reiciendae sunt: eo vel magis quod eiusmodi indulgentiae plerumque iis inusitatis modumque excedentibus sunt accensendae, de quibus in regula praecedenti dictum est.

AD REGULAM NONAM.

Ecclesia ex multo iam tempore indulgentias partiales, ut notum est, certis quibusdam formulis stabilibus concedere solet, uti v. g. 50, 100, 200 vel 300 dierum, vel unius anni, vel 3, 5, 7 annorum et totidem quadragenarum; sed a praxi Sedis Apostolicae omnino alienae sunt indulgentiae v. g. 1080 dierum, quemadmodum legebantur indicatae in quibusdam numismatibus B. M. V., quae ante quadraginta fere annos Laurenti vendebantur: quae ideo ab hac S. Congregatione die 23 Februarii 1856 declaratae sunt apocryphae. (Decr. auth., n. 370). Nostris hisce diebus saepe in tollis ideo indulgentiae, maximi dierum numeri indicantur, quia auctores seu editores *numeros annorum et quadragenarum proprio suo arbitrio in correspondentes numeros dierum converterunt*; ita ut, calculo huiusmodi facto, statim mille vel plura millia dierum indulgentiae prodierint. Quod quidem ex aemulatione quadam non

laudabili provenire indubium est: ita enim demonstrare ad oculos volunt, indulgentias v. g. unius confraternitatis vel pii operis esse maiores illis, quae aliis similibus fuerunt concessae. Desiderandum valde est ut Ordinarii locorum eiusmodi schedas vel libellos minime appobent, etiamsi calculus veritati undequaque respondere videretur.

ALERE FLAMMAM
VERITATIS CXXXV.

Augustana. — S. Congr. Indulg. Responsum ad varia dubia de Confraternitatibus a SSmo Rosario nuncupatis. — 10 Aug. 1899.

Episcopus Augustanus plura dubia huic S. Congregationi Indulgentiarum dirimenda proposuit, quae, post Constitutionem « Ubi primum » de Confraternitatibus a SS. Rosario nuncupatis nuper editam iussu SSmi Dni Nostri Leonis Papae XIII, ipsi oborta sunt. His et alia superaddidit quae ex nonnullis Decretis huius S. C. repetenda videntur, eo quod quaestio movetur an, et quomodo, illa Confraternitatibus SSni Rosarii sint applicanda.

Dubia vero proposita sunt sequentia:

I. In Dioecesi Augustensi iampridem existunt fere in omnibus ecclesiis parochialibus Confraternitates SS. Rosarii, quin tamen habeantur litterae patentes Magistri Generalis Ordinis Praedicatorum, in plerisque locis deperditae. Quomobrem orator petit utrum ad canonicam Confraternitatis existentiam sufficiat per aliud quod documentum, puta, per processum verbalem ipsius erectionis, vel inscriptionem commemorativam in Registro sodalium Confraternitatis, aliudve huiusmodi in documento authentico asservatum, certam haberi no-

titiam quod litterae Magistri Generalis pro tali ecclesia iam concessae fuerint, an vero novae requirantur litterae patentes ipsius Magistri Generalis?

II. An per Decretum S. C. Indulgentiarum d. d. 20 Maii 1896, in una « Ordinis Praedicatorum », ad 13^{um}, abrogata censeatur lex a S. C. Indulgentiarum die 8 Ianuarii 1861 sancita (in formula servanda in substantialibus pro erectione Confraternitatum) sub n. V. hisce verbis expressa: « quod gratiae et indulgentiae « Confraternitati communicatae, praevia cognitione Ordinarii, dumtaxat promulgentur? »

Et quatenus negative:

III. An cognitio Ordinarii exprimi debeat in scriptis ad calcem Summarii Indulgentiarum?

IV. An piae Uniones Rosarii *Viventis*, a Magistro Generali Ordinis Praedicatorum institutae, subiaceant praescriptionibus Clementinae « Quaecumque », sicut et Confraternitates SS. Rosarii, ad tramitem decreti S. C. Indulgentiarum d. d. 25 Augusti 1897 in una « Urbis et Orbis » ad 1^{um}?

V. An Episcopus tolerare possit sive Confraternitates proprie dictas, sive pias Uniones sub SS. Rosarii titulo, absque interventu Magistri Generalis Ordinis Praedicatorum a parochiis, vel aliis sacerdotibus institutas, etiam cum conditione vel praetextu, quod huiusmodi Confraternitates vel piae Uniones non gaudent privilegiis et indulgentiis Confraternitatum Sanctissimi Rosarii?

VI. An, non obstante Decreto S. C. Indulgentiarum d. d. 25 Augusti 1897 in una « Urbis et Orbis » vi specialis privilegii Rectores Confraternitatum SS. Rosarii albo suae Confraternitatis permittere valeant inscribi nomina defunctorum, etiam ad hunc finem dum-

taxat, ut defuncti fiant participes meritorum Confraternitatis, et precibus sodalium commendati habeantur?

VII. An Decreta S. C. Indulgentiarum d. d. 12 Decembris 1892 in una « Coloniensi » et 15 Novembris 1893 in una pariter « Coloniensi » pro sodalitate S. Scapularis, applicari possint Confraternitati SS. Rosarii: ita ut confratres SS. Rosarii recepti vel inscripti a sacerdotibus facultatem habentibus, omnes Indulgentias Confraternitatis lucrentur vi ipsius legitima receptionis, etiamsi eorum nomina cum nominibus aliorum sodalium in albo Confraternitatis non sint adhuc materialiter inscripta?

VIII. An, stante privilegio Confraternitatis SS. Rosarii, quo gratia concessa a S. Sede non censetur revocata, nisi fiat de ea specialis mentio, sacerdotes, utentes formula ab Innocentio XI praescripta pro Indulgentia a confratribus SS. Rosarii in articulo mortis lucranda, valide agant, an vero debeant uti formula data in Constitutione Benedicti XIV « Pia Mater? »

IX. An formula pro Indulgentia acquirenda a confratribus in articulo mortis recitari valeat dumtaxat a Rectoribus Confraternitatum et sacerdotibus per Magistrum Generalem Ordinis Praedicatorum delegatis, an vero, quoad confratres SS. Rosarii, a quocumque sacerdote, etiam extra confessionem?

X. An Confraternitates SS. Rosarii erectae a Legatis Apostolicis, Nuntiis, ceterisque Praesulibus vi specialis facultatis apostolicae, indigeant nova erectione per Magistrum Generalem Ordinis Praedicatorum?

Et Emi ac Rmi Patres in Congregatione Generali habita ad Vaticanum rescripserunt die 3 Augusti 1899:

Ad I^{am} *Affirmative ad 1^{am} partem; Negative ad 2^{am}.*

Ad II^{am} *Negative.*

Ad III^{am} *Non est necesse.*

Ad IV^{am} *Negative.*

Ad V^{am} *Reformato dubio uti sequitur:*

An per Apostolicas Literas « Ubi primum » datas a SS. D. N. Leone Pp. XIII die 2 Octobris 1898, Episcopis aliisque gaudentibus facultate in genere erigendi Confraternitates, revocata fuerit facultas erigendi Confraternitates vel Pias Uniones sub titulo SS. Rosarii, absque interventu Magistri Generalis Ordinis Praedicatorum?

Respondendum: *Supplicandum SSmo, ut dignetur mentem suam pondere.*

Ad VI^{am} *Negative, facto verbo cum SSmo.*

Ad VII^{am} *Affirmative.*

Ad VIII^{am} *Reformato dubio uti infra:*

An pro impertienda plenaria Indulgentia in articulo mortis confratribus SSmi Rosarii, adhibenda sit formula ab Innocentio XI adprobata, an vero formula a Benedicto XIV praescripta in Constitutione « Pia Mater »?

Respondendum: *Negative ad 1^{am} partem; Affirmative ad 2^{am}.*

Ad IX^{am} *Reformato dubio hoc modo:*

An benedictio in articulo mortis cum adnexa plenaria Indulgentia confratribus SSmi Rosarii impertienda sit a sacerdotibus per Magistrum Generalem Ordinis Praedicatorum delegatis, an vero a quocumque sacerdote, etiam extra confessionem?

Rescribendum: *Negative ad 1^{am} partem; Affirmative ad 2^{am}.*

Ad X^{am} *Non propositum.*

Factaque de iis omnibus per me infrascriptum Cardinalem Praefectum relatione SSmo Dño Nostro

Leoni Papae XIII, in audientia habita die 10 Augusti 1899, SS^{mi}s omnes resolutiones E^morum Patrum benigne approbavit, mentemque suam quoad V^m dubium pandere dignatus est expresse edicens: « Revocavimus, et ut revocatas haberi volumus facultates quibuscumque concessas erigendi Confraternitates piisque Uniones sub titulo SS^{mi} Rosarii sine litteris patentibus Magistri Generalis Ordinis Praedicatorum; ita ut si quae in posterum erigantur sive Confraternitates sive piæ Uniones sub titulo SS^{mi} Rosarii absque præfatis litteris, nullis gaudeant beneficiis, privilegiis, indulgentiis, quibus Romani Pontifices legitimam verique nominis Sodalitatem a SS. Rosario auxerunt; quin imo nec gaudeant aliis Indulgentiis, quae communiter conceduntur omnibus sub quovis titulo confraternitatibus canonice erectis. Contrariis non obstantibus quibuscumque ».

Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae, die 10 Augusti 1899. — Fr. Hieronymus M. Card. Gotti, *Praef.*
— † A. Sabatucci Archiep. Antioen., *Secr.*

S. Officii Decretum circa baptismum Indorum de Goajira. — 6 Sept. 1899.

Beatissime Pater. — Moderator Missionariorum regionis Goajira in Columbia, ad pedes S. V. humillime provolutus, exponit:

Indi Goajiri numerantur circiter 40,000 solo fere

nomine gubernio Columbiae subiecti. Vitam agunt quasi silvestrem, ab omni fere urbanitatis seu civitatis influxu alienam. Cum civibus Columbiae et Venezuelae commercium habent continuum, et viciniore civitates quotidie accedunt, emptiones et venditiones in dictis civitatibus peragunt, sed vitae civilis vincula et comoda omnino reiiciunt.

Principium omnis mali in quod fere unice credunt, et quod pervalde timent, superstitiose colere seu potius placare solent, et vix aliquam de Deo Summo Bono notionem conservant.

Vitam errantem, seu *nomadam*, gerunt, sed lato quodam sensu talem; siquidem unaquaeque parva tribus seu *grupo de familias* ducem habet fixum, in territorio relative parvo permanet ex quo haud exire solet: unde efformant quasi pagos ambulantes ut pascua inveniant sufficientia.

Porro in commercio cum civibus seu cum incolis hispano-americanis nonnullas catholicae religionis notiones acquisierunt, et magnam sacramenti Baptismi parvulis praesertim conferendi aestimationem et desiderium retinuerunt. Ad quod indubitanter inducti fuerunt etiam ex commodo quod ex baptismo non raro reportant. Etenim cives hispano-americani libenter patrini munus suscipiunt et genitoribus baptizandi hisce in adiunctis aliquid donare solent.

Nonnumquam accidit quod parvuli ita baptizati patrem habent virum civilem et matrem *goajiram*. Indi enim *goajiri* ab omni impudicitia extra legitimum thorum abhorrent, et violatores legis castitatis severissime punire solent: sed haec lex sola illicita commercia inter *goajiros* interdicit, non autem carnales relationes inter feminam *goajiram* et virum civilem qui illam

pretio conducit ad utilitatem familiae *goajirae* soluto. Et hoc in casu nec vir curam habere vult prolis huiusmodi, et forsitan etiamsi vellet non posset, prohibentibus Indis *goajiris*: potest tamen facillime prolem videre, et de baptismo ipsi conferendo efficaciter providere.

Porro in praxi, parvuli huiusmodi si ad annos dissectionis pervenerint, vitam quasi silvestrem ducunt et a praxi christianae religionis alienam. Adulti autem, qui aequaliter instructi baptismum postulant et accipiunt, amore vitae silvestris et errantis, ut dictum est, capti, in regione *goajira* permanent et mores infidelium imitantur: vix aliquoties in vita, facilius tamen in mortis articulo, si sacerdotis copiam habeant, religionis auxilia libenter suscipiunt.

In talibus adiunctis, iam antequam Missio nostra condita fuisset, multi parvuli et non pauci adulti baptizati sunt a Sacerdotibus praesertim viciniorum civitatum, ad quas quotidie accedunt Indi-Goajiri. Et huiusmodi praxim, de consilio tum defuncti, tum hodierni Episcopi, in cuius territorio sita est regio *goajira*, et nos sequuti fuimus. Novissime tamen de licetate huius agendi rationis maxime dubii, severiores fuimus circa hanc materiam. Sed ex inveterata consuetudine in regione vigenti, et Indi in Goajira commorantes, et christiani in civitatibus vicinioribus degentes, imo et ipse R. P. D. Episcopus, plus minusve improbarunt mutationem a nobis factam illanque infaustum rigorismum iudicarunt. Imo parochus cuiusdam civitatis vicinioris hodie baptizat Indorum parvulos quos nos baptizare non audemus, et in hoc sequitur exemplum hodierni Episcopi S. Marthae, qui idipsum faciebat dum parochi munus in civitate Riohacha gerebat.

Quaeritur igitur:

I. An in expositis circumstantiis Indi Goajiri licite baptizari possint?

II. An tuta conscientia stare possimus iudicio dignissimi Episcopi S. Marthae licetatem expositae praxis omnino sustinentis?

Feria IV, die 6 Septembris 1899.

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis ab Em̄is ac Rm̄is DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Inquisitoribus Generalibus habita, expositis superscriptis precibus, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, omnibus ea qua par erat maturitate discussis, iidem EE. ac RR. Patres respondendum mandarunt:

In expositis conditionibus et circumstantiis posse licite Goajiros baptizari; remittendum tamen prudentiae et conscientiae Missionariorum in singulis casibus adultos vel pueros Goajiros baptizare. Et detur Decretum S. Officii anni 1867 ad Praefectum Apostolicum Nossi-bè.

Porro huiusmodi Decretum sic se habet:

« Remittendum prudenti arbitrio et conscientiae Missionariorum (audito si fieri possit, Praefecto Apostolico), qui in expositis circumstantiis baptizare possint pueros a parentibus non baptizatis oblatos, dummodo in singulis casibus non praevideatur illum adesse grave perversionis periculum, et dummodo non constet parentes ob superstitionem filios offerre baptizandos ».

In sequenti vero feria V, die 7 eiusdem mensis et anni, in solita audientia a SSmo D. N. Leone div. Prov. Pp. XIII R. P. D. Adessori impertita, resolutionem Em̄orum ac Rm̄orum Patrum ratam habuit et probavit. — I. Can. Mancini, S. R. et U. Inq. Notar.

CXXVII.

*SS. D. N. Leonis PP. XIII Epistola ad Archiepiscopos
et Episcopos Brasiliae. — 18 Septembris 1899.*

Paternae providaeque Nostrae in gentem vestram sollicitudinis magnopere laetamur haud mediocrem fructum, vestra potissimum industria, Venerabiles Fratres, fuisse perceptum. Apostolicis enim Litteris inhaerentes, quas dedimus die 11 mensis Julii anno MDCCLXXV, studio ac labore vestro effecistis ut et excitaretur in populo pietas, et in sacri ordinis viris vetus disciplina revivisceret. Neque vero Nos latet quantum operae contuleritis ad incolunitatem et iura tuenda religiosorum Sodallium, qui ex antiquis Familiis istius regionis superfuerunt, ad eosque in pristinum instituti florem revocandos; quibus utilissime consociantur alii ex Europa Fratres, quorum nobilem impetum non longitudo itineris, non inclementia caeli, non dissimilimi mores retardarunt. Accedunt recentius institutae Congregationes, eaeque complures, concordii studio vestro accitae, sive condendis aut moderandis ephobeis, sive sacris missionibus obeundis, sive ceteris praestandis in sacerdotali munere, ad quae impar numero clerici iste minime sufficeret. Non ultimam denique afferunt solatii causam Seminarium apud vos, vel aucta numero, vel in melius restituta.

Fausta haec initia et habitum huc usque progressum spem iniiciunt brevi fore, ut amplificatae per Nos istae sacrae Hierarchiae maiora in dies incrementa respondeant. Quod quidem quum probata industria ac perspecta diligentia vestra, Venerabiles Fratres, tum etiam

prona ad pietatem et indole et consuetudine Brasili-
norum gens satis polliceri videntur.

Sunt quaedam tamen ad rei catholicae profectum ita necessaria, ut ea semel attigisse non satis sit; commemorari saepius et commendari velint. Huc potissimum pertinet cura in Seminariis collocanda, quorum cum statu fortuna Ecclesiae coniungitur maxime. In eorum igitur disciplina instauranda illud in primis cordi est, quod nonnulli sacrorum antistes iam feliciter praestiterunt, ut separatis aedibus, suisque seorsim institutis ac legibus, degant alumni, qui spem afferant sese Deo mancipandi per sacros ordines, eorumque domus retineant Seminarium nomen; aliae, instituendis ad civilia munia adolescentibus, Convictus vel Collegia episcopalia nuncupentur. Quotidiano enim usu constat, mixta Seminarium Ecclesiae consilio ac providentiae minus respondere; ea contubernia cum laicis causam esse quam-obrem clerici plerumque a sancto proposito dimoveantur. Hos decet vel a prima aetate iugo Domini assuescere, pietati vacare plurimum, inservire sacris ministeriis, vitae sacerdotalis exemplo conformari. Arcendi ergo mature a periculis, seiungendi a profanis, instituendi iuxta propositas a sancto Carolo Borromeo leges saluberrimas, quemadmodum in Europae Seminariis praecipuis fieri videmus.

Eadem vitandi periculi ratio suadet ut comparetur
alumnis rusticatio ad feriandum, nec arbitrium relin-
quatur suae cuique ipsorum aetate familiae. Multa enim pravitate exempla manent incautos, praesertim in
coloniciis iis domibus, ubi operariorum familiae glome-
rantur; quo fit ut, in juveniles cupiditates prona, aut
ab incepto deterreantur, aut sacerdotes futuri sint offensi-
sioni populo. Rem istic iam tentatam feliciter a qui-

busdam Episcopis maxime commendamus, auctoresque sumus vobis, Venerabiles Fratres, ut facta communiter eiusmodi lege, adulescentis cleri tutelae melius in posterum prospiciatis.

Nec minus in votis est, quod alias significavimus, ut scribendis vulgandisque catholicis diariis naviter aequae ac prudenter impendatur opera. Vix enim, quae nostra aetas est, aliunde haurit vulgus opiniones sibi que fingit mores, quam ex quotidianis hisce lectionibus. Interim aegre est iacere arma haec apud bonos, quae impiorum manibus tractata lenocinio callidissimo, miserimum fidei et moribus exitium parant. Acuendus igitur stilus est excitandaeque litterae, ut veritati vanitas cedat, et incorruptae voci rationis atque iustitiae sensim obsequantur praepudicatae mentes.

Huius utilitati finitima est alia, quae ex accessione catholicorum hominum ad rempublicam, eorumque cooptatione in coetum oratorum legibus ferendis derivatur. Neque enim voce minus quam scripto, neque gratia et auctoritate minus quam litteris, optimae quaeque causae iuvari possunt. Adscisci etiam aliquando in eos coetus sacri ordinis viros haud inopportunos videtur; quin etiam iis praesidiis et quasi Religionis excubiis optime licet Ecclesiae iura tueri. Verum illud cavendum maxime, ne ad haec fiat tanta contentio, ut misera ambitione magis aut partium caeco studio, quam rei catholicae curâ impelli videantur. Quid enim indignius, quam digladiari sacros ministros ut ex procuratore reipublicae rem perniciosissimam in civitatem inducant, seditionem atque discordiam? Quid vero si in deteriorum consilia ruentes constitutae auctoritati perpetuo adversentur? Quae omnia mirum quantum offensionis habent in populo et quantum invilliae conflant in clerum. Mo-

deste igitur utendum iure suffragii; vitanda omnis suspicio ambitionis; reipublicae munia capessenda prudenter; a supremae vero auctoritatis obsequio desciscendum nunquam.

Placuit iterum, Venerabiles Fratres, hortatores esse ad eas artes, quibus christianae rei bono apud vos opportune consulatur. Atque utinam egregiae voluntati vestrae non essent impares vires, nec optimis consiliis in usum deducendis impedimentum esset angustia pecuniae. Neque enim, ut antea, ex publico aerario suppeditantur sumptus aut vobis, aut Canonicorum Collegiis, aut Seminariis aut Curionibus, aut aedificationi templorum. Una paene restat, cui liceat inniti, gratificandi popularis voluntas. Nihilominus hac in re spem affert eximiam Brasiliae gentis consuetudo, ex animi sui nobilitate in largitiones paratissima, praesertim in iis quae pertinent ad bene de Ecclesia merendum. Atque hanc scilicet ipsorum laudem Litteris Nostris superius memoratis exornavimus, quum de dote constituenda novis dioecesibus, quae opis indigent maxime, nihil habere Nos diximus quod praeciperemus; in Brasiliensi populi pietate ac religione satis Nobis esse fiducia, ipsum episcopis non defuturum. Ac libenter quidem in exemplum proponeremus effusam benignitatem, quae septentrionalis Americae filii suis Episcopis, longe numero pluribus, itemque catholicis collegiis, scholis, ceterisque piis institutis certatim occurrunt, nisi vestra natio domesticis exemplis iisque splendidissimis abundaret. Memoria ne excidat quot conspicua templa maiores vestri extruenda curaverint, quot monasteriis dotem constituerint, quam grandia christianae pietatis ac beneficentiae vobis monumenta reliquerint.

Opitulandi autem Ecclesiae necessitatibus modi sup-

petunt plures. In his perutile ducimus ut sua in quaque dioecesi constituantur arca, quod annum conferant stipem fideles, ab delectis e coetu nobiliore viris ac feminis colligendam, nutu et ductu Curionum. Decet autem horum primas esse in largiendo partes; quod optime efficient, si ex certis redditibus, quibus ipsi fruuntur saepe lautissimis, aliquid cedant, et super incertos proventus vim aliquam pecuniae sibi solvendam imponant, instar vectigalis. — Nec minus auxilio esse possunt Episcopis inopia laborantibus monasteria illa piaequae sodalitates, quibus amplior est res; rectiusque publico bono fuerit consultum si arcae dioecesanæ destinetur haud exigua illa pecuniae summa, quae in profana spectacula solet a quibusdam ex memoratis sodalitatibus conici. — Si qui denique, fortunæ bonis prae ceteris affluentibus, maiorem sectari morem laudabilem velint ac testamento cavere sive piis sodalitatibus, sive coetibus aliis exercendae beneficentiae gratiâ, eos vehementer hortamur, ut pecuniae sumam aliquam meminere legare Episcopis, qua hi relevati et res Ecclesiae et dignitatem suam tueri valeant.

Vestram egimus causam, Venerabiles Fratres, Nos ipsi, quos temporum iniuria cogit Petri stipem rogare constantius. Ceterum vos primum erigat cogitatio fiducia in Deo collocandae, quoniam ipsi cura est de nobis¹; animoque subeant Apostoli verba: qui autem administrat semen seminanti, et panem ad manducandum praestabit, et multiplicabit semen aestrum, et augetur incrementa frugum instiliae vestrae². Clerus vero ac populus, quibus regendis Spiritus Sanctus vos posuit Episcopos, sibi oculis proponant pristinam illam cre-

¹ I Petr. v, 7.

² II Cor. ix, 10.

dentium liberalitatem, quorum multitudinis erat *cor unum et anima una*³; qui de sancta Ecclesiae societate multo magis quam suis de fortunis solliciti, vendentes afferebant pretia eorum quae vendebant, et ponebant ante pedes Apostolorum⁴. Meminerint Pauli verba, quibus eos ad ultimum compellamus: Rogamus autem vos, fratres, ut noveritis eos, qui laborant inter vos, et praesunt vobis in Domino, et monent vos, ut habeatis illos abundantius in charitate propter opus illorum⁵.

Interea, caelestium munerum auspiciem ac benevolentiae Nostrae testem, Vobis, Venerabiles Fratres, Clero populoque vestro Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xviii Septembris an. mcccxcix, Pontificatus Nostri vicesimo secundo. — Leo Pp. XIII.

CXXVIII.

Instructiones S. Sedis contra dilationem Baptismi.

I. — *Ex S. C. de Prop. Fide 21 Ian. 1788* (pro Sin.). — Se sia plausibile che ai bambini vengano amministrare le acque battesimali da chicchessia (nell'assenza dei missionari) ancorchè non facciano temere della loro vita, atteso il pericolo a cui rimangono esposti nell'essere tenuti nel letto coi loro genitori. —

R. *Affermativae* et laudandum.

(Coll. P. F. n. 534).

¹ Act. iv, 32.

² Act. iv, 34-35.

³ I Thess. v, 12-13.

II. — *Ex S. C. de Prop. Fide 16 Jan. 1804* (pro Sin.). — In quibusdam locis (Cocincinae) iniungitur catechistis vel etiam alijs prudentioribus laicis ut quoscumque christianorum infantes cito baptizent, licet isti bene valeant, cum abest sacerdos, vel est eum adeundi difficultas.

R. Consuetudinem, de qua agitur, probandam esse. (Coll. P. F. n. 536).

III. — *Ex S. C. de Prop. Fide 11 Febr. 1804* (Vic. Ap. Cocincinae). — Consuetudinem huius Missionis circa Baptismum quod a catechistis alijsve probatis laicis, absente sacerdote, illico administratur infantibus, bona licet valetudine utentibus, de qua dubitabas, S. C. plenissime approbavit: hominum quippe vita, infantium praesertim, continuis est obnoxia periculis.

(Coll. P. F. n. 537).

IV. — *Ex S. C. de Prop. Fide 11 Sept. 1841* (Vic. Ap. Coreae). — Circa praxim ab Amplitudine tua statutam quoad parvulorum Baptisma *intra decem dies ad summum, per sacerdotes, si detur opportunitas, vel per catechistam non vero per aliam personam, excepto casu necessitatis, conferendum*, EE. PP. standum omnino existimarunt Synodi Sutchuensis praescriptionibus:

Ex Synodo Sutchuensi: « Praeterea, cum in hisce regionibus vigeat consuetudo minime tuta, ut parentes recens natos infantes in eodem lecto secum deponant, aliunde vero missionarii districtus suos nonnisi semel in anno perlustrare valeant, ne periculum subsit infantibus intereundi sine Baptismate, uti iam non semel accidit, in singulis christianitatibus specialiter edoceantur viri idonei atque mulieres, in primis vero catechista, qui pueros recenter natos etiamsi non infirmos baptizent, supplente dein presbytero, cum adven-

taverit, Baptismatis caeremonias, moneanturque parentes ut, quam primum commode fieri poterit, eos aqua salutari ablui procurent. Prudens valde est ut intra triduum abluantur; ne autem Sacramentum tam necessarium diu nimis protrahatur cum periculo salutis, praefinimus octo dies ab infantis nativitate, mandamusque ut ultra hunc terminum non differatur. »

V. — *Ex Conc. Prov. Quiliv. 1. an. 1863, decr. 6, n. 3.* — Tenentur insuper parochi fideles suos, praesertim obstetrices, de modo et forma administrandi in casu necessitatis baptismum instruere, ne earum inscitia infantum animae pereant. Ad eiusmodi necessitatibus melius prospiciendum, nonnullae personae in singulis pagis vel oppidulis ab ipso parochi designentur, quae sufficienter peritae atque instructae, baptismum, dum urget casus, ministrare valeant.

(Coll. Lac. VI, p. 405, n. 3).

VI. — *Ex Synodo Sutchuensi an. 1803, sess. 1, cap. 2, n. 10.* — Expresse mandamus missionariis, ut omnes et singulos fideles sibi respective subditos, etiam catechumenos, distincte edoceant modum et praxim rite baptizandi, tum ut in casu necessitatis fidelium infantibus vel etiam adultis nondum baptizatis opportune succurrant, tum ut infidelium infantibus non desint, sed his in articulo mortis constitutis sacramentum rite administrare valeant.

(Coll. Lac. VI, p. 598, n. X).

VII. — *Ex decr. S. Officii 11 Jan. 1899.*

Beatissimo Padre. — Il Vescovo N. N. ha trovato nella sua diocesi il deplorable abuso che taluni genitori per futili pretesti, massime perchè il padrino o la madrina non sono pronti o devono giungere da lontano, differiscono ai neonati il battesimo per setti-

mane non solo e per mesi, ma ancora per anni, come si è dovuto convincere nella sua visita pastorale. Ad ovviare a siffatto abuso egli si è adoperato con ogni mezzo: però teme assai che non si facilmente gli verrà fatto di eliminarlo.

Posto ciò, chiede umilmente se la levatrice, quando prevede che il battesimo abbia a differirsi considerevolmente, possa amministrarlo subito in acqua al neonato, benchè questi trovisi in buone condizioni di salute, anche ad insaputa di uno o di entrambi i genitori, tenendone solo avvisato il parroco? — Che ecc.

Feria IV, die 11 Januarii 1899.

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis, habita ab EE^{mm} et RR^{mm} DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Generalibus Inquisitoribus, proposito suprascripto dubio, præhabitoque RR. et DD. Consultorum voto, iidem EE^{mm} ac RR^{mm} Patres respondendum mandarunt:

Urgendum ut Baptismus quam citius ministretur: tunc vero permitti poterit ut obstetrix illum conferat, quando periculum positive timeatur ne puer dilationis tempore sit moriturus.

Feria vero VI, die 13 eiusdem mensis et anni, in solita audientia R. P. D. Adessori S. O. impertita, facta de his omnibus SS^{mo} D. N. Leonì Div. Prov. Pp. XIII relatione, SS^{mus} resolutionem EE^{mm}orum Patrum adprobavit. — I. Can. Mancini, S. R. et U. Inquis. Notarius,

VIII. — *Ex Epistola Leonis XIII ad Episc. Anglonen. et Tursien. contra abusum differendi Baptismi administrationem.* — 13 Aug. 1899.

Venerabilis Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem. — Gratae vehementer, Dilecte Fili Noster, tuae Litterae titulo *Mali e Rimedi* ad istum Clerum et Populum elapso mense Martio datae, Nobis fuerunt, quibus pastoralis sollicitudine paternoque affectu inverteratum lamentaris abusum S. Baptismatis in hebdomadas, in menses, imo et in annos, pueris differendi; atque ad eum ab ista Tibi concedita Dioecesi exterminandum totus incumbis. Nil sane hac mala consuetudine iniquius, nil ecclesiasticis sanctionibus magis contrarium; utpote quae non solum tot animarum aeternam salutem, inexcusabili temeritate, in manifestum periculum infert; sed eas insuper, intra id temporis, certo fraudat ineffabilibus gratiae sanctificantis charismatibus, quae per regenerationis lavacrum infunduntur; resque aliquoties eoque deducere potest ut, quod proprio tempore omissum fuit, nunquam amplius in posterum sit faciendum. Dum igitur Tibi, Dilecte Fili Noster, ut inceptum opus strenue perficias ultro vires addimus: non possumus quin tam detestabilem usum, in Deum simul impium ac in homines, ubicumque infeliciter invaluerit, ex animo improbemus et exsecremur.

Atque ut, Deo adiuvante, prospere Tibi res cedant, Tibimet, Dilecte Fili Noster, Tibique subdito Gregi Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XIII mensis Augusti MDCCCXCIX, Pontificatus Nostri anno vicesimo secundo. — LEO PP. XIII.

CXXIX.

S. Congregationis Concilii decretum de viris ecclesiasticis, perturbationibus, et intestinis bellis, participantibus. 12 Iulii 1900.

In perturbationibus et intestinis bellis, quibus aliquoties civiles status exagitantur, ultimis hisce annis, interdum accidit, ut ecclesiastici viri, partium studio abrepti, uni vel alteri politicae factioni ultro se manciparent, et pro ea contra canonicas leges plura agere et moliri non vererentur, fidentes absolutionem in posterum se facile consecuturos.

Tam gravi malo occurrere cupiens SS^{ms} Dominus Noster Leo PP. XIII, inhaerendo dispositionibus SS. Concilii Tridentini *sess. XIV in proem. et cap. IV*, nec non *sess. XXII cap. I de reform.*, et praec oculis habita doctrina Benedicti XIV in *Instit. ior.*, per praesentes S. C. Concilii litteras statuit atque decernit, ut in posterum quisquis e clero, ut intestinis bellis et politicis contentionibus opem utcumque ferat, proprium residentiae locum absque iusta causa, quae a legitima ecclesiastica auctoritate recognita sit, deseruerit, vel clericales exuerit vestes, quamvis arma non sumpserit, et humanum sanguinem minime fuderit; et eo magis qui in civili bello sponte sua nomen dederit militiae, aut bellicas actiones quomodocumque dirigere praesumpserit, etsi ecclesiasticum habitum retinere pergat; ab ordinum et graduum exercitio, et a quolibet ecclesiastico officio et beneficio suspensus illico et ipso facto maneat; et inhabilis praeterea fiat ad quaelibet officia aut bene-

ficia ecclesiastica in posterum assequenda, donec ab Apostolica Sede restitutus non fuerit; sublata ad hunc effectum respectivis Dioecesium Ordinariis qualibet dispensandi potestate, etiamsi amplissimis, sive solitis (ut vocant), sive extraordinariis facultatibus rehabilitandi clericos gaudeant; contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae, ex S. C. Concilii, die 12 Iulii 1900.
- A. Card. Di Pietro, Praefectus. - † B. Archiepiscopus Nazianzenus, Secretarius.

CXXX.

Instructiones de civili, quod vocant, matrimonio.

I. - *Instructio S. Poenitentiariae.* - 15 Ian. 1866.

1. Quod iamdiu timebatur, quodque Episcopi, cum singillatim, tum una omnes protestationibus zelo ac doctrina plenis, virique plurimi cuiusque Ordinis eruditus suis scriptis, et ipsemet Summus Pontifex vocis suae auctoritate avertere conati sunt, id, proh dolor! videmus in Italia constitutum. Quem vocant civilem matrimonii contractum, eiusmodi malum haud amplius est quod Iesu Christi Ecclesia debeat trans Alpes deflere, sed et quod in hisce Italiae regionibus consitum, pestiferis suis fructibus christianam familiam societatemque minitatur inficere. Atque hosce funestos effectus Episcopi et locorum Ordinarii animadverterunt, quorum quidem alii opportunis instructionibus munitum ac vigilem fecerunt gregem suum; alii vero ad hanc Apostolicam Sedem mature confugerunt, ut normas inde haurirent, quibus in tam trepida re-ac tanti

CXXIX.

S. Congregationis Concilii decretum de viris ecclesiasticis, perturbationibus, et intestinis bellis, participantibus. 12 Iulii 1900.

In perturbationibus et intestinis bellis, quibus aliquoties civiles status exagitantur, ultimis hisce annis, interdum accidit, ut ecclesiastici viri, partium studio abrepti, uni vel alteri politicae factioni ultro se manciparent, et pro ea contra canonicas leges plura agere et moliri non vererentur, fidentes absolutionem in posterum se facile consecuturos.

Tam gravi malo occurrere cupiens SS^{ms} Dominus Noster Leo PP. XIII, inhaerendo dispositionibus SS. Concilii Tridentini *sess. XIV in proem. et cap. IV*, nec non *sess. XXII cap. I de reform.*, et praec oculis habita doctrina Benedicti XIV in *Instit. ior.*, per praesentes S. C. Concilii litteras statuit atque decernit, ut in posterum quisquis e clero, ut intestinis bellis et politicis contentionibus opem utcumque ferat, proprium residentiae locum absque iusta causa, quae a legitima ecclesiastica auctoritate recognita sit, deseruerit, vel clericales exuerit vestes, quamvis arma non sumpserit, et humanum sanguinem minime fuderit; et eo magis qui in civili bello sponte sua nomen dederit militiae, aut bellicas actiones quomodocumque dirigere praesumpserit, etsi ecclesiasticum habitum retinere pergat; ab ordinum et graduum exercitio, et a quolibet ecclesiastico officio et beneficio suspensus illico et ipso facto maneat; et inhabilis praeterea fiat ad quaelibet officia aut bene-

ficia ecclesiastica in posterum assequenda, donec ab Apostolica Sede restitutus non fuerit; sublata ad hunc effectum respectivis Dioecesium Ordinariis qualibet dispensandi potestate, etiamsi amplissimis, sive solitis (ut vocant), sive extraordinariis facultatibus rehabilitandi clericos gaudeant; contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae, ex S. C. Concilii, die 12 Iulii 1900.
- A. Card. Di Pietro, Praefectus. - † B. Archiepiscopus Nazianzenus, Secretarius.

CXXX.

Instructiones de civili, quod vocant, matrimonio.

I. - *Instructio S. Poenitentiariae.* - 15 Ian. 1866.

1. Quod iamdiu timebatur, quodque Episcopi, cum singillatim, tum una omnes protestationibus zelo ac doctrina plenis, virique plurimi cuiusque Ordinis eruditus suis scriptis, et ipsemet Summus Pontifex vocis suae auctoritate avertere conati sunt, id, proh dolor! videmus in Italia constitutum. Quem vocant civilem matrimonii contractum, eiusmodi malum haud amplius est quod Iesu Christi Ecclesia debeat trans Alpes delibere, sed et quod in hisce Italiae regionibus consitum, pestiferis suis fructibus christianam familiam societatemque minatur inficere. Atque hosce funestos effectus Episcopi et locorum Ordinarii animadverterunt, quorum quidem alii opportunis instructionibus munitum ac vigilem fecerunt gregem suum; alii vero ad hanc Apostolicam Sedem mature confugerunt, ut normam inde haurirent, quibus in tam trepida re ac tanti

momenti tuto dirigerent sese. Quamvis autem hoc Sacrum Tribunal haud pauca responsa atque instructiones particularibus petitionibus, Summi Pontificis iussu, dederit, attamen ut postulationibus quae in dies augentur satisfiat, mandavit Sanctus Pater, ut per hoc Tribunal ad omnes locorum Ordinarios, ubi infausta haec lex promulgata fuit, Instructio mitteretur, quae normae cuiusdam loco cuique eorum inserviret, ut et fideles dirigant, et ad morum puritatem sanctitatemque matrimonii christiani sartam tectam servandam, uno animo procedant.

2. At vero, in exequendis S. Patris mandatis, haec S. Poenitentia superfluum putat in memoriam cuiusque revocare quod est sanctissimae religionis nostrae notissimum dogma: nimirum matrimonium unum esse ex septem Sacramentis a Christo Domino institutis, proindeque ad Ecclesiam ipsam, cui idem Christus divinorum suorum mysteriorum dispensationem commisit, illius directionem unice pertinere; tum etiam superfluum putat in cuiusque memoriam revocare formam a S. Tridentina Synodo praescriptam, *Sess. 24, c. 1, De reform. matrim.*, sine cuius observantia, in locis ubi illa promulgata fuit, valide contrahi matrimonium nequaquam posset.

3. Sed ex hisce alisque axiomatibus et catholicis doctrinis debent animarum Pastores practicas instructiones conficere, quibus etiam fidelibus id persuadeant quod SS. Dominus Noster in Consistorio secreto, die 27 Septembris anni 1852, proclamabat, id est: « Inter fideles matrimonium dari non posse, quin uno eodemque tempore sit Sacramentum: atque idcirco quamlibet aliam, inter Christianos, viri et mulieris, praeter Sacramentum, coniunctionem, etiam civilis

« legis vi factam, nihil aliud esse nisi turpem atque exitialem concubinatum ».

4. Atque hinc facile deducere poterunt civilem actum, coram Deo eiusque Ecclesia, nedum ut Sacramentum, verum nec ut contractum haberi illo modo posse; et quemadmodum civilis potestas ligandi quemquam fidelium in matrimonio incapax est, ita et solvendi incapax esse; ideoque, sicut haec S. Poenitentia iam alias in nonnullis responsionibus ad dubia particularia declaravit, sententiam omnem de separatione coniugum, legitimo matrimonio coram Ecclesia coniunctorum, a laica potestate latam, nullius valoris esse; et coniugem, qui eiusmodi sententia abutens alii se personae coniungere auderet, fore verum adulterum: quemadmodum esset vere concubinarius, qui vi tantum civilis actus in matrimonio persistere praesumeret; atque utrumque absolute indignum esse donec haud respiscat, ac praescriptionibus Ecclesiae se subiiciens ad poenitentiam convertatur.

5. Quamvis autem verum fidelium matrimonium solum contrahatur quum vir et mulier, impedimentorum expertes, mutuum consensum patefaciant coram Parocho et testibus, iuxta citatam S. Concilii Tridentini formam, atque ita contractum matrimonium omnem suum valorem obtineat, nec opus sit ut a civili potestate ratum habeatur, aut confirmetur; attamen, ad vexationes poenasque vitandas, et ob proli bonum, quae alioquin a laica potestate ut legitima nequaquam haberetur, tum etiam ad polygamiae periculum avertendum, opportunum et expediens videtur, ut iidem fideles postquam matrimonium legitime contraxerint coram Ecclesia, se sistant, actum lege decretum executuri, ea tamen intentione (uti Benedictus XIV

docet in Brevi diei 17 Septembris anni 1746, « *Redditae sunt nobis* »), ut sistendo se Gubernii officiali, nil aliud faciant, quam ut civilem caeremoniam exequantur.

6. Iisdem de causis, nequaquam vero ut infaustae legis executioni cooperentur, Parochi ad matrimonii celebrationem coram Ecclesia eos fideles qui, quoniam lege arcentur, ad civilem actum dein non haberentur ut legitimi coniuges, non ita facile ac promiscue admittant. Hac in re multa uti debebunt cautela ac prudentia, et Ordinarii consilium exposcere; atque hic facilis ne sit ad annuendum, sed in gravioribus casibus hoc Sacrum Tribunal consulat.

7. Quod si opportunum est ac expedit ut fideles, sistentes se ad actum civilem peragendum, se probent legitimos coniuges coram lege, hunc tamen actum, antequam matrimonium coram Ecclesia celebraverint, peragere nequaquam debent. Et si qua coactio, aut absoluta necessitas, quae facile admittenda non est, eiusmodi ordinis invertendi causa esset, tunc omni diligentia utendum erit ut matrimonium coram Ecclesia quamprimum contrahatur, atque interim contrahentes sciuncti consistant. Hac super re unumquemque hortatur haec S. Poenitentiarum ut doctrinam sequatur ac teneat a Benedicto XIV. expositam in Brevi, cuius supra mentio facta est, ad quod tum Pius VI in suo Brevi ad Galliae Episcopos « *Laudabilem maiorum suorum* », dato die 20 Septembris anni 1791, tum Pius VII in suis Litteris datis die 11 Junii 1808 ad Episcopos Piceni, eosdem Episcopos instructionis gratia remittebant, qui normas expostularunt, quibus in simili civilis actus contingentia fideles dirigerent. Post haec omnia facile est videre praxim hactenus obser-

vatum circa matrimonium, et speciatim circa paroeciales libros, sponsalia et matrimonialia impedimenta cuiusvis naturae ab Ecclesia sive constituta sive admissa, nullo modo variari.

8. Et haec sunt generales normae quas huic S. Poenitentiarum, Sancti Patris mandatis obsequenti, tradere visum fuit, et iuxta quas eadem videns plures Episcopos et Ordinarios suas iam instructiones adamusim confecisse, maximopere laetatur, speratque fore ut et caeteri omnes idem faciant: qui ita se Pastores vigiles ostendentes, meritum ac praemium a Iesu Christo Pastorum omnium Pastore consequentur.

(Coll. P. F. n. 1406).

II. - Litt. Benedicti XIV « *Redditae sunt Nobis* » — 17 Sept. 1746. (Ad Paulum Simonem Carmelit. Excalceat. in Belgio).

Redditae sunt Nobis per dilectum filium eundemque primum Administrum Nostrum Silvium, Cardinalem Valentem, vestrae litterae, quibus subortam inter vos in re gravis sane momenti controversiam exponitis, eamque iudicio nostro subiciitis. Non possumus equidem non magnopere commendare propositum vestrum, quo Sedem Apostolicam consulendam censuistis eiusque definitionem exposcendam, ut eam unanimi consensu amplectamini; quam si omnes, cum similes emergunt quaestiones, pari docilitate exquirent et sequerentur, non tanta succresceret in dies inter evangelicos operarios opinionum varietas, nec doleremus aliquando ob eorundem in tradenda morum doctrina diversas sententias, in partes distrahi christianum populum, eamque scindi mentium animarum-

que concordiam quam Christus Dominus Ecclesiae suae commendatam voluit usque adeo ut ea praesertim, quasi tessera, discipulos suos cognoscendos praedixerit.

Exposuistis itaque Nobis non raro isthic contingere, ut catholici matrimonium inter se contracturi civilem adeant magistratum aut haereticum ministellum, quibus se sistere legibus patriae coguntur, et coram illis mutuam exprimant in coniugium consensum, quem tamen postea renovare coram legitimo Ministro catholico et duobus testibus uti Tridentinum praecipit, aut omnino negligunt, aut in longum tempus differunt: interim vero, perinde ac si legitimi coniuges iam forent, non dubitant omnem coniugalem consuetudinem inter se habere. Quaesivistis deinde quid de illo consensu sentiendum sit coram civili magistratu aut haeretico ministello praestito, num scilicet satis fuerit ad perficiendum matrimonium validum, saltem in ratione contractus, quod alter ex vobis affirmat, alter inficiatur, etsi ad Sacramenti dignitatem non assurgat, quod nemo vestrum in quaestionem adducit; si enim res ita se haberet, uti primus existimat, subsequens inter consentientes copula, etiam ante renovatum coram parochio catholico consensum, omni flagitio vacaret, et suscepta inde proles absque ulla dubitatione esset legitima reputanda.

Iam vero ut postulatis vestrīs breviter simul et dilucide respondeamus, utraque controversiam omnem iudicio Nostro praecidamus, sic habete: Ubi cumque promulgatum et receptum sit Concilii Tridentini Decretum, *cap. 1, Sess. 24, De reformat. matrim.*, ibi nulla prorsus atque in omni ratione irrita esse coniugia aliter quam coram alterutrius contrahentium legitimo

parochio aliove sacerdote parochi vices agente, et duobus testibus celebrata. Scimus profecto esse theologos, qui in ipso fidelium matrimonio contractum a Sacramento ita dividunt ut illum omnino perfectum quandoque consistere credant, quin ad Sacramenti excellentiam pertingat; sed, quidquid sit de hac opinione, quam Nos quidem nunc in medio relinquimus, ea certe, quod attinet ad rem praesentem, locum nullum sibi vindicare potest apud eos qui Tridentina lege obstringuntur: etenim qui praeter formam a se praescriptam matrimonium contrahere attentant, eorum Tridentina Synodus non Sacramentum modo sed contractum ipsum irritum diserte pronuntiat, atque, ut eius verbis utamur, *eos ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et huiusmodi contractus irritos esse decernit.* Quare, cum inter catholicos in istis Provinciis degentes et promulgatum et receptum iam fuerit illud Tridentini Decretum, quod ambo fatemini, perspicuum est matrimonium ab ipsis invicem initum coram civili magistratu aut acatholico ministello, et non item coram proprio alterutrius contrahentium parochio et duobus testibus, neque in ratione Sacramenti neque in ratione contractus sustineri aut ullo pacto validum reputari posse. Neque vero rationes, propter quas valida pronuntiamus matrimonia, quae, aut ab haereticis inter se, aut a catholicis cum haereticis in istis Foederatis Provinciis contrahuntur, non servata forma Tridentini, aptari queunt coniugiis inter se initis a catholicis, quorum quilibet Tridentini Decreto se obstrictum agnoscit, eiusque se auctoritatem sequi profitetur.

Sciant itaque catholici vestrae curae concrediti, cum civili magistratui aut haeretico ministello matrimonii celebrandi causa se sistunt, actum mere civilem se

exercere, quo suum erga leges et instituta Principum obsequium ostendunt: caeterum tunc quidem nullum a se contrahi matrimonium. Sciant, nisi coram Ministro catholico et duobus testibus nuptias celebraverint, nunquam se, neque coram Deo, neque coram Ecclesia, veros et legitimos coniuges fore: nec, si interim coniugalem inter se consuetudinem habuerint, eam gravi culpa carituram. Sciant denique, si qua ex huiusmodi coniunctione orietur soboles, eam, utpote ex non legitima uxore natam, in oculis Dei fore illegitimam; et, nisi coniuges consensum ex Ecclesiae praescripto renovaverint, illegitimam perpetuo futuram etiam in Ecclesia fore.

Erit porro officii vestri haec omnia, cum commoda se obtulerit occasio, atque ea, quam rerum circumstantiae vobis adhibendam suaserint, circumspectione et cautela, singulis explicare prolixius, simulque omnes commonere ut, siquidem regionis consuetudini et terreni Principis sanctionibus obtemperare coguntur, faciant illi quidem, sed Religione salva, potioresque ducant sanctissimas Ecclesiae leges, quibus fidelium matrimonia constringuntur. Illud praeterea vobis curandum est ne, etiamsi duo catholici civilem illam ac mere politicam coram haereticis caeremoniam peregerint, nimium inter se familiariter agant, aut sub eodem tecto in communi habitent, nisi se prius veris et legitimis nuptiis ex norma Tridentini alligaverint; quam enim ea familiaritas esse possit sine flagitio, certe periculo et suspitione non vacat: utrumque autem probis et bene moratis Christifidelibus cavendum est. Ad huiusmodi porro evitanda pericula, cognoscimus consultius utique fore, ut catholici, non nisi matrimonio iam antea in facie Ecclesiae inter se legitime

celebrato, ad illam explendam civilem caeremoniam, saecularem magistratum, seu haereticum ministellum adirent; sed quoniam ex vestris litteris deprehendimus id non sine periculo et perturbationibus posse adimpleri, id saltem pro viribus satagite ut, postquam reipublicae morem illi gesserunt, non diu differant Ecclesiae legibus parere, et coniugale foedus iuxta praescriptam a Tridentino normam rite et sancte inire; et si quid tum super hac re, tum super aliis quae istam Missionem respiciunt, Nobis suggerendum esse putetis, communicato inter vos consilio, operam nostram implorate, quam semper praesentem invenietis.
(Coll. P. F. n. 1390).

III. - *Decretum S. Officii* - 12 Jan. 1881. (Vic. Ap. Iamaicae).

La nuova proposta di legge sopra i matrimoni per la Giamaica non ha per anche forza di legge; quando l'avrà, le leggi della Chiesa ne saranno affette in certi punti. (È da notare che il Decreto Tridentino rispetto ai matrimoni clandestini non è stato promulgato nella Giamaica). *Queritur*:

- 1.° Dobbiamo noi osservare la clausola 4 (di detta legge) che proibisce i matrimoni celebrati altrimenti che sotto questa nuova legge?
- 2.° La clausola 18 richiede al matrimonio delle persone sotto i ventun anno il consenso dei genitori, o dei legittimi tutori. Che deve fare il sacerdote, dove giudichi che tal consenso sia negato irragionevolmente?

R. Ad 1.^m Curandum a missionariis ut matrimonium contracturi observent praescriptiones etiam civi-

les, quae ad ordinem moralem, quoad effectus civiles matrimonii, conservandum conducant. Quod si contingat ut missionariorum monita nihil proficiant, vel specialis occurrat difficultas, res est ad Vic. Ap. deferenda, cuius erit iudicare utrum huiusmodi sit casus ut matrimonium permitti debeat, non obstantibus civilibus praescriptionibus.

Ad 2.^m Provisum in praecedenti.
(Coll. P. F. n. 1450).



CXXXI.

Negotia praecipua in quibus Regulares exempti, secularibus indubitatibus privilegiis, generalim subiiciuntur Episcopo, iuxta clonchum Givaldi et Lucidi, (cum certis tamen limitationibus apud eundem Lucidi, de Visit. SS. Lim. cap. IV, indicatis).

I. Quoad visitationem, correctionem et iurisdictionem, si animarum curam exercent personarum saecularium, quae non sunt, de monasteriorum familia, sicuti et quoad examen vicarii etiam amovibilis, per ipsos in propriis ecclesiis parochialibus constituendis. Excipiuntur tamen monasterium Cluniacense cum suis limitibus, et monasteria, in quibus Abbates et capita Ordinum residere solent, atque ea, in quibus Superiores iurisdictionem episcopalem in parochos et parochianos habent; qualia sunt loca nullius dioecesis, in quae loca, aut personas, non intendit Tridentinum Episcopi iurisdictionem minuere, sed tantum non augere. *Cap. 11, Sess. 25, de Regularibus.*

Circa hanc subiectionem videnda est Constitutio Benedicti XIV *Firmandis*, 8 Idus Martii 1744, in

qua § 11. declarat etiam, quod, si Episcopus dictum parochum seu vicarium removendum esse iudicaverit, remove possit absque Superioris regularis consensu, sicuti et hic eiusdem Episcopi consensu non requisito.

II. Quoad accessum ad Synodum dioecesanam, tam si non subdantur capitulis generalibus, quam si curam gerant ecclesiarum parochialium, aliarumve saecularium, etiam annexarum, ex eodem Trident., *cap. 2, Sess. 24, de Reform.*

III. Quoad saecularium confessiones audiendas, etiam sacerdotum atque monialium sibi subiectarum, sicuti et quoad punitionem pro fractione sigilli sacramentalis, ex eod. Trident. *Sess. 23, cap. 15*, et ex Constit. Gregorii XV *Inscrutabili*, 5 Febr. 1622, et Clem. X *Superna*, 11 Kal. Jul. 1670; necnon quoad deputationem confessarii extraordinarii iisdem sibi subiectis monialibus per eorum Superiores exhibendi duabus aut tribus vicibus in singulos annos, iuxta Trid. *Cap. 10, Sess. 25, de Regul.*, si neglexerint exhibere: in quo casu liberum est Episcopo etiam exhibere quemlibet presbyterum saecularem, vel alterius Ordinis Regularem, quemadmodum exhibere possent et ipsi Superiores ex Constit. Bened. XIV *Pastoralis curae*, § *Sane*, sub die 5 Aug. 1748.

IV. Quoad praedicationem verbi Dei: in propriis quidem ecclesiis, si praedicaverint sine Episcopi benedictione; in alienis vero, praeter suorum Superiorum licentiam, si sine eiusdem Episcopi approbatione; ex eodem Tridentini *Cap. 2, Sess. 5, et cap. 4, Sess. 25, de Reform.*, ac dictis Constit. Gregorii et Clementis.

V. Quoad Ordines recipiendos, tam circa aetatem, quam circa interstitia et examen subeundum, ex eod. Trid. *Cap. 12, Sess. 23, de Reform.*

VI. Quoad quaestorum officium exercendum, ex *Cap. 1, Sess. 21, de Reform.*

VII. Quoad punitionem, si vagentur extra claustra sine suorum Superiorum mandato in scriptis obtento: ac si missi ad universitates, studiorum causa, non habitent in conventibus; quemadmodum si scandalose extra claustra delinquentes, instante Episcopo, puniti non fuerint a suis Superioribus intra terminum, ab eodem Episcopo praefigendum, de qua punitione certiorari debet, ex *Cap. 4 et 14, Sess. 25, de Regul.*

Ita etiam carcerari possunt, si comprehensi in delicto timeatur de fuga, iuxta *Cap. 8* eiusd. Sess. et recta mittendi sunt ad suos Superiores una cum probationibus, etiam non compilato processu, ex decr. Cong. Conc. relato a Fagnan. in *Cap. 19*. Grave gerimus, de offic. ordin. num. 69. Item puniri possunt, si inceserint sine socio, vel de nocte, aut indecenter vestiti, ac etiam publice deferentes arma, iuxta declarationem Congreg. Episc. et Regul. in *Andrien.* 15 Decembris 1584, et in *Ravennaten.* 12 Septembris 1594, ac S. Cong. Conc. in *Turritana* 3 Februarii 1635.

Pari modo puniri possunt iuxta cit. *Cap. 14* Tridentin., si deliquerint in propria ecclesia, ianuam apertis, ut scandalo fuerint populo, ex declaratione eiusdem Cong. ad *Dubium in Posit. 442, ad d. cap. 14*.

VIII. Quoad accessum ad publicas supplicationes ex mandato Episcopi, exceptis Regularibus viventibus in strictiori clausura, ex *Cap. 13, Sess. 25, de Regul.*

Exceptis etiam iis, quorum monasteria distant a civitate ultra medium militare, ex declaratione Gregorii XIII, ut notatum legitur in libris publicis Cong. Conc. ad cit. *Cap. 13*, teste Fagn. ad *cap. 17* Nimis prava, de excess. Praelat. n. 11.

IX. Quoad compositionem controversiarum exortarum inter unum et alterum Ordinem regularem, ac inter eosdem Regulares et clericos saeculares, appellatione remota, circa praecedentiam in processibus publicis, in tumulandis defunctis, in deferenda umbella, aliisque similibus, ex *ead. Cap. 13*.

X. Quoad observationem dierum festorum ex eiusdem Episcopi praecepto observandorum, ex *Cap. 12, eiusdem Sess. 25*.

XI. Quoad censurarum publicationem faciendam ex mandato dicti Episcopi in eorum ecclesiis, earumdemque censurarum observationem, etiam si mendicantes sint, ex cit. *Cap. 12, Trid. et Cap. 8*. Episcoporum de priv. in 6. Nec illis suffragatur confirmatio privilegiorum a S. Pio V concessa, cum redacta sit ad terminos Conc. Trid. ex decr. Cong. Concil. in Giennen. *Observat. interdicti*, mense Nov. 1584 (*lib. 4, decret. pag. 7*), et Ventimil. Dec. 1586, ad 18 (*lib. 5, decret. pag. 72*).

XII. Quoad observantiam interdictorum, quae Episcopus promulgaverit, ex cit. *Cap. 12, et Clementina I, de sen. excomm.* et ex decr. Cong. Conc. in *Caesaraugustana Interdicti*, 11 Jun. 1695, quo declaratum fuit, teneri ad illorum observantiam etiam milites Hierosolymitanos, ac ex cit. Giennen. et Ventimilien.

XIII. Quoad solemnem aut publicam expositionem SS. Sacramenti absque Episcopi licentia, ex decreto Cong. Conc. relato a Fagnan. in *Cap. 19*. Grave, de offic. Iud. ord. n. 77, et pluribus decretis Cong. Episc. et Regul. ac Conc. relatis a Lucio Ferraris *Prompta Biblioth. verb. Eucharistia n. 57*.

XIV. Quoad retentionem lampadis accensae ante tabernaculum SS. Sacramenti, ex Trident. in *decreto de excitand. in celebrat. Miss. Sess. 22*; nec sufficit illam

accensam retinere in choro, ex decreto *Cong. Rituum* 21 Aug. 1699.

XV. Quoad observanda et evitanda in celebratione Missarum, etiam in ecclesiis suorum Ordinum, ex citato Tridentini decreto et Cong. Conc. in *Vercellen.* 21 Martii 1643.

XVI. Quoad appositionem insolitae imaginis in eorum ecclesiis, novarum reliquiarum expositionem, ac novorum miraculorum publicationem sine Episcopi approbatione, ex Trid. decreto *de invoc. et venerat. etc.* Sess. 25.

XVII. Quoad publicationem indulgentiarum, ex eodem Trident. *Cap. 9. Sess. 25. de Reform.*

XVIII. Quoad facultatem absolvendi a casibus ipsi Episcopo reservatis, ex Constit. Clementis X. *Superna*, § 7, 11 Kal. Jun. 1670.

XIX. Quoad ingressum Superiorum intra clausuram monialium iisdem subiectarum absque necessitate, et hac interveniente, si ingressi fuerint sine praesentia Episcopi, vel alterius ecclesiasticae personae, ab eo ad hoc specialiter delegatae, ex Constit. Greg. XIII *Dubis*, 23 Decemb. 1581, et Alexandri VII. *Felici*, 13 Kal. Novemb. 1664.

XX. Quoad dictum ingressum plusquam semel in anno ex causa visitationis: sicut et quoad introductionem, occasione huiusmodi ingressus, plurium sociorum sui Ordinis, quam duorum, si agatur de Superiore generali; et plusquam unius, si agatur de Superiore alio a Generali. Item quoad sumptionem refectionis intra eandem clausuram, quae interdicta est tam Superiori visitanti, quam eius sociis ex citata Alexandri Constit. *Felici*.

XXI. Quoad electionem Abbatissae monialium iis-

dem Regularibus subiectarum, cui Episcopus interesse potest, vel per se, vel per alium, si velit, ex Constitutione Gregorii XV *Inscrutabili*, 5 Febr. 1622.

XXII. Quoad punitionem, etiam sub poena excommunicationis privationisque vocis activae et passivae, ferendae sententiae, etiam contra equites Hierosolymitanos, propter accessum et locutionem eis interdictam sub mortali culpa, licet per quodcumque modicum temporis spatium, et ob quaecumque honestam causam, cum quibuscumque monialibus, aliisque intra earum monasteria degentibus, sine legitima licentia, ex decretis S. Congr. Episc. et Regul. iussu Sixti V. editis 9 Maii 1590, et Urbani VIII 12 Kalend. Decembris 1623, ac S. Congreg. Conc. cum approbatione Clement. IX sub die 11 Maii et 16 Nov. 1669, atque in *Spoletana Accessus ad monasteria*, 26 Maii 1672, ac in *Bergomen.* 21 Maii 1678.

XXIII. Quoad pernoctationem confessarii monialium in domo, quae per parietes et tecta non sit penitus distincta et separata ab earum monasteriis, ex citata Constit. Alexandri VII.

XXIV. Quoad explorationem voluntatis puellae, tum ante habitus susceptionem, quam ante professionem, sub poena suspensionis Abbatissae monialium eis subiectarum, arbitrio Episcopi infligendae, si ante mensem de futura professione eum certiore non fecerit, ex *Cap. 17 et 18, Sess. 25, de Regul.*, et ex decretis S. Congreg. Conc. in *Limana* 19 Novemb. 1625, in *Burgen.* 4 Decemb. 1627, in *Derthonen.* 16 Dec. 1545.

XXV. Quoad invaliditatem renuntiationis, vel obligationis novitiorum, etiam in favorem causae piae, ante duos proximos professioni menses sine Episcopi licentia exaratae: ac etiam quoad compulsionem per censuras

ecclesiasticas, tam, ne quid de novitii novitiaeque bonis detur monasterio ante illius professionem, quam ut, si quid datum fuerit, eis ad saeculum redeuntibus restitatur, ex *Cap. 16, eiusdem Sess. 25.*

XXVI. Quoad deductionem causarum faciendam ante quinquennium a die professionis computandum, nedum coram Superiori regulari, sed etiam coram Episcopo a Religioso volente habitum dimittere, vel cum eo a Religione discedere praetextu nullitatis professionis, ex *Cap. 19, eiusdem Sess. 25.*

XXVII. Quoad executionem decretorum Conc. Trid. de Reform. circa Regulares, etiam exemptos, ex *Cap. 22, eiusdem Sess. 25.*

XXVIII. Quoad executionem voluntatis testatorum, et redditionem rationis, si ipsis Regularibus commissa fuerit executio ex Clementina *Religiosi de testamen.* Adeatur Fagnan. in *Cap. Tua nobis num. 19 et 49.*

XXIX. Quoad visitationem confraternitatum in eorum ecclesiis erectarum, et redditionem rationis propter administrationem dictarum confraternitatum et hospitalium, ex *Cap. 8 et 9, Sess. 22. de Reform.* et ex decreto C. Conc. relato a Fagnano *loc. cit. n. 47.*

XXX. Quoad erectionem confraternitatum sine consensu Episcopi, ex Constit. Clementis VIII. *Quaecumque* 7 Dec. 1604, § 2.

XXXI. Quoad constructionem oratoriorum vel capellarum in locis non exemptis sine licentia Episcopi, et celebrationem Missarum in iisdem, aliter constructis, quocumque tempore, et potissimum tempore generalis interdicti, ex *Cap. 4. Auctoritate de priv. in 6,* sicuti et quoad punitionem propter celebrationem Missae in oratoriis privatis domicellorum diebus exceptis, vel postquam eadem die fuit ibidem iam celebrata unica Missa.

in Apostolico indulto concessa, ex decreto S. Congr. Conc. in *Neapolitana* 30 Maii 1699, et ex decreto Clement. XI, de Oratoriis privatis, *Quoniam Sancta* 15 Decemb. 1703.

Quemadmodum propter erectionem altaris portatilis in domo privatorum, ut ibi celebrent et Viaticum ministrent Religioso infirmo sine Episcopi vel parochi licentia, ex decreto S. Congr. Conc. in *Messanen.* 28 Sept. 1698.

XXXII. Quoad declarationem de incurso in excommunicationem, si absque licentia Episcopi, vel parochi, ministraverint laicis infirmis, etiam hospitantibus in eorum conventibus, Viaticum, et Extremam Unctionem, ex *Clementina I Religiosi de priv.* et etiam ex pluribus declarationibus S. Congr. Conc. in *Nullius* 19 Sept. 1637, in *Crem.* 27 Febr. 1645, in *Ripana* 3 Febr. 1694, et in *Neap.* 5 Iunii 1710.

XXXIII. Quoad punitionem propter sollicitationem in confessione, sicuti si docuerint poenitentes non teneri ad denuntiationem confessarii sollicitantis, ex Constit. Gregorii XV *Universi dominici.* 30 Augusti 1622 et Benedicti XIV, *Sacramentum Poenitentiae,* 1 Iun. 1741.

XXXIV. Quoad causas fidei, ex *Trid. Cap. 2, Sess. 5, de Reform.* et ex Constit. Pauli V *Romanus Pontifex,* 1 Sept. 1606, et ex citata Constit. Gregorii XV.

XXXV. Quoad iudicium subeundum, si degunt extra monasteria, ratione delicti, contractus, et rei, de qua agitur; item quoad cognitionem causarum civilium, mercedum, et miserabilium personarum; sed quoad delictum excipiuntur, si certum ab Apostolica Sede iudicem obtinuerunt, ex *Trident. Cap. 14, Sess. 7, et ex Cap. 1, Volentes de privil. in 6.*

XXXVI. Quoad cognitionem et definitionem causarum, quae cognosci debuissent ab eorum iudicibus conservatoribus, si his ausi fuerint aliter uti, quam iuxta formam praescriptam a Gregorio XV Constit. *Sanctissimus* 20 Sept. 1621.

XXXVII. Quoad absolutionem a suspensione incursa ob benedictionem nuptialem datam sponsis alterius parochi sine huius licentia, ex *Trid. Cap. 7, Sess. 24, de Reform. matrim.*

XXXVIII. Quoad denuntiationem publice faciendam ab Episcopo, quoties ei constiterit Regulares incurrisse censuras, quae ipso facto incurruntur, dummodo haec denuntiatio animarum saluti profutura videatur, ex *Clementina I, Religiosi de privil.*

XXXIX. Quoad violationem immunitatis ecclesiasticae, ex Constit. Gregor. XIV *Cum alias*, 24 Maii 1591, et Bened. XIII, *Ex quo* 6 Id. Iunii 1725, et ex decreto S. Congr. Immunitatis 3 Febr. 1637, et in *Papien.* 28 Iulii 1736.

XL. Quoad offensionem ipsi Episcopo a Regularibus etiam S. Ioannis Hierosolymitani illatam, et quoad impedimentum iurisdictionis Praelatorum, ne munus suum exsequantur, ex decreto S. Congreg. Concil. approbato a Gregorio XIII relato a Fagnan. in *Cap. Grave gerimus De offic. ordin.* n. 79.

XLI. Quoad laesionem ministrorum et officialium curiae episcopalis, ex decreto S. Congr. *Episc. et Regul.* 27 Martii 1692.

XLII. Quoad praestanda Episcopo debita obsequia, et baldachini erectionem in eius accessu ad illorum ecclesias, pro ibi celebrandis pontificalibus: quod si facere renuant, potest idem Episcopus absque alia monitione interdictum ecclesiae indicare, et denuntiare, ex

decreto S. Congreg. Concil. in *Venafrana Interdicti* 26 Ian. 1697.

XLIII. Quoad punitionem delicti commissi contra personas infra septa aut circa clausuram, vel bonorum administrationem monasteriorum monialium, ipsis Regularibus subiectarum, ex Constit. Gregor. XV *Inscrutabili* 5 Febr. 1622.

XLIV. Quoad coercionem per censuras propter benedictionem ecclesiasticorum et sacrorum paramentorum ab ipsis factam pro usu aliarum ecclesiarum, ex decreto S. Congr. Rituum in decretis generalibus emanatis 27 Sept. 1659 et 20 Iul. 1660, confirmatis et approbatis ab Alexandro VII.

XLV. Quoad prohibitionem, ne in eorum ecclesiis canantur cantilenae et laudes idiomate italico, ex decreto eiusdem S. Congr. in *Novarien.* 7 Augusti 1628, in *Hispalen.* 3 Septembris 1695 et 24 Novemb. 1696.

XLVI. Quoad spectantia ad venerationem eorum, qui cum sanctitatis opinione, vel fama martyrii ex hac vita migrarunt, ex Constit. Urbani VIII *Caelestis Hierusalem*, 5 Iul. 1633.

XLVII. Quoad punitionem asserentium, Beatam Virginem conceptam esse cum peccato originali, ex Constit. Gregor. XV *Sanctissimus*, 24 Maii 1622 et Alex. VII *Sollicitudo*, 8 Dec. 1661.

XLVIII. Quoad punitionem propter Missae celebrationem, et exceptionem Confessionis sacramentalis, antequam promoti fuerint ad sacrum presbyteratus Ordinem, ex Constit. Greg. XIII *Officii* 6 Aug. 1574, Clementis VIII *Etsi alias* 1 Dec. 1601, Urbani VIII *Apostolatus officium* 23 Maii 1628, ac Bened. XIV *Sacerdos in aeternum* 20 Apr. 1744.

XLIX. Quoad receptionem in eorum ecclesiis paro-

chialibus missionariorum, quae Episcopus miserit, tamquam praenuntios visitationis a se explendae, ex Constit. Bened. XIV *Firmandis* § 5, 6 Novemb. 1744.

L. Quoad punitionem (et quidem privative quoad ipsorum Superiores), propter tonsionem aut falsificationem aut adulterationem monetarum: necnon propter falsificationem et alterationem schedularum montis pietatis, et mensae nummulariae S. Spiritus; sicuti et si has sic falsificatas et alteratas expenderit, ex Constit. Urbani VIII *Superna* 13 Nov. 1627, et Bened. XIV *Ad curam Nostram* 31 Octobr. 1756.

LI. Quoad punitionem, (et privative quoad eorum Superiores), propter assistentiam praestitam in celebratione matrimonii sine praevia Episcopi sive parochi contrahentium licentia, ex Constit. Gregor. XV *Inscrutabili* 5 Febr. 1622.

LII. Quoad munus exorcizandi, sive in eorum, sive in aliena ecclesia, sive extra, sive intra conventum, absque Episcopi licentia, sub poenis ab eodem infligendis, ex decreto S. Congr. Episc. et Regul. 22 Februarii 1625, et Constit. Bened. XIV *Magno cum animi Nostri* § 34, 2 Iunii 1751.

LIII. Quoad punitionem, si libros de rebus sacris, aliosque impresserint, vel imprimi fecerint sine nomine auctoris, aut illos vendiderint, vel apud se retinuerint absque Episcopi et suorum Superiorum examine et approbatione, iuxta decretum Concilii Lateranensis V, innovatum et confirmatum a Trid. *Sess. 4.* in decreto *de edit. et usu Sacror. Libror.*, et ex Constit. Leonis X *Inter sollicitudines* 4 Maii 1515, ac Urbani VIII *Santissimus* 18 Septemb. 1625.

LIV. Quoad taxationem numeri in monasteriis monialium eisdem subiectarum, faciendam iuxta *Cap. 3.*

Sess. 25, de Regul., quae ex decr. S. Congr. Conc. relato a Fagnano in *Cap. 19.* Grave gerimus *de offic. ordin. n. 52.* pertinet ad Episcopum simul cum eorum Superiore, ac Constit. Greg. XIII *Deo sacris* 30 Decembris 1572.

LV. Quoad erectionem novorum conventuum, tam virorum, quam mulierum, ex cit. *Cap. 3, Sess. 25, Trid.* et Constit. Clementis VIII, *Quoniam* 26 Aug. 1603, Greg. XV *Cum alias* 17 Aug. 1622, et Urbani VIII *Romanus Pontifex* 28 Aug. 1624.

LVI. Quoad iudicium ferendum super praetensa nullitate professionis, una cum eorum Superiore locali tamquam coniudicibus; et si agatur de monialibus, una cum Superiore monasterii, cui universum illius regimen commissum est, ex *Cap. 19, Sess. 25, de Regul.* et Constit. Bened. XIV *Si datam* 4 Martii 1748, quod Trid. decretum S. C. Conc. teste Fagnan. *loc. cit. n. 72.* declaravit locum habere, tam si professus nullitatem allegat, quam si Religio velit illum expellere tamquam nulliter professum.

Quamvis nomine Superioris intelligatur Superior localis conventus, in quo reclamans assignatus est de familia, et non supremus Ordinis, ut declaravit eadem S. Congr. in *Maten. et Romana* 7 Apr. 1629, deduci tamen potest causa eorum Provinciali, vel Generali, si ita Ordinis Constitutiones disponant, Reiffenstuel *Lib. III, tit. 31, de Regul. § 7. n. 197.*

LVII. Quoad poenam subeundam, centum nempe ducatorum, si die sabbati maioris hebdomadae pulsaverint in eorum ecclesiis campanas, antequam pulsaverit campana cathedralis, vel maioris ecclesiae, ex Constit. Leonis X, *Dum intra* 19 Decembris 1516, § 14.

LVIII. Quoad omnimodam iurisdictionem et subie-

ctionem apostatarum, et etiam legitime eiektorum, ex
Constit. Urbani VIII *Sacra Congregatio* 21 Sept. 1624.

CXXXII.

FORMULAE LITTERARUM
EXCARDINATIONIS ET INCARDINATIONIS.

A. — *Formula Litterarum excardinationis a dioecesi.*

N. Episcopus N. — Dilecto in Christo N.

Petisti a Nobis, ut tibi concederemus litteras ex-
cardinationis a Nostra Dioecesi, cui ratione originis (seu
domicilii) adscriptus hucusque fuisti, et in qua ad Cle-
ricatus honorem promotus es, quo integrum tibi sit
ad Ecclesiam et Dioecesim N. transire, eique adscribi.
Quum igitur Nobis compertum sit Illustrissimum et
Reverendissimum Dominum N. Episcopum Ecclesiae
N. paratum esse ad te adscribendum Ecclesiae suae;
et tu nullo alio canonico vinculo Dioecesi Nostrae li-
gatus sis, nec ullum in ea habeas beneficium (*vel* et
beneficium, quod in ea habeas, canonica ex causa di-
miseris et resignaveris) iustae praeterea habeantur
causae huius excardinationis concedendae, nec tu ad
eam petendam levitate aut ambitione movearis; gra-
tiam, quam expostulasti tibi duximus concedendam.
Quare Nostris hisee litteris te N. N. dioecesis nostrae
clericum et in minoribus (*vel* maioribus, *et exprimentur*
Ordines quibus est insignitus) ordinibus constitutum e
Dioecesi Nostra absolute et in perpetuum excardinamus
et excardinatum edicimus et declaramus, in eum tan-
tum finem ut Dioecesi N. adscribi valeas, et sub con-

ditione, ut hae Litterae suum plenum sortiantur effe-
ctum tunc solummodo, quum Dioecesi N. rite fueris
adscriptus.

In quorum fidem etc. — Datum etc. — N. Episcopus N. — N. Cancellarius Episcopalis.

B. — *Formula Litterarum incardinationis in dioecesi.*

N. Episcopus N. — Dilecto in Christo N.

Quum Nobis constiterit te N. N. in minoribus (*vel*
maioribus, *et exprimentur Ordines, quibus insignitus*
est) ordinibus constitutum, qui hucusque Dioecesi N.
fueras adscriptus, ab illius Illustrissimo ac Reverendis-
simo Episcopo Domino N. N. iustis de causis excar-
dinationis litteras obtinuisse; nec non ex praedicti Do-
mini Episcopi testimonio certum Nobis sit te legitimis
esse natalibus, integris moribus et sufficienti praeditum
scientia; quum praeterea tu praestito iuramento de-
claraveris velle te in hac Nostra Dioecesi semper ma-
nere et huic Nostrae Ecclesiae iugiter deservire, Nos
moti studio, quo exardescimus, bonum huius Ecclesiae
Nostrae curae commissae procurandi, te, quem utilem
(*vel* necessarium) Ecclesiae huic Nostrae pro praesentibus
eius adiunctis existimamus, absolute et in per-
petuum Ecclesiae et Dioecesi Nostrae adscribimus et
adscriptum renuntiamus et declaramus, sperantes te
alacri animo in futurum bono animarum in hac Nostra
Dioecesi adlaboraturum, et omnibus fidelibus Nostrae
curae commissis bonum Christi odorem futurum.

In quorum fidem etc. — Datum etc. — N. Episcopus N. — N. Cancellarius Episcopalis.

CXXXIII.

S. Officii instructio seu modus quo recipi debent denunciations in re ad sollicitationem spectante ab iis, qui ad denunciationem aliquam absque interventu notarii recipiendam delegantur.

Delegatus incipiet actum a notando die, mense, anno.

Die Mensis Anni

Sponte personaliter comparuit coram me infra-scripto, sistente in (notabit locum et diocesim ubi reperitur ad actum recipiendam) ad hunc actum tantum ab Illmo et Rmo N. specialiter delegato, prout ex eiusdem Ordinarii literis mihi directis et datis sub die (exprimet quo die ipsi scriptae fuerint literae) praesenti positioni alligandis, N. N. (scribet nomen, cognomen, patrem, patriam, aetatem, conditionem et habitationem personae denunciantis; et si haec religiosa fuerit, exprimet etiam nomen, quo ea vocabatur in saeculo. Deinde prosequetur) cui delato iuramento veritatis dicendae, quod praestitit tactis SS. Dei Evangeliiis, (quae manu tangere faciet) exposuit prout infra, videlicet:

Hic persona denuncians pernaculo sermone declarare debet, se scire obtentam esse ab Ordinario loci facultatem recipiendi absque interventu notarii quod ad suam conscientiam exonerandam expositura est, propterea quia iustus de causis eidem Rmo Antistiti se sistere neguit: deinde narrare continuo debet quae ad sollicitationes ei factas attinent, seu verba fuerint, seu scripta, seu actus, accurate describendo locum, tempus, occasionem, vices et singula adiuncta, nec non utrum in actu confessionis an

prius, vel post sacramentalem absolutionem ea euenerint. Nominare debet confessionalem sedem et ipsum Confessarium sollicitantem, et quatenus huius nomen et cognomen aut ignoret aut oblita fuerit, describet accurate illius personam, omnes distincte characteres notando, ita ut ille recognosci possit. Animadvertat delegatus, non esse interrogandam personam denunciantem, utrum consensus ad actum turpem quocumque modo praestiterit vel recusaverit, cum ipsu ad suos defectus manifestandos non teneatur. Hisce excerptis prout narrantur, delegatus, quae sequuntur, neque aliud praeterea quidpiam requireret.

Interrogata: An sciat, vel dici audierit, dictum N. N. (nominando personam) Confessarium sollicitasse alias poenitentes ad turpia? et quatenus etc.

Respondit: (Notabit responsionem, et si haec affirmativa fuerit, nomen et cognomen personarum sollicitarum exquiret et causam scientiae).

Interrogata: De fama supradicti Confessarii N. N. tam apud se quam apud alios? et quatenus etc.

Respondit: (Responsionem exscribet).

Interrogata: An odio vel amore praefata deposuerit, et super inimicitia, aliisque generalibus etc, et quatenus etc.

Respondit: Recte (si ad propriam conscientiam exonerandam denunciasset se dicit). Si a sollicitatione plus uno mense praeterlapsum fuerit, erit etiam interroganda.

Interrogata: Cur tamdiu distulerit praefata denunciare proprio Ordinario, et conscientiam suam exonerare?

Respondit: (Notabit responsionem).

Actus claudatur hac ratione:

Quibus habitis et acceptatis etc. dimissus (vel dimissa) fuit iuratus (vel iurata) de silentio servando ad novum tactum SS. Dei Evangeliorum; (*super Evangelium iterum iurabit*) et in confirmationem praemissorum se subscripsit (*et si scribere nesciat*) et cum scribere nesciret, prout asseruit, fecit signum Crucis (*Crucis signum calamo faciendum ab ea exiget*).

Postquam denuncians se subscripserit, aut Crucis signum fecerit, subscribet se delegatus hoc modo:

Acta sunt haec per me N. N. ab Illmo et Rmo Antistite N. N. ut supra specialiter delegatum.

Integrum deinde actum directe ad proprium Ordinarium delegantem transmittat, una cum instructione et literis acceptis, nihil omnino apud se retinendo.

CXXXIV.

Formula abiurationis, professionis fidei, et absolutionis impertiendae iis, qui a lapsu in haeresim « Protestantium » vel aliarum sectarum ad sinum redeunt S. M. Ecclesiae.

Ego

Oppidi vel civitatis aetatis meae
annorum genuflexus, coram Te Illmo ac Revmo
D. Episcopo (vel Rev. D. specialiter Delegato), ac
tangens mea manu Sancta Dei Evangelia profiteor
firmiter tenere ac credere quod nemo possit aeternam
salutem consequi nisi sincero corde credat ac teneat
omnia quae credit et docet Sancta Mater Ecclesia
Catholica Apostolica Romana. Adversus quam Christi

Ecclesiam ex animo doleo graviter me errasse; quia adhaesi et professus sum errores sectae N. — (v. g. *protestantium*).

Nunc vero per gratiam Dei dolens ex intimo corde ac poenitens me praedictae sectae haereticae adhaesisse, illam detestor atque sincere abiuro; eodemque animo detestor ac maledico caeteris erroribus ac sectis Sanctae Catholicae Apostolicae Romanae Ecclesiae contrariis.

Tandem credo et profiteor omnes et singulas veritates atque Dogmata revelata, quae tenet atque docet Sancta Mater Ecclesia. Credo etiam et profiteor omnia et singula quae a Sacrosancto Oecumenico Concilio Vaticano ad credendum proposita sunt.

Credo et profiteor Summum Pontificem Romanum esse Caput et Pastorem supremum omnium fidelium a Christo Domino Nostro positum ad regendam, pascendam et gubernandam universam Ecclesiam, Cui propterea, uti magistro infallibili, ab omnibus fidelibus est obediendum.

Sic Deus me adiuvet et haec sancta Evangelia, quae propriis manibus tango.

Huic catholicae fidei professioni quam teneo, subscribo mea manu.

His peractis Sacerdos qui abiurationem accepit folium subscribat hoc modulo.

Praedictus fuit per me Episcopum (vel Delegatum) expeditus in forma Ecclesiae consueta die

Ita est. Ego N. N. Episcopus N. (vel Sacerdos Delegatus N. N.)

N. B. Postquam poenitens conversus supradictam recitaverit suae abiurationis insimul ac fidei professionis

formulam, debet ab Episcopo vel a Sacerdote delegato paucis ac piis verbis excitari ad eliciendum contritionis internum actum; eique assignari aliquas spirituales poenitentias, quae vel in pietatis operibus vel in precibus consistere solent. Tandem conversus adhuc genusflexus absolvatur (sequenti) modo et formula praescripta. Advertendum insuper quod, si huius absolutionis, poenitens in foro Ecclesiae externo reconciliatur, omnique liberatur censurae vinculo, unde postmodum Sacramentaliter absolvi poterit a quocumque Confessario per Ordinarium approbato.

Postea, neo-converso genusflexo manente, sacerdos sedens dicit psalmum Miserere, sive psalmum De profundis cum Gloria Patri in fine. Quo finito, sacerdos stans dicit:

- Kyrie eleison, Christe, eleison, Kyrie eleison.
 Pater noster *secretò*.
 y. Et ne nos inducas in tentationem.
 r. Sed libera nos a malo.
 y. Solum fac servum tuum (vel ancillam tuam).
 r. Deus meus sperantem in te.
 y. Domine, exaudi orationem meam.
 r. Et clamor meus ad te veniat.
 y. Dominus vobiscum.
 r. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, cui proprium est misereri semper et parcere, suscipe deprecationem nostram, ut hunc famulum tuum (hanc famulam tuam) quem (quam) excommunicationis catena constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. r. Amen.

Deinde sacerdos sedet, et ad profitentem genusflexum versus, eum ab haeresi absolvet dicens:

Auctoritate Apostolica, qua fungor in hac parte, absolvo te a vinculo excommunicationis quam¹ incurristi, et restituo te sacrosanctis Ecclesiae Sacramentis, communioni et unitati fidelium in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. r. Amen.

Denique abiuranti aliquam poenitentiam salutarem iniungat, e. g. aliquas preces, visitare ecclesiam, aut similia.

CXXXV.

Formula brevior Professionis Fidei pro haereticis seu schismaticis orientalibus (a S. C. S. O. an. 1890 approbata).

Ego N. N. firma fide teneo et profiteor omnia et singula, quae continentur in symbolo Fidei, quo S. Romana Ecclesia utitur, videlicet:

Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia saecula; Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt: qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de caelis; et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, et sepultus est. Et resurrexit tertia die,

¹ In dabo gravi aut levi utrum poenitens in excommunicationem incurrerit per haeresim professam, sacerdos hic inserat vocabulum *forasan* (Coll. P. F. n. 1689).

secundum Scripturas: et ascendit in coelum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit: qui cum Patre, et Filio simul adoratur, et conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi saeculi. Amen.

Credo Dominum Nostrum Iesum Christum Deum et hominem esse, perfectum Deum perfectumque hominem; divinitatem et humanitatem ineffabili et incomprehensibili unione in una persona Filii Dei, unum nobis Iesum Christum constituisse, eaque de causa Beatissimam Virginem immaculatam conceptam vere esse Dei Genitricem; duas in ipso Christo esse inconfuse naturas, duasque naturales voluntates, et duas naturales operationes.

Credo septem esse vere et proprie Sacramenta Novae Legis a Christo Domino Nostro instituta ad salutem humani generis, quamvis non omnia singulis necessaria, videlicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, et Matrimonium, illaque gratiam conferre, et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem iterari non posse.

Credo in azymo sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici, ac sub altera tantum specie totum atque integrum Christum sumi.

Credo matrimonii vinculum indissolubile esse, et quamvis propter adulterium, haeresim, aut alias causas possit inter coniuges thori et cohabitationis separatio

fieri, non tamen illis aliud matrimonium contrahere fas esse.

Credo, si vere poenitentes in Dei caritate decesserint, antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis satisfecerint et omissis, eorum animas poenis Purgatorii post mortem purgari, et, ut a poenis huiusmodi releventur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes et eleemosynas et alia pietatis officia, quae a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt, secundum Ecclesiae instituta; illorumque animas, qui post Baptismum susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam quae post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutae sunt purgatae, in coelum mox recipi, et intueri clare Deum trinum et unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate, alium alio perfectius; illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas.

Credo S. Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput, et omnium Christianorum Patrem et Doctorem existere; et ipsi in B. Petro pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino Nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse.

Caetera item omnia a SS. Canonibus et Oecumenicis Conciliis, ac praecipue a Florentina, Tridentina, et Vaticana Synodo, tradita definita ac declarata, praesertim de Romani Pontificis primatu et infallibili magisterio, indubitanter recipio atque profiteor; simulque contraria omnia et schismata et haereses ab Ecclesia

damnatas, ego quoque reitico et damno. Hanc veram fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam sponte profiteor, et veraciter teneo, hanc ipsam omnino usque ad extremum vitae meae spiritum, Deo adjuvante, volo retinere et profiteri.

Sic ego N. (ponit dexteram supra S. Evangelium) promitto et iuro. Sic me Deus adjuvet et haec Sancta Dei Evangelia.

CXXXVI.

Formula brevis Professionis Fidei pro Ludimagistris.

Ego N. N. firma fide credo atque profiteor omnia et singula mysteria Religionis nostrae et omnia quae nobis credenda proponit Sancta Mater Ecclesia. Errores omnes ab Ecclesia Catholica, Apostolica, Romana damnatos ego pariter abominor et damno. Sic me Deus adjuvet et protegat. Amen.

FINIS.

INDEX

I. Cap. « Hoc consultissimo », tit. 9, cap. 2, de rebus Ecclesiae non alienandis. — <i>Gregorius X. in Conc. Lugdunensi</i> , pag. 7	7
II. Cap. « Ambitiosae », tit. 4, cap. unic. Extrav. com., de rebus Ecclesiae non alienandis. — <i>Paulus II. i. Martii 1467.</i> »	9
III. S. Officii decretum « Cum alias » et instructio ad probandum status libertatem. — <i>21 Aug. 1670.</i> »	11
IV. Innocentii XII Constit. « Speculatores », de ordinandis propriis subditis, vel alienis; quae requirantur et quae cavenda sint, ut Episcopus proprium vel alienum subditum ordinare valeat. — <i>4 Nov. 1697.</i> »	16
V. S. R. C. decretum Urbis et Orbis. Iurium parochialium, functionum et praesementiarum inter Parochos et Confraternitates laicorum earumque Cappellanos et Officiales. — <i>12 Jan. 1704.</i> »	24
VI. Innocentii XIII Constit. « Apostolici ministerii », de restauranda ecclesiastica disciplina. — <i>13 Maii 1723.</i> »	29
VII. Benedicti XIII Constit. « Pastoralis officii », qua praebendae theologiae et canonici poenitentiarum in ecclesiis cathedralibus Italiae, insularumque adjacentium, ubi non sunt, institutioni consuliuntur, cum aliis ordinationibus. — <i>XIV Kal. Jan. 1725.</i> »	50
VIII. Instructio pro parvulis prima vice ad Sacramentalem Confessionem admittendis, edita a Bened. XIII in Conc. Romano. — <i>An. 1725.</i> »	55
IX. Instructio pro illis qui prima vice accedunt ad Sacramentum Mensae, edita a Bened. XIII in Conc. Romano. — <i>An. 1725.</i> »	68
X. Benedicti XIV Constit. « Dei miseratione », super causis nullitatis matrimonii. — <i>III Nonas Nov. 1741.</i> »	80
XI. Benedicti XIV Constit. « Ad militantis Ecclesiae », de appellationibus et inhibitionibus concedendis vel denegandis. — <i>III Kal. April. 1742.</i> »	92

damnatas, ego quoque reitico et damno. Hanc veram fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam sponte profiteor, et veraciter teneo, hanc ipsam omnino usque ad extremum vitae meae spiritum, Deo adjuvante, volo retinere et profiteri.

Sic ego N. (*ponit dexteram supra S. Evangelium*) promitto et iuro. Sic me Deus adjuvet et haec Sancta Dei Evangelia.

CXXXVI.

Formula brevis Professionis Fidei pro Ludimagistris.

Ego N. N. firma fide credo atque profiteor omnia et singula mysteria Religionis nostrae et omnia quae nobis credenda proponit Sancta Mater Ecclesia. Errores omnes ab Ecclesia Catholica, Apostolica, Romana damnatos ego pariter abominor et damno. Sic me Deus adjuvet et protegat. Amen.

FINIS.

INDEX

I. Cap. « Hoc consultissimo », tit. 9, cap. 2, de rebus Ecclesiae non alienandis. — <i>Gregorius X. in Conc. Lugdunensi</i> , pag. 7	7
II. Cap. « Ambitiosae », tit. 4, cap. unic. Extrav. com., de rebus Ecclesiae non alienandis. — <i>Paulus II. i. Martii 1467.</i> »	9
III. S. Officii decretum « Cum alias » et instructio ad probandum status libertatem. — <i>21 Aug. 1670.</i> »	11
IV. Innocentii XII Constit. « Speculatores », de ordinandis propriis subditis, vel alienis; quae requirantur et quae cavenda sint, ut Episcopus proprium vel alienum subditum ordinare valeat. — <i>4 Nov. 1697.</i> »	16
V. S. R. C. decretum Urbis et Orbis. Iurium parochialium, functionum et praesementiarum inter Parochos et Confraternitates laicorum earumque Cappellanos et Officiales. — <i>12 Jan. 1704.</i> »	24
VI. Innocentii XIII Constit. « Apostolici ministerii », de restauranda ecclesiastica disciplina. — <i>13 Maii 1723.</i> »	29
VII. Benedicti XIII Constit. « Pastoralis officii », qua praebendae theologiae et canonicae poenitentiarum in ecclesiis cathedralibus Italiae, insularumque adjacentium, ubi non sunt, institutioni consuliuntur, cum aliis ordinationibus. — <i>XIV Kal. Jan. 1725.</i> »	50
VIII. Instructio pro parvulis prima vice ad Sacramentalem Confessionem admittendis, edita a Bened. XIII in Conc. Romano. — <i>An. 1725.</i> »	55
IX. Instructio pro illis qui prima vice accedunt ad Sacramentum Mensae, edita a Bened. XIII in Conc. Romano. — <i>An. 1725.</i> »	68
X. Benedicti XIV Constit. « Dei miseratione », super causis nullitatis matrimonii. — <i>III Nonas Nov. 1741.</i> »	80
XI. Benedicti XIV Constit. « Ad militantis Ecclesiae », de appellationibus et inhibitionibus concedendis vel denegandis. — <i>III Kal. April. 1742.</i> »	92

- XII. Benedicti XIV Constit. « **Cum illud** », de forma in concursibus observanda. — 14 Dec. 1712. pag. 114
- XIII. Benedicti XIV Constit. « **Firmandis** », de iurisdictione et visitatione Episcoporum in parochis et parochias regulares. — VIII Id. Nov. 1744 » 130
- XIV. Ex Encycl. Benedicti XIV « **Magno cum** », de tollendis abtibus ab oratoris privatis, quae sunt in domibus laicorum; § 19-24. — 1 Iul. 1754. » 147
- XV. S. Officii declaratio circa absolutionem Massonum, qui exterius tantum se tales exhibent. — 27 Iun. 1838. » 152
- XVI. S. Cong. Concilii instructio « **Cum moneat Glossa** » pro confectione processus in causis matrimonialibus. — 22 Aug. 1870. » 153
- XVII. Pii IX Litterae Apost. « **Cum illud** », quibus aliqua dubia circa sacra S. R. E. Cardinalium et Episc. utensilia declarantur. — 1 Iunii 1847. » 162
- XVIII. S. Cong. Indulg. decretum circa Surdo-Mutos. — 15 Martii 1852. » 167
- XIX. S. Officii Encyclica ad Episcopos de Magnetismo. — 4 Augusti 1854. » 169
- XX. Pii IX Litterae encycl. « **Anantissimi** », super obligatione applicandi Missam pro populo diebus festis reductis. — 3 Maji 1853. » 171
- XXI. Emi Card. Antonelli instructio ad omnes Archiepiscopos, Episcopos aliosque locorum Ordinarios, de dispensationibus super impedimento mixtae religionis quoad promiscuam conjugia. — 15 Nov. 1858. » 181
- XXII. Litterae Emi Card. Antonelli, ad Episcopos Americae meridionalis, super scotatum detrahendum ex elemosinis pro dispensationibus, et Americano Urbis Seminario attribuendum. — 15 April. 1862. » 186
- XXIII. S. Congreg. Concilii responsa nonnullis dubiis propositis ab Episcopo Aturensi. — 14 Aug. 1863. » 188
- XXIV. Pii IX Litterae « **Quam non sine** », ad Archiep. Friburgensem in Brisgovia, circa Ecclesiae iura in institutione et educatione iuventutis, et de damnis et periculis scholarum ab Ecclesia vigilantia semetretarum. — 14 Iulii 1864 » 194
- XXV. Pii IX Encyclica « **Quanta cura** », de praecipuis nostri temporis erroribus. — 8 Dec. 1864. » 200
- XXVI. Syllabus complexens praecipuos nostrae aetatis errores, qui notantur in allocutionibus consistorialibus, in encyclicis aliisque apostolicis litteris Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae IX. — 8 Dec. 1864. » 212
- XXVII. Epistola Pii IX « **Meridionali Americae** », ad Episcopos Americae Meridionalis, de collegio Pio Latino Americano. — 30 Sept. 1865 » 227

- XXVIII. S. Officii instructio ad Episcopos Helvetiae, de scholis scatholicis et mixtis. — 26 Martii 1866. pag. 229
- XXIX. S. Officii instructio ad omnes Archiepiscopos, Episcopos aliosque locorum Ordinarios, circa observantiam Constit. S. M. Benedicti XIV quae incipit « **Sacramentum Poenitentiae** ». — 20 Febr. 1867. » 236
- XXX. S. Officii instructio ad probandum otium alicuius conjugis. — An. 1868. » 245
- XXXI. S. Cong. de Propag. Fide Litt. encycl. de matrimoniis mixtis. — 21 Martii 1868. » 251
- XXXII. S. Officii instructio ad Archiepiscopum S. Iacobi de Chile super matrimoniis haereticorum. — 17 Martii 1869. » 254
- XXXIII. Pii IX Constit. « **Apostolicae Sedis** », qua ecclesiasticae censurae limitantur. — 12 Oct. 1869. » 258
- XXXIV. S. Cong. de Propag. Fide instructio de sacrosancto Missae sacrificio his in die celebrando, cum adnexa instructione S. Rit. C. 11 Martii 1858 de Sacerdote bis Missam eadem die celebrante. — 24 Martii 1870. » 271
- XXXV. Concilii Vaticani binae Constitutiones dogmaticae:
A. — Constit. dogmat. « **Dei Filius** » - de Fide Catholica, edita in Sessione III. Oecumenici Concilii Vaticani. — 24 April. 1870. » 290
B. — Constit. dogmat. « **Pastor aeternus** » - prima de Ecclesia Christi, edita in Sessione IV. Oecumenici Concilii Vaticani. — 18 Iulii 1870. » 305
- XXXVI. S. Cong. de Propag. Fide instructio de titulo Ordinationis. — 27 April. 1871. » 316
- XXXVII. S. Officii instructio, de scholis publicis, ad Episcopos in Foederatis Statibus Americae Septentrionalis. — 21 Novembris 1875 » 323
- XXXVIII. Ex litteris S. Cong. de Propag. Fide ad Episcopum Nesqualien. circa catholicos interventus choreis aliisque solatiis, quae a Massonibus aff. tales habentur. — 15 Iulii 1876 » 328
- XXXIX. S. Officii decretum de dispensatione votorum in Congregationibus emissorum (Archiep. Novae Aurel.). — 3 Aug. 1876. » 329
- XL. Decret. S. C. Concilii de Professione orthodoxae fidei emitenda iuxta formam a SS. PP. Pio IV et Pio IX praescriptam. — 20 Ian. 1877. » 339
- XLI. S. Congr. de Propag. Fide instructio super Visitatione SS. Limitum. — 1 Iunii 1877 » 335
- XLII. S. Officii instructio ad Ordinarios Brasiliae, de secta Massonica. — 5 Iulii 1878. » 343
- XLIII. S. Cong. de Propag. Fide instructio de Commissione Investigationali (pro Statibus Americae Foederatis), cum

- adnexa responsione circa eandem Commissionem. —
20 Julii 1878. pag. 347
- XLIV. S. Cong. Concilii decretum circa titulum « servitii Ecclesiae » pro regionibus Americae Latinae. — 11 Junii 1879. > 354
- XLV. S. C. EE. et RR. instructio de modo quo oeconomice procedere debent curiae ecclesiasticae in causis disciplinaribus et criminalibus clericorum. — 13 Julii 1880. > 357
- XLVI. SS. D. N. Leonis Papae XIII Constit. « Romanos Pontifices », qua nonnulla controversiarum capita inter episcopos et missionarios regulares Angliae et Scotiae definiuntur. — *III Id. Maii 1881.* > 365
Leges ex Conc. Westminster. II. de bonis ecclesiasticis in Missionibus — *An. 1855.* > 391
- XLVII. SS. D. N. Leonis XIII Litt. Apost. « In suprema », de Missae sacrificio in singulis dies festos « pro populo » ab omnibus Catholici Orbis Episcopis celebrando. — *IV Id. Julii 1882.* > 398
- XLVIII. S. Cong. de Propag. Fide instructio de modo servando in cognoscendis et definiendis causis criminalibus et disciplinaribus Clericorum in Foederatis Statibus Americae Septentr. — *An. 1883.* > 408
- XLIX. S. Officii decretum de matrimonio Massonum (Vic. Ap. Bombayen.). — 21 Februar. 1883. > 416
- L. S. Officii decretum de vi decreti « Tametsi » circa clandestinitatem in America Latina (Vic. Ap. Arizonae). — 30 Januar. 1884. > 417
- LI. S. Cong. Indulg. decretum de Gregoriano Tricenario. — 11 Martii 1884. > 418
- LII. SS. D. N. Leonis XIII Encyclica « Humanum genus », de secta Massonum. — 20 April. 1884. > 421
- LIII. S. Officii instructio ad omnes catholici orbis Episcopos de secta Massonum. — 10 Maii 1884. > 445
- LIV. S. Cong. Concilii epistola « Quamvis » ad omnes Ordinarios, circa clericos inhabentes titulos honoris et insignia. — 16 Sept. 1884. > 452
- LV. S. Cong. de Propag. Fide instructio de Suspensionibus ex informata conscientia. — 20 Oct. 1884. > 453
- LVI. Encycl. S. Officii circa cap. « Cogentes » Const. « Apostolicae Sedis ». — 23 Jan. 1886. > 457
- LVII. S. Officii declaratio circa cremationem cadaverum. — 19 Maii 1886. > 459
- LVIII. S. Officii Encycl. circa dispensat. matrimoniales in mortis articulo et appellationem « Ordinarii ». — 20 Febr. 1888. > 460
- LIX. S. Officii instructio pro simplici Sacerdote Sacramentum Confirmationis ex Sedis Apostolicae delegatione administrante. — *m. Julii 1888.* > 463

- I.X. Decretum S. Cong. Indulgent. de Gregoriano Tricenario. — 24 Aug. 1888. pag. 471
- LXI. Decretum S. Cong. Indulg. de Gregoriano Tricenario — 14 Januar. 1889. > 473
- LXII. S. Officii Encycl. circa interpretationem Encycl. 20 Februar. 1888 de dispensat. matrim. in mortis articulo. — 1 Martii 1889. > 474
- I.XIII. S. Officii declaratio circa impedimenta facilis probationis. — 5 Junii 1889. > 475
- LXIV. S. Officii Decretum circa interpret. Encycl. 20 Febr. 1888 et 1 Mart. 1889 de dispensat. matrim. in mortis articulo. — 23 April. 1890. > 476
- LXV. S. Officii Deer. circa interpret. Encycl. 20 Febr. 1888 de dispensat. matrim. in mortis articulo. — 23 April. 1890. > 478
- LXVI. S. Officii instructio et norma ab Ordinariis locorum in examiniibus per generalia concilienda observanda. — 20 Julii 1890. > 479
- I.XVII. S. Cong. Concilii Litterae ad Episcopos et Ordinarios Italiae et Americae de sacerdotibus Italis ad Americanas regiones emigrantibus. — 21 Julii 1890. > 484
- LXVIII. S. Officii decretum circa interpretationem Encycl. 20 Febr. 1888 et 1 Mart. 1889 de dispensat. matrim. in mortis articulo. (Archiep. Compostellan.). — 17 Sept. 1890. > 486
- LXIX. S. Cong. Episc. et Regul. decretum « Quemadmodum » circa manifestationem conscientiae. — 17 Dec. 1890. > 487
- LXX. S. Officii decretum circa interpret. Encycl. 20 Febr. 1888 de dispensat. matrim. in mortis articulo (Archiep. Leo pollen.). — 18 Martii 1891. > 491
- I.XXI. Decret. S. C. Episc. et Regul. circa applicationem decreti « Quemadmodum » 17 Dec. 1890 Filiabus Charitatis et Instit. virorum. — 15 April. 1891. > 492
- LXXII. S. Officii decretum circa interpret. Encycl. 20 Febr. 1888 de dispensatione matrimonii in mortis articulo. — 1 Julii 1891. > 494
- LXXIII. Leonis XIII Const. « Consensus mutuus », de matrimonii praesumptis. — 25 Febr. 1892. > 495
- LXXIV. SS. D. N. Leonis XIII Litterae Apost. « Neminem fugit », de Consociatione Sacrae Familiae, cum adnexis documentis. — 18 Junii 1892. > 497
Adnexa documenta:
A. — Leonis XIII Litt. Apost. « Quum nuper ». — 20 Jan. 1892. > 505
B. — Estatutos de la Pía Asociación > 512
C. — Estatutos da Pía Associação. > 514
D. — Decretum S. Cong. Rituum ad varia dubia. — 13 Febr. 1892. > 517

E. — Decret. Vicariatus Urbis de regulis Conso-	
ciationis. — 8 Jan. 1893.	pag. 518
F. — Decret. Vicariatus Urbis de erectione Confrat-	
ternitatum. — 7 April. 1893.	» 523
LXXV. S. Cong. Episc. et Regul. decretum « Actis admo-	
dim », de Institutis votorum simplicium et de ordina-	
tionibus Regularium. — 4 Novemb. 1892.	» 525
LXXVI. S. Cong. Indulgent. Decretum de Tertio Ordine. —	
31 Jan. 1893.	» 529
LXXVII. S. Cong. Concilii declaratio in causis « Colonien. »	
circa iuratas delegaciones generales parochorum ad assi-	
stendum matrimonialis. — 18 Mart. 1893.	» 534
LXXVIII. S. Cong. Concilii decretum « Vigilanti » de turpi	
mercimonio stipendiorum Missarum quoad bibliopolas	
aliosque mercatores. — 25 Mart. 1893.	» 537
LXXIX. Leonis XIII Litt. Apost. « Illud est proprium », de	
Canonis ad honorem. — 21 Jan. 1894.	» 540
LXXX. S. Cong. de Propag. Fide instructio de Sacerdotibus	
rituum orientalium Americanis petentibus. — 12 April. 1894.	
.	» 541
LXXXI. S. Cong. Concilii in una Varsaviensi « Dubia circa	
causas matrimoniales ». — 16 Junii 1894.	» 545
LXXXII. S. Rituum Cong. decreta et ordinationes de Musica	
Sacra. — 7 et 21 Julii 1894.	» 547
LXXXIII. S. Cong. Episc. et Regul. instructio de verbi Dei	
praedicatione. — 31 Julii 1894.	» 557
LXXXIV. S. Officii decretum « Cum recenter » de lege ieiunii	
et abstinentiae anticipanda vel dispensanda ab Episcopis.	
— 5 Decemb. 1894.	» 567
LXXXV. Em. Card. Rampolla Secretarii Status litterae ad Epi-	
scofos Americae Latinae de vectigali pro Collegio Pio	
Latino Americano. — 20 Julii 1895.	» 569
LXXXVI. S. C. Episc. et Regul. decreta in « Abulensi » inter-	
pret. decr. « Actis admodum » 20 Novemb. 1895.	» 571
LXXXVII. S. Cong. de Propag. Fide declaratio de die in qua	
Episcopus celebrare debet anniversarium suae electionis.	
— An. 1896.	» 574
LXXXVIII. S. Officii responsio ad dubia quoad Decretum « Cum	
recenter » de lege ieiunii et abstinentiae anticipanda vel	
dispensanda ab Episcopis. — 18 Martii 1896.	» 575
LXXXIX. S. Cong. Episc. et Regul. Decretum « Singulari	
quidem » de elemosynarum collectis. — 27 Martii 1896.	» 577
XC. S. Cong. Concilii decretum quoad taxam fori ecclesiastici	
in rebus non contentiosis. — 10 Junii 1896.	» 580
XCI. S. Officii declaratio de promulgatione Concilii Plenarii	
aut Provincialis. — 10 Sept. 1896.	» 583
XCII. S. Cong. Rituum declaratio de Altari quod communiter	

dicitur « Sepulchrum » Festis V et VI Maioris Hebdomadae. — 25 Dec. 1896.	pag. 585
XCIII. S. Cong. Episc. et Regul. declaratio « Zamoren. », an	
moniales acceptare possint haereditates in favorem monasterii. — 15 Jan. 1897.	» 586
XCIV. SS. D. N. Leonis PP. XIII Constitutio Apost. « Officiorum », de prohibitione et censura librorum. — VIII Kal. Febr. 1897.	» 588
XCIV. S. Cong. Concilii Litterae Circulares ad Ordinarios Americae Meridionalis de Seminariorum regimine. — 15 Martii 1897.	» 603
XCVI. SS. D. N. Leonis XIII Litterae Apost. « Trans Oceanum », de privilegiis Americae Latinae. — 18 Apr. 1897.	» 608
XCVII. S. Officii responsio de matrimonio impiorum, vulgo « liberi pensatores », sectariorum et pravorum catholicorum. — 25 Mart. 1897.	» 615
XCVIII. S. Officii declaratio de usu facultatis absolvendi a censuris reservatis in casu quo poenitentiarum sit expectare. — 16 Junii 1897.	» 617
XCIX. Leonis XIII Epistola « Abrogata » ad Episc. Massiliensem de non differenda Confirmatione ad tempus primam Communionem subsequens. — 22 Junii 1897.	» 619
C. S. Officii instructiones quoad diligencias adhibendas in causis sollicitationis circa denunciantium eiusque denunciante. — 6 Aug. 1897.	» 620
CI. S. Officii declaratio circa facultatem cumulandi in tribuendis dispensationibus matrimonialibus. — 18 Aug. 1897.	» 623
CII. S. Officii decretum de transitu facultatum apostolicarum Ordinariis concessarum ad eorum successores. — 24 Novembris 1897.	» 625
CIII. S. Officii decretum de facultatibus concedendis « Ordinaris locorum » et de appellatione « Ordinariorum ». — 20 April. 1898.	» 626
CIV. S. C. Negot. EE. EE. declaratio authentica quoad significationem denominationis Indorum et Nigritarum in Litteris Apost. « Trans Oceanum », diei 18 Apr. 1897. — 24 Mart. 1898.	» 627
CV. SS. D. N. Leonis PP. XIII Litterae Apost. « Cum divini », de erectione Archidialtatis Praeconi et pium Operum pro reditu Ecclesiarum dissidentium ad Catholicam Unitatem sub patrocinio B. M. V. in caelum Assumptae in ecclesia Anastasiae Byzantiae, cum adnexis Statutis. — 25 Mart. 1898.	» 629
A. — Estatutos de la Archiconfradia	» 634
B. — Estatutos de Archiconfraria	» 636
CVI. S. Officii decretum circa interpretationem decreti 20 April.	

- lis 1898 de facultatibus Ordinariis locorum committen-
dis etc. — 23 Iulii 1898 pag. 639
- CVII. S. Officii decretum de matrimoniis moribundorum cum
infidelibus coniungentium et excommunicatorum. — 6 Iu-
lii 1898 » 640
- CVIII. S. Cong. Concilii Decretum « **A primis** », de Clerico-
rum excommunicatione et ordinatione. — 20 Iulii 1898 » 643
- CIX. S. Officii decretum de absoluteione sectis vetitis adscri-
ptorum. — 5 Aug. 1898 » 645
- CX. S. C. Negot. EE. EE. declaratio authentica de vigore Lit-
terarum Apost. « **Trans Oceanum** », diei 18 April. 1897,
in omnibus Antillis et caeteris Insulis maris Caraibici. —
16 Aug. 1898 » 646
- CXI. S. Cong. sup. Discipl. Regul. decretum interpret. decreti
« **Auctis admodum** » quoad religiosos saecularizatos ad
tempus. — 16 Aug. 1898 » 647
- CXII. SS. D. N. Leonis Pp. XIII. Constitutio Apost. « **Ubi pri-
mum** » de legibus, iuribus ac privilegiis Sodalitatis a
SS. Rosario, cum adnexo catalogo Indulgentiarum. —
31 Novas Octobris 1898 » 649
- Catalogus Indulgentiarum edit. die 29 Aug. 1899 » 658
- CXIII. S. Officii decretum de vi decreti « **Tametsi** » in Ame-
rica Latina. — 23 Nov. 1898 » 675
- CXIV. S. Officii decretum de matrimoniis Impiorum et masso-
num. — 11 Ianuar. 1899 » 677
- CXV. SS. D. N. Leonis XIII Litterae « **Testem benevolen-
tiae** » ad Eam Card. Jac. Gibbons Archiep. Baltimo-
rensem, quoad opiniones nonnullas quae indicantur no-
mine « **Americanismi** ». — 22 Ianuar. 1899 » 679
- CXVI. S. Cong. Rituum decretum super oratoris semipublicis,
cum adnexo decreto « **Nivernen** ». — 8 Mart. 1899. —
23 Ianuar. 1899 » 692
- CXVII. S. Officii decretum circa interpretationem decreti 24 No-
vemb. 1897 de transitu facultatum Ordinariis concessarum
ad eorum successores. — 3 Marti 1899 » 696
- CXVIII. S. Officii decretum circa interpretat. Encycl. 25 Fe-
bruarii 1888, quoad matrim. concubinarios. in articulo
mortis. — 3 Marti 1899 » 697
- CXIX. S. Officii decretum absoluteionem complicitis excludens a
concessione praevisa in decr. 9 Nov. 1898. — 7 Iulii 1899 » 699
- CXX. S. Cong. Negot. EE. EE. rathabet privilegium Archie-
piscop. Americae Latinae concedendi octoginta dies in-
dulgentiarum. — 4 Iulii 1899 » 700
- CXXI. S. Cong. Negot. EE. EE. Decretum seu Indultum ad
decennium super ieiunio et abstinentia pro America La-
tina. — 6 Iulii 1899 » 701

- CXXII. Litterae S. Cong. Rituum de cultu SS. Cordis Iesu
amplificando. — 21 Iulii 1899 pag. 703
- CXXIII. S. Officii decretum de quodam usu Hypnotismi. —
26 Iulii 1899 » 707
- CXXIV. Urbis et Orbis. Decretum S. Cong. Indulg. de Regulis
seu normis ad dignoscendas veras indulgentias ab apo-
cryphis. — 10 Aug. 1899 » 709
- CXXV. Augustana. S. Cong. Indulg. Resp. ad varia dubia de
Confraternitatibus a SS. Rosario nuncupatis. — 10 Aug. 1899 » 720
- CXXVI. S. Officii decretum circa baptismum indorum de Goajira.
— 6 Sept. 1899 » 724
- CXXVII. SS. D. N. Leonis Pp. XIII. Epistola « **Paterne** » ad
Archiepiscopos et Episcopos Brasiliae. — 18 Sept. 1899 » 728
- CXXVIII. Instructiones S. Sedis contra dilationem Baptismi. —
1788-1899 » 733
- CXXIX. S. Congregationis Concilii decretum de viris ecclesia-
sticis, perturbationibus, et intestinis bellis, participationibus.
— 12 Iulii 1900 » 738
- CXXX. Instructiones de civili, quod vocant, matrimonio » 739
- I. — Instr. S. Poenitentiarum. — 15 Ian. 1866 » 739
- II. — Litt. Benedicti XIV « **Redditae sunt Nobis** »
— 17 Sept. 1746 » 743
- III. — Decretum S. Officii. — 12 Ian. 1831 » 747
- CXXXI. Negotia praecipua in quibus Regulares exempti, se-
clusis indubitate privilegii, generatim subiciuntur Epi-
scopo, iuxta elenchum Giraldi et Lucidi, (cum certis
tamen limitationibus apud eundem Lucidi, de Visit.
SS. Lim. cap. iv. indicatis) » 748
- CXXXII. Formulae Litterarum excommunicationis et incardinationis
in aliqua Dioecesi. » 760
- CXXXIII. S. Officii instructio seu modus quo recipi debent den-
unciationes in re ad sollicitationem spectante ab his, qui
ad denunciationem aliquam absque interveniu notarii re-
cipiendum delegantur » 762
- CXXXIV. Formula abjurations, professionis fidei, et absolu-
tionis impertientiae iis, qui a lapsu in haeresim « **Protes-
tantium** » vel aliarum sectarum ad sinum redeunt S. R.
Ecclesiae » 764
- CXXXV. Formula brevior Professionis Fidei pro haereticis seu
schismaticis orientalibus » 767
- CXXXVI. Formula brevis Professionis Fidei pro Iudimagistris. » 770

